UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold


Venetiis, 1595

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

Visual Library

N
III
3.4
Th. 4896.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



LIGNVM VITAE,

Ornamentum, & Decus Ecclesiæ,

IN QVINQVE LIBROS DIVISVM.

In quibus,

Totius Sanctiss. Religionis DIVI BENEDICTI initia;
Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari
describuntur: & Fructus qui per eos S.R.E. accessérunt, fusissimè explicantur.

AVCTORE

D. ARNOLDO VVION, BELGA, DVACENSI,
Monacho S. Benedicti de Mantua, Ord. Diui BENEDICTI
Nigrorum, Congregationis Casinensis,
aliàs S. Iustinæ de Padua.

Accessit dilucidatio, quomodo Principes AVSTRIACI,
Originem ducant ex ANICIA Romana Familia,
quæ erat DIVI BENEDICTI.

AD PHILIPPVM II. HISPANIARVM
REGEM POTENTISSIMVM.

Cum Duplici Indice.

PARS PRIMA.

CVM PRIVILEGIO.

Colleg. Soctis




Jesu Paderborn
1694

VENETIIS, APVD GEORGIVM ANGELERIVM.
M. D. XCV.

dono P. Kloppenburg.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PHILIPPO II.
ANICIO, PROBO,
OLYBRIO,
PERLEONIO FRANGIPANIO,
HABSBVRGIO, AVSTRIO;
Hiſpaniarum Regi Catholico,
Potentiſſimo, & Inuictiſſimo.

D. ARNOLDVS VVION,
BELGA, DVACENSIS,
Monachus S. Benedicti de Mantua, Ord. S. Benedicti
Nigrorum, Congregationis Caſinenſis, aliàs
S. Iuſtinæ de Padua; S. F.

QVAMQVAM ea eſt verę, atque Catholicæ Fidei ratio, vt cum rectè credere, ac ſentire de Deo, ipſumq; in omnibus ſpectandum, & amandum doceat, tum omnium operum noſtrorum, ſiue bonorum, ſiue malorum præmia in futura ac perpetua vita potiſſimum ſperanda, & exſpectanda præcipiat, tamen & eam iuſtiſſimi Dei ſui benignitatem agnoſcit, per quam ſicut integritate vitæ, boni à malis in præſenti vita differunt,

runt, ita & ab ijſdem quibuſdam Diuinæ gratiæ donis, etiam in hoc mundo adhuc conſtituti diſcernuntur. Hinc illa non admirabilia ſolum, ſed & ſtupenda facinora, atq; prodigia recenſentur, quibus ab antiquis ſeculis amicos ſuos Deus illuſtres & glorioſos effecit. Hinc illa miraculorum, omnem humanæ naturæ vim excedens potentia; qua frequenter Sanctos ſuos præclaros, atque mirificos reddidit. Et licet huiuſcemodi operationes non ſemper probitatem comitentur, quicumque tamen rectè, honeſtè, & cum virtute vitam agunt, conſequitur eos quaſi iuge conuiuium rectè factorum conſcientia, quæ piorum animos mirificè delectat, recreat, ac lætitia continua perfundit. Vnde quo magis pietatem, & religionem colunt, ſuasque cogitationes, & conſilia ad Deum ſincerè referunt, eique ſe totos addicere ſtudent, eo abundantiori gaudio ac iucunditate eorum cordibus ſe Deus inſinuat, delectationesque ac voluptates, quæ carnalem omnem ſenſum exſuperant, ingerit, in quibus colluſtratæ Sanctorum mentes & inflammatæ, terrena omnia quantumuis ſublimia facilè recuſant, difficilia quæque & ardua, pro nihilo ducunt, mundanas omnes delectationes reſpuunt, ac faſtidiunt, experti nimirum magnam multitudinem dulcedinis Domini, cuius iudicia deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum, & dul-

Pſal. 30. *Pſal.* 18.

dulciora ſuper mel, & fauum: Atque ita magis, magisque in dies amore Dei flagrantes quieta, placida, hilariq; mente, tanquam in portu tranquilliſſimo conſiſtunt. At contra, non eſt pax impijs, ait Dominus: Vnde videre eſt ipſos ſuperbiæ vento tumidos, auaritiæ æſtibus anhælos, irę facibus accenſos, inuidiæ, libidinis, atque aliorum vitiorum monſtris agitatos, ac miſerandum in modum excruciatos, adeo ut nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tamq; varias habere credendi ſunt agitationes fluctuum, quot, quantis, quamq; multiplicibus procellis, & tempeſtatibus, impiorum pectora iactantur. Inſuper quoniam atteſtante Propheta diſplicet Deo impius, & impietas eius, fit nonnunquam vt & impietatis, ſimul & impiorum finem faciens, vna cum impijs, omnem etiam eorum progeniem euellat, & extinguat, dicente Pſalmiſta: Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum. Hinc legimus per Prophetas ſuos Deum prædixiſſe omnem poſteritatem Hieroboam, Baaſa, & Achab Regum Iſrael, forè deme tendam, & extirpandam. Aliquando vero etſi non omnis familia penitus deleatur, tamen, vt ait Eccleſiaſticus: Nepotes impiorum non multiplicabuntur; interdum etiam quando Sacerdotij functione, ſiue Regni gubernatione ſublimati, Deo morem gerere neglexerunt, ijſdem honori-

Pſal. 10.

Eccleſ. c. 40.

bus ac dignitatibus filijs eorum interdictum à Deo fuisse legimus, ac demum & in Patres improbos, & in eorum posteros graues aliquando pœnas fuisse constitutas reperimus, quæ omnia sacræ Scripturæ testificantur exemplis, Heli Sacerdotis, Ophni & Phinees filiorum eius, Saul primi Regis Israel, & Giezi ministri Elisæi. Ex alia vero parte de illis quorum est vita cum pietate coniuncta scriptum est: Beatus vir qui timet Dominum, potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Talis fuit Abraham, cui Deus non solum est pollicitus, sed & iurauit, quod benediceret ei, & multiplicaret semen eius sicut stellas cœli, & sicut arenam maris. Talis, & Phinees filius Eleazari, filij Aaron Sacerdotis de quo Deus ait ad Moysen: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi & semini eius pactum Sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel. Sic & Dauid vir secundum cor Dei, post plurima eaque maxima beneficia à Deo accepta, obtinuit etiam filijs suis regni hæreditatem, & successionem in longinquum. Sic & multis alijs, qui studium suum in probitate posuerunt, maximæ res summaque Imperia sæpe credita fuerunt, in quibus administrandis cum haud dubium suarum virtutum specimen darent, regni gubernacula filijs, ac posteris suis multis seculis promeruerunt.

Psal. 111.

Gen. 12. 13. 15. 17. 22.

Num. 25.

2. *Reg.* 7

ruerunt. Nostra etiam ætate non paucæ celebres Familiæ numerantur, & illustres, quæ virtutis ac dignitatis insignia, à maioribus accepta, egregia cum laude retinent adhuc ac tuentur. Inter quas præcipuè fulget Principum Austriorum Familia nobilissima, Anicíorum antiquissimorum sanguine procreata, quorum virtus iam inde ab eo tempore, quo summum, atque altissimum Romanę Reipublicę gradum Consules obtinebant cognita, maximisque, & grauissimis Reipublicæ causis spectatissima, atque in primis probata, varijs muneribus & honoribus, atque etiam dignitate Consulari cohonestata legitur. De hac autem Austriacorum illustrissima Familia, nonnulla in subsequentibus, ne epistolæ limites excedam, quomodo videlicet, quando, & à quibus orta referatur, dicturus, non ab re me facturum existimaui, si prius aliquid de operis intentione, eiusdemque dedicarione præmittam. Sæpius enim mihi animo voluenti, & ex Sanctissimi P. N. BENEDICTI gloria, & Religionis eius claritate delectationem capienti, in mentem veniebat conscribere quasi quoddam Hyppomnema, comprehensurum quotquot ex varijs Auctoribus colligere potuissem, qui vel natalium gloriam, & stemmatum contemnentes, D. BENEDICTI Ordinem honoratum reddiderunt; vel in ipso Ordine precibus, lachrymis, vigilijs, ac laboribus

boribus suis, & Ecclesiæ CHRISTI maximam vtilitatem & ornamentum, & sibijpsis, ac toti Ordini Monastico decus immortale pepererunt, præsertim cum multi ex ijs, qui cum eximia pietate egregiam eruditionem coniunctam habebant, Prælati ac Principes Ecclesiæ fuerint electi. Sperabam quippe fore cum hæc sæpius & ipse legerem, & de huiuscemodi rebus, sermonem inter alios frequenter excitarem, vt eorum rebus præclare gestis excitati, & ipsi ad virtutē accenderemur, maioribusq; nostris dignos nos reddere studeremus, atq; ita in generatione metaphorica & spirituali, compleretur id quod de sobole naturali Tullius ait, videlicet. Quorū Patres aliqua gloria præstiterunt, ij student plerumq; in eodem genere laudis excellere. Itaq; (non enim penitus hæc me spes delusit) cum ea quę vndiq; collegerā aliquib. ostendissem, non solum ipsi sunt ijs delectati, atq; ad maiorem suorum imitationem inflammati, verum insuper quod in seipsis experiebantur, id in alijs quoq; effici peroptauerunt. Quamobrem cū alijs multis, & aliquot etiam Abbatibus re communicata, ij quorum consilio & auctoritate regimur ea quę conscripseram typis excludenda, & in æs incidenda statuerunt; rati nimirum ex huiusmodi lectione & intuitu, Omnipotentis Dei gloriam, D. BENEDICTI laudem, Ordinis Monastici decus, animarumque salutem prouehendam.

dam. Tunc verò deligendus aliquis dicebatur cui hęc inscriberentur: vbi ego qui ex varijs auctoribus fidedignissimis certò didiceram, Principum Austriorum Familiam nobilissimam & antiquissimam, eodem cum D. BENEDICTO sanguine prognatam, eandem omnibus anteferendam asserens, sine maxima iniuria, alteri familiæ dedicari non posse affirmabam; nempè quod maiorum claritas etiam pertineat ad posteros, quibus vtiq; prodesse debet, maiorum virtute parta dignitas & gloria, præsertim cum hæc ipsa Austriacorum Familia non solum à progenitorum virtute ac dignitate non degeneret, sed insuper in hoc tota semper incubuerit, & etiamnum incumbat, ut patrium decus amplificet, quamque à maioribus nobilitatem & gloriam accepit, non solum tueatur ac conseruet, uerum etiam virtutibus ac reb. gestis auctam, clariorem, & glorioſiorem posteritati tradat. Porrò inter omnes domus Austrię Principes quis prior occurrere poterat, ac debebat, quam PHILIPPVS II. Hispaniarum Rex potentissimus, ac verè Catholicus; cuius & in me, patriamq; meam, ac Congregationem Casinensem, merita hoc sanè exigunt, vt eius nomen lucubrationi meæ prefigentes, & nostrę in eum voluntatis, & grati animi significationem aliquam daremus. Quod enim ad me attinet, oriundus à Belgis, natus, educatus, ac litteris imbutus sum in Comitatus

mitatus Flandriæ Ciuitate Duaco, quam singulari beneuolentiæ ac munificentiæ tuæ beneficio deuincire tibi voluisti, dum erecto ibidem Gymnasio, atque litterarum omnium studijs introductis, Academię & Vniuersitatis nomine celebrem reddidisti, extructo & Collegio, quod ipso nomine scilicet Collegij Regij, humanitatis & liberalitatis Regię memoriam renouans, eandem etiam posteris relinquet. Cuius beneuolentiæ ac beneficentiæ nostri Ciues non immemores, aut ingrati, cum inter varios bellorum euentus ac tempestates, quæ aliquot ab hinc annis in Belgia desæuierunt, & adhuc feruent, plurimæ vrbes, & Prouincię non paucę ab obedientia tua descisserent, Duacenses nunquam imperium tuum recusantes, se, atq; Vrbem tuę ditioni, & potestati subiectam, & parentem adseruarunt. Interea ego, qui (si voluntas in Regem spectetur) nullum meorum popularium mihi patior anteponi, ante oculos mihi sæpe reducebam Diogenem illum Cynicum, qui dum libertati vrbis, quam incolebat, castris circa collocatis, hostes imminerent, ciuibus munitionem ac defensionem parantibus, ad nullum opus accitum se videret, Dolium, quod ei domicilium erat, per plateas ciuitatis rotabat, & agitabat, simul asserens non conuenire, vt in tanta Ciuium fatigatione, ipse in otio persisteret, simulq; in Ciues & Ciuitatem animi sui alacritatem declarans:

claras: Itaq; cum illi quibus me, atq; omnia mea commisi determinarent, vt exiguus hic meus labor in publicum prodiret, idem vt argumentum voluntatis in te meæ exstaret desiderauit. Et quidem, vel mea vnius caussa, laborem hunc tibi consecrari, si nemo, vt opinor, negabit æquissimum; multo magis idipsum omnes, sine dubio comprobabunt, si rationem addidero locorum & temporum, in quibus hic ingenij, siue laboris mei fructus vel inchoatus, vel ad maturitatem est perductus. In eodem autem loco, & D. BENEDICTO nomen dedi, & ea quę tibi nunc dedicamus componere cępi, scilicet Audemburgi, quod ditionis tuę oppidum adiacet ciuitati Brugarum, quę Philippum Auum tuum lucem hanc ingredientem gremio & sinu suo exceperunt; At postquam vis Hæretica sedem mutare compulisset, huic operi supersedi, donec in Italiam profectus, maximo Dei munere, ac RR. PP. Casinensium beneficio singulari, in ipsorum Congregationem sum admissus. Hęc autem Casinensis Congregatio, quamuis habeat multa Monasteria in prouincijs diuersorum Principum, quorum fauore, patrocinio, ac tutela, Monachi cum omni securitate quietam agũt vitam; tamen si Monasteriorum numerum attendentes, quemlibet Principem seorsum, ac separatim consideremus, plus tibi, quam alicui cæterorum se deuinctam Congregatio Casinensis fate-

ri debet, cum præter alia multa regna, & prouincias, quæ diuersis in locis Imperio tuo parent, etiam in Italia Regna Siciliæ, ac Neapolis, necnon Ducatus Mediolanensis, tuæ ditioni sint subiecta, in quibus omnibus regionibus, cunctos Ecclesiastici Ordinis ita beneuolentia complecteris, patrocinio foues, protectione defendis, vt cum alia quæque, quę Christianum ac verè Catholicum Regem decent strenuè semper exsequaris, tum in Religiosos omnes voluntate, ac pietate nemini concedas. Igitur quemadmodum sanguinis, ac nobilitatis origo, quæ domui Austriacę eadem est cum D. Anicio BENEDICTO, suo iure poscere noscebatur, vt Religionis D. BENEdicti stemma, alicui Principi Austrio consecraretur: Sic & merita tua quę in me, meamq; patriam, ac Congregat. Casinensem, extant non vulgaria, haud obscurè præcipiebant, vt sub tuo potissimum nomine in lucem proferretur. Verum dum causas recenseo ob quas hæ nostræ lucubrationes in tuo potissimum nomine apparere debeant, expectabit forsitan aliquis, vt quemadmodum pleriq; in litteris dedicatorijs laudare consueuerunt eos, quibus opera sua inscribunt; ita & ego Anicię Familię virtutes prędicem, laudes efferam, encomia celebrem. Sed à me si quis ea expetat, næ, aut mecum ille sentit, qui immensum pelagus exiguo vase comprehendi posse existimet. M. Tullius

in Oratione pro Lege Manilia, maximis laudibus Pompeium extollens, nullam Orationem eius virtuti parem asserit: eximias etiam, & amplissimas in Iulium Cęsarem, in Oratione pro M. Marcello, laudes congerens, *Nullius*, inquit, *tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar, res tuas gestas possit.* Hęc si de vno Imperatore, si de vno Ciue eloquentiæ parens protulit, ego conscius tenuitatis meæ, nonne silere melius esse duxero, quam non solum parum pro rei dignitate, sed & inornate loqui de præclarissima familia? Quæ enim est, vel fuit vnquam stirps, quæ sit non modo huic præferenda, sed vel cum ea conferenda? Quid habent, vel habuerunt cæteræ cognationes, qualescumq; tandem illæ sint, singularis ac præcipui, quod in hac florentissima familia desiderari possit? quod longè perfectius & nobilius in ea non inueniatur? Nam si generis antiquitas spectetur, quænam hodie familia reperiatur antiquior? Mille enim & nongenti anni sunt, cum hæc nobilissima familia floret, aliosq; assiduè ex alijs viros clarissimos, ac Principes, perpetua quadam serie propagat. Siue ea requirantur quæ delectent tam viros fortes & auidos gloriæ bellicæ, quam sapientes, & cupidos Vrbanis splendoris, nihil sanè hac familia præstantius ac locupletius. De qua S. Hieron. in epist.

epist. 8. ad Demedriadem, *Illustris*, inquit, *Anicio-rum sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus, non meruit Consulatum*. Protulit hęc familia Romanos Imperatores quatuordecim, & nunc etiam Imperij Rom. fasces tenet. Permulti etiam Reges, Duces, Principes, alijq; viri pręclarissimi ex ea prodierunt, qui domi, militiæque, terra, marique, res maximas, maxima virtute, ac felicitate gesserunt. Si vero & à diuitijs ac tectis magnificis laus aliqua petenda cuiquam videatur, cui in hac re Anicia Austriaca domus concesserit? Addamus quod Cassiodorus ille Magnus lib. 10. variarum, epist. 11. & 12. dicit: *Erant iam in prouerbio opes, ædificiorum moles, vt splendor ædium Familiæ Anicianæ. Hinc Secundinus ad Augustinum; Ego namque fateor, non tali diligentia, nec industria Anicianæ domus micare marmora, quanta tua scripta prælucent eloquentia*. Si morum integritate, ac sanctimonia vitæ veram verę laudem metiamur, fuit hæc familia illustrata non tantum Consulibus, & Imperatoribus; sed & nobilitatavtriusque sexus Martyribus; inter quos Sanctorum Symmachus, & Seuerinus Boetius, viri Consulares, omnique scientia præditi: Monachorumque gregis Protomartyr egregius, Sanctus Placidus Abbas, cum Fratribus, & Sorore, alijque non pauci; adeo ut complures ex ea prosapia, vel martyrij titulo, vel in quocumq; laudabili instituto viuendi, sanctioris

ris vitæ gratia in Sanctorum Catalogum sunt re-
lati. Quod si doctrinarum decus expetimus, vt de
reliquis taceam, quid glorioſius illis Eccleſię lu-
minibus S. Gregorio Magno, Diuo Ambroſio, &
B. Thoma Aquinate? Si Eccleſiaſticæ dignitatis
gloriam quęrimus, nonnullos commemorauimus,
& ſi alios adhuc enumerare vellemus, permulti no
bis ſuppeterent, Epiſcopi, & Archiepiſcopi, Sum-
mi Pontifices etiam, ac S.R.E. Cardinales, è qui-
bus etiam nunc duo ſunt ſuperſtes, Albertus Impe
ratoris nepos, filius, ac frater, Regni Portugallię co
lumen, & Andreas Tyrolenſe decus. Demum ſi il-
lud vitæ genus extollimus, quo inſtinctu quodam
diuino homines ingenium, ocium, & contempla-
tionem adamantes mentem efferunt, & eam à cu-
ris rerum labentium auocatam, ad diuinas & ęter-
nas conuertunt, quid S. P. N. BENEDICTO
ſplendidius? Hęc igitur omnia ſi conſideremus,
quod nomen vnquam in orbe terrarum clarius ex-
ſtitiſſe dicemus? quam domum, aut proſapiam in-
ueniemus, quæ cum Anicia progenie ſit compa-
randa? Quis erit is, omnibus vel naturę, vel doctri
næ prędidijs ad dicendum paratus, vel ad ſcriben-
dum expeditus Orator, qui dicendo, ſiue ſcriben-
do, huius nobiliſſimæ Familiæ laudes explicare
queat? Et tamen ad hęc omnia, adhuc alia quę-
dam accedunt eximia, atq; Anicianę Familię ſin-
gularia. Licet enim ea quę ſupra diximus in am-
pliſſimis

plissimis sint ponenda laudibus, eiusmodi tamen sunt, vt si non omnia simul, eorum tamen multa Anicię stirpi, cum non paucis alijs familijs sint communia; quippe quod ex quocunque genere, atque instituto vitæ gloriam quæsieris, multæ familię ea recensere queant, propter quę & ipsorum genus eximijs laudibus extollatur, ac nomen ęternitati commendetur. At verò in Aniciæ progeniei laudibus, quid, quale, & quantum est illud, quod Anicius Iulianus, exemplis maiorum suorum incensus, cum nihil obscurum, aut inane cogitaret, sed excelso animo alta peteret, illustriaq; plenaque dignitatis & glorię, id præstitit, vt non solum præclaram suorum progenitorum laudem retineret, verum insuper, vt primus ex familijs Consularibus Christi fidem amplexus, nouum, atque omnium præcipuum decus in Aniciorum prosapiam inferret? Qua de re Prudentius aduersus Symmachum sic ait:

Fertur enim ante alios generosus Anicius vrbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta iactat. &c.

Pręterea, & illud Anicię familię est singulare, quod suprad. Anicij Iuliani duo ex filio nepotes, nō minus Auitę virtutis æmuli, quam Paternarum diuitiarum hæredes, exemplo nunquam antea audito, postea nunquam viso, imo & eodem anno ac die Consules creati fuerunt, de quibus Claudianus Panegyricum canens inter cætera sic inquit:

Iam

Iam noua Germanis vestigia torqueat annus,
Consulibus, lætique petant exordia menses.

Et ad finem:

Omni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit: exactum numquam memorata per ævum,
Germanos habuisse Duces.

Quodque Aniciæ Familiæ maiori laudi est tribuendum, meritis id Patris Probi, de Imperio Romano optimè meriti consecutos esse fratres adolescentes, idem Claudianus pluribus tradit. De hac autem antiquissima, & nobilissima familia R.P. Cæsar Baronius nonnulla scribit Annal. Eccles. tomo 4. circa libri finem, quæ hic recensere longum esset. Non enim instituí Aniciæ domus celebrare encomium, cui nec Demosthenes par fortasse fuerit; quare mihi satis erit leuiter hæc attigisse, & quasi intento digito præcipua capita indicasse, vnde potissimum summæ, singulares, ac propriæ huius Illustrissimæ familiæ laudes existunt. Quamobrem nullus æquus censor negabit plurimos ex Anicia familia, varijs, ijsque maximis honoribus, ac dignitatibus, tum Ecclesiasticis, tum Ciuilibus iure optimo fuisse decoratos, atque rebus præclarè gestis id maximè demeruisse, vt ex ea multorum populorum moderatores eligerentur, multique ex ea in multas Prouincias dominationem haberent; quinimo cum & Romana Respublica, atq; adeo Ecclesia

Catholica, horum fuerit opibus magnopere ſuſtentata, ac præclaris uirtutibus illuſtrata, merito, & nonnullos de eadem familia ad Imperij Romani faſtigium fuiſſe ſubleuatos. Vnde poſtquam munus eligendi Romanorum Imperatorem ad Germanos Principes fuit delatum, Diuino conſilio factum exiſtimo, vt duo fratres Anicij, Comitis Auentini filij (de quibus infra in Genealogia Auſtriaca dicemus) in Germaniam venirent, ibiq́ue ſedes, ac domicilia collocarent: neque ſolum agros frugiferos, Villas magnificas, poſſeſſiones vberrimas, optimaq́ue, & feraciſſima prędia compararent, ſed & illius populi animos ſibi deuincirent, ac inſuper ad honorem, gradumq́ue Comitis, quem Romæ habebant, etiam in Germania, Comitis, Ducis, atque Archiducis nomen, & adminiſtrationem adiungerent, ac demum Imperij Romani gubernacula denuò tractarent. In hanc ſententiam R.D. Gilbertus Genebrardus publicus Hebraicæ linguæ profeſſor Pariſijs, diuinitus accidiſſe ſcribit, vt quo tempore Ottomannorum, Chriſtianæ Reipubl. pernicioſiſſimum Imperium, exoriebatur; eodem etiam Auſtriacam Aniciam progeniem in Germania extuliſſe, quę ſucceſſu temporis Romani Imperij, Regnorum Hungariæ, Boiemiæ, ac demum Hiſpaniæ, atque aliorum Regnorum, & Prouinciarum habenas adepta, Turcarum immanes

nes vires refrenaret, & furentes impetus retardaret: hoc ipsum prouidente, videlicet, Diuina bonitate, quę iam inde ab incunabulis Ecclesiæ militantis semper nouis morbis, noua remedia submministrare consueuit. Sicut enim Anicia familia, omnibus familijs Consularibus laudem hanc prę-ripuit, vt omnium prima Christi fidem susciperet: ita & in eadem semper conseruanda, familijs quibuscumque antecellit: quippe quæ à maioribus sibi traditam religionem non solum summa firmitate, ac constantia perpetuo retinuit, sed & in hoc omnem operam posuit, & ponit, vt eadem apud alios vera, sinceraq; permaneat; atq; ij qui à recta credendi semita deflexerunt in eam reuocentur, seq; recipiant ad Ecclesiæ Orthodoxæ societatem, & vnitatem. Quare credendum existimo, prę-clarissimam Aniciorum progeniē, diuino planè consilio in plures familias sparsam, atque diductam, vt à stirpe generis, ac seminis, quamplurimis populorum rectoribus, integra illa, & incorrupta Religio, quæ in progenitoribus fuerat ingeneraretur: itemq; credendum, eandem prosapiam Diuina prouidentia latissimè fusam, ac per diuersas regiones propagatam, ut inde in varijs Orbis partibus posteri ad susciendam magno animo religionis nostræ defensionē exsuscitarentur. Sed vt redeam ad id vnde cępi, tametsi & bonis & malis propriam, nulloq; fine terminan-

dam mercedem, in futuro seculo Deus reposue-
Psal. 5. rit, tamen quia vt ait Propheta: *Odit Deus omnes*
Psal. 14. *qui operantur iniquitatem*. Et contra, *Beneplacitum est Domino super timentes eum*. Atque vt alibi le-
1. Reg. 2. gitur: *Quicumque honorificauerit me, dicit Dominus, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles:* Ea propter quemadmodum inter bonos, & malos, dum lucis huius vsura fruuntur, maxima est morum differentia; ita frequenter inuenitur in vtrisque, etiam in hoc mundo, non parua diuinæ retributionis dissimilitudo. Hinc aliquando Deus, & à malis, dum adhuc inter homines agunt, pœnas repetit, & bonis varia dona, gratiasque largitur, idque plerumque etiam eo consilio fit, ut mali resipiscant, & se ad frugem bonam recipiant; boniverò maiores progressus in virtutibus faciant, & magis, ac magis ad amandum Deum accendantur, atque interim adim-
Psal. 57. pleatur, quod ait Psalmista: *Et dicet homo si vtique est fructus iusto, vtique est Deus iudicans eos in terra*. Atque licet hæc sacras euoluenti Scripturas, luce Meridiana clariora reddantur, fieri tamen solet, vt nostrorum temporum additis exemplis, ea memoriæ tenacius infigi, atque efficacius inde affectus moueri conspiciantur: Quamobrem, vt præsens aliquod, atque viuum proborum exemplum adscribatur, vnicum Aniciæ familiæ non modo grauissimum, atq; præstantis-

simum,

tissimum, sed etiam instar omnium esse puto. in qua familia, siue procreationem naturalem, siue generationem spiritualem attendas, iam tot seculis fuit, & etiam nunc est cernere, tanquam in Arbore aspectu iucundissima, toto anni tempore, alios fructus mites iam, & ad maturitatem perductos, alios matureſcentes, alios pubentes adhuc, & in primum florem se intendentes; adeò vt quam maximè, ac præcipuè in hanc familiam quadrare videatur id quod ait Propheta: *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.* Ex hac familia cum tibi nasci contigerit, PHILIPPE Rex potentissimè, idemq; verè Catholicè, gaude tanto Dei beneficio, nec enim in minimis ponendum est claris ortum esse natalibus, quod virtus quædam procreationis in sobolem infundi, & permulti ex parentib. cum vita, quædam etiam generositatis initia, & virtutis igniculos accipere credantur, quibus non mediocriter ad patrium decus amplificandum incendantur. Atque cum hac de caussa lętus, ipse tibi de tua prosapia gratulabere, simul etiam exiguum hunc nostri laboris fętum gratum tibi fore uehementer confido; præsertim, cum in me, & in Casinensem Congregationem vniuersam tuis exigentibus meritis, opus hoc qualecunque, tibi potissimum debeatur. Itaque qui- *Psal.* 111.

bus de cauſſis tibi præ cæteris has lucubrationes offerre auſi fuimus, eiſdem adductum iri te, nihil ambigimus, vt eas in lucem ſub Auguſti nominis tui præſidio tutelaq; prodijſſe patiaris. Quæ cum glorioſiſſimam tuorum Progenitorum memoriam, non ſine magna delectatione ſubinde refricabunt, tum multò magis exultabis, quod Deus eam tibi mentem dederit, qua ad omnem virtutem propenſus, in tuis cogitationibus hanc primam, & antiquiſſimam haberes, nihil vt ageres, quod ab honeſto diſſideret, nihil vt in omni vita præter decus, & antiqua maiorum tuorum inſtituta animo agitares. Quibus cogitationibus, ac curis ſedulo intentus, adſpirante Diuina bonitate, id conſecutus es, vt ad ornamenta quælibet, quæ tibi à maioribus tuis omni decore affluentibus abundè ſuppetunt, ipſe quoque non parua, nec pauca adiungeres, quę ad poſteritatem redundarent, vtpotè qui nobilitatem, & gloriam à maioribus acceptam, multis acceſſionibus tradis inſigniter poſteritati cumulatam. Pro hac autem eximia in te Diuina liberalitate, maximas Deo agendas eſſe gratias intelligens, æquum eſt, vt & Sanctiſs. BENEDICTO non parum te debere fatearis. Namq; credendum eſt, pro illa charitate quæ Beatos ne tum quidem deſerit, cum ſpes & fides ſuum finem conſecutæ deficiunt, credendum dico eſt, D. BENEDI-

CTVM

CTVM è Cœlo in ſuos intuentem, aſſiduis hoc à Deo precibus exorare, vt eadem cum ipſo ſtirpe procreati, per maiorum ſuorum veſtigia gradiantur, vtque in vero DEI cultu, non tantum ipſi ſe, populosq; ſuos contineant; verumetiam Catholicæ Fidei defenſionem, & amplificationem, primam ſibi omnium rerum putent. His autem D. BENEDICTI precationibus, quis dubitet, obſecrationes ſuas adiungere, alios complures Sanctos, vel ob coniunctionem ſanguinis, ab D. BENEDICTI conſanguineis acceptam, vel ob generationem ſpiritualem, ab ipſo met S. BENEDICTO exortam, eiuſdemq; veſtigijs impreſſam, & conſignatam? Quamobrem, cum pro tua in Deum Religione, in Diuos reuerentia, in Eccleſiaſticos veneratione, atque in Catholicos omnes voluntate, omnibus, omni officio, ac pietate ſatisfacere ſtudeas, conficitur, vt ij, qui D. BENEDICTI inſtitutum amplexati, in ipſius familiam ſpiritualem, atque adeo in ſtirpem Aniciam Metaphoricæ ſunt inſerti, non immeritò beneuolentiam quandam, atque gratiam ſingularem apud te, ſibi polliceantur. Inter quos Caſinenſis Congregatio non iniuria primum ſibi locum vendicat, quod nimirum in D. BENEDICI Patria ſit orta, & in ea Monaſteria, aliaque loca ſuccèſſerit, quæ Sanctus ipſe, vel exſtruxit, vel incoluit, vel editis ante, ſiue poſt

mortem miraculis, gratissima sibi demonstrauit. Hac autem præclara de te existimatione, multis in Casinensem Congregationem officijs, ac meritis confirmata, tuaque in ipsam beneuolentia hucusque satis explorata, gratias tibi agit quam potest maximas; & minimè dubitat, quin consequenti quoque tempore, in eam beneficia conferendo, & ipsam deuincire tibi arctius, & magis; ac magis D. BENEDICTO, Mauro, Placido, alijsque tuæ prosapiæ Sanctis quamplurimis gratificari desideres. Quorum omnium Sanctorum meritis & precibus, eadem Casinensis Congregatio subnixa, & ipsa assiduè efflagitat, vt Deus immortalis ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ firmamentum, quamdiutissimè Maiestatem Tuam tueatur incolumem; ac demum post annos adhuc plurimos in Rempublicam Christianam feliciter insumptos, multorum Regnorum Diademata, quibus in hac vita meritò refulget, cum Coronis cœlestibus & æternis commutans, vnà cum Sanctissimo P. N. BENEDICTO, reliquisque Sanctis, regno perpetuò beatissimam, ac glorioſissimam efficiat.

DE

DE ANTIQVISSIMA ET ILLVSTRISSIMA FAMILIA ROMANA, ANICIA, PROBA, OLYBRIA, PERLEONIA FRANGIPANIA, HABSBVRGIA, AVSTRIA: TRACTATVS.

QVA RATIONE HIC LABOR SVSCEPTVS EST.

§. j.

SOLENT interdum qui Principibus libros inscribunt, in exordio, vt ab illis gratiam ineant, ab vltima origine eorum generis, & antiquitatem, & laudes repetere. Quos ego quamquam improbare non possum, hoc tamen loco minimè in omnibus sequi proposui. Cum enim consilium cœpissem, quædam mea scripta Augustissimo Philippi II. Hispaniarum Regis potentissimi nomini inscribendi; non induxi animum res in pace, & bello præclarè gestas, aut singulares planeque regias virtutes, & cum virtutibus consentientes actiones eius explicare. Siquidem & annalium monumen-

tis

tis illa omnia esse mandata, & eiusdem diuinas actiones, à luculentissimis huius ætatis Scriptoribus consignari, vt monumentis mandentur, maximè intelligebam. Illis igitur prætermissis, generis eius tantum antiquitatem & originem, in præsenti tractare proposui: quippe quod nihil tam potentissimo Regi, Dei Opt. Max. beneficio, sicut uidemus, ad hæc tempora Imperio nato, possit addi, quo illustrior, & amplior esset, vnius solummodo Familiæ suæ, eousque nobilissimæ & antiquissimæ, quæque genus ipsum à Regibus, ac Cæsaribus ductum, virtutibus prorsus Regijs maiorum suorum egregiè conseruat, demonstratione, hactenus à multis ignorata (ob quorundam scriptorum ieiunorum planè somnia, qui ut sese in Principum animos insinuarent, de hac Illustriss. familia multa apocrypha, & auctoritate prorsus carentia, excogitarunt) excepta. Hæc, ut à nobis deducetur, sicut multis noua & inaudita, quibusdam fortassis etiam uidebitur & incredibilis, eo quod S. P. N. Benedictum videlicet, ac Principes Austriacos, uti in epistola dictum, ex eadem esse familia propagatos asserimus, et quos Progenitores ipse habuerit declarantes, ab ijsdem etiam, succedente tempore, familiam Austriacam manasse commonstramus. Speramus tamen fore, quod, cum propositi nostri capaces exstiterint, admiratione, quæ ex ignorantia procedere solet, reiecta, & omnis dubietatis scrupulo depulso, ipsi nobiscum sentire debeant. Id enim vsu venit in singulis hominibus, qui cum virtutes cuiusque cognouerint, tandem etiam de ætate per-

contantur:

contantur: & postquam familiarum integram seriem, atque egregia facta perspexerint, antiquitatem quoque earum, & originem scire desiderant: & tum demum vtrobique acquiescunt, cum effectu suo dignam causam deprehenderint. Ad hanc autem prouinciam, hactenus intentatam, & humeris meis imparem, subeundam; multis quidem grauibus, & legitimis causis, accedente maximè RR. PP. meorum, quibus refragari impium reputabam, obedientia, impulsus sum; attamen nihil adeo acrius me exstimulauit ad originem S. P. N. Benedicti, totiusque Aniciæ familiæ, diligentius inquirendam, ac gratitudinis ratio. Nam sane cum ortus nostri partem patria, partem parentes, siue ij carnales sint, siue spirituales, sibi vendicent: non immeritò prima cura deberi uidetur cognoscendis maioribus nostris, quibus non modo patriam, sed & parentes etiam nostros, tam carnales, quàm spirituales, acceptos ferimus. Hi enim patriam ipsam in qua nascèremur, & renascèremur, sanguine, & sudore suo nobis præparauerunt; Hi parentes nostros, tam carne, quàm spiritu progenuerunt, qui eam ab illis acceptam industria sua excultam, qualis nunc est per manus nobis tradiderunt. Illis igitur propaginem, spiritum, vitam ipsam: illis quicquid ingenuitatis (sunt enim & Religiosi Benedictini ingenui) dignitatis, nobilitatis, habemus; illis imagines nostras, illis insignia, illis gentilitia decora, & priuilegia vniuersa debemus. Quibus proinde, vt omnis incolumitatis, fœlicitatis,

et

& salutis nostræ, geminis auctoribus indagandis, ac pro merito celebrandis, omne officium, studiumque nostrum gratitudinis ergò debemus. Nec verò puerile hoc studium aliquis existimet, aut quod ad inanem quandam ostentationem tantum suscipiatur; nam, & priuatim quoque singulis hominibus conferet, cum non aliundè nobilitatis suæ, certius documentum adducere quisquam possit, quam ex familiæ suæ antiquitate, & maiorum suorum imaginibus, quam altissima serie deductis. Quamuis autem in hoc negotio magnopere laborandum nobis necessarium fuerit, parum tamen id foret, si, quæ vera nos esse arbitramur, ea solum proponenda esse putaremus. Iam vero cum obstantibus opinionibus, dubijs, & controuersijs, ad veritatem aditus non pateat, nisi remotis falsis, præsentem tractatum in particulares quasdam partes, potissimum tres, secauimus. In quarum prima, eorum sententiam, qui Familiam Habsburgicam aliunde deducunt, falsam esse comprobabimus, & obiecta quædam diluemus, quæ à diuersis contra assertionem nostram opposita videntur. In secunda, sententiam nostram ab initio propositam prosequemur, ac dilucidis Testimonijs fidedignorum Historicorum, veram esse comprobabimus. In tertia Aniciæ familiæ antiquitatem, originem, seriem continuatam, eiusque in diuersas Familias sectionem, & diuisionem, apertè demonstrabimus. Ac profiteor equidem me inuitum admodum in hanc arenam protrudi, cum odiosum videri possit opinionem hanc Lazij con-

conuellere, plurium Scriptorum suffragijs Lazio astipulantibus iam confirmatam, & multarum nationum tacito consensu receptam, ac Habsburgiorum ipsorum silentio tam diuturno comprobatam. Interim verò cum veritas in historijs præcipuè spectanda sit, neque Lazio prodesse, neque nobis obesse debet silentium nostrum, cum veritas, temporis longitudine non præscribatur. Nam quod Lazio ex nostratibus nemo hactenus responderit, non rationum, sed scriptorum penuria fecit; cum nullus nostratium historicorum hactenus, quod equidem sciam, in lucem prodierit, præter Volaterranum, qui hanc veritatem comprobare ausus fuerit. Igitur errores de Hasburgica familia, vnde nati sint, Deo fauente, dilucidè declarabimus. Quod quia citra cuiusquam contumeliam facturi sumus, hanc nobis gratiam à benigno Lectore præstari cupimus, vt patienti animo, quæ adferemus accipiat, & vbi acceperit, tum demum iudicet, & quod sibi legitimè probatum esse senserit, sepositis affectibus, candidè retineat.

OPI-

OPINIO EORVM QVI FAMILIAM Habsburgiam Auſtriam, à Pharamundo Franciæ Rege deducunt.

§. ij.

PRAECIPVA huius diſputationis quæſtio hic ſeſe offert, à quibus ſcilicet familia Auſtriaca nobiliſsima originem traxerit. Nonnullorum enim, qui à Pharamundo Francorum Rege eam deducunt, opinio eſt quaſi communis, quæ ex quadam potius aſſentatione quam quod ueritate ſubnixa ſit, nata eſt, & per manus tradita, ad hanc uſque noſtram ætatem irrefragabilis apud nonnullos perſeuerat. Huius ſententiæ coriphæi & anteſignani feruntur; Ioannes Stabius, Vuolfgangus Lazius, Iacobus Spiegelius Seleſtadienſis, & Michael Eyſingerus, Auſtriaci, & quidam alij recentiores non contemnendi ſcriptores, qui familiam Auſtriacam Habsburgiam, à Pharamundo Rege Franciæ de Patre in filium, aduſque Philippum & Rodulphum ſecundos deſcendere aſſerunt. Et Stabij quidem in Arbore Pharamundica Habsburgica, ac Eyſingerij in prima theſauri principum parte, uerba hæc ſunt:

Nota nonnullos dixiſſe Albertum hunc Rodolphi patrem è familia Leonum Romæ ortum habuiſſe, quę quidem domus Romæ illuſtrior fuit temporib. Summorum Pontificum Alexandri II.

Gre-

Gregorij VII. & Vrbani II. eratque in monte Auentino, non procul à Sabellis sita, in qua tunc probati quidam Ciues extitere non mediocris famæ Reipublicę Romanæ rectores, nominatim Petrus, Leo, & Petrus, Petrileonis filius. Ex hac domo quempiam hominem quam opulentum in Ergouia venisse ferunt, ac arcem illic extruxisse nomine Habsburgum, quasi Auensburgum, aut Auentisburgum, nempè quod Auentinum montem Romæ repręsentaret. Et inde Comites ab Hasburg, postea Alsatiæ Lantgrauios, & deinceps Imperatores, Duces, Austriæque Archiduces, descendisse. Quæ res à vero plurimum distat, potissimè si attendatur Habsburgum vnde illis nomen est, non illud esse, quod in Ergouia iacet, verum mons Romaricus nunc appellatur, ac diu antequam Hasburgum in Ergouia erectum esset, Hasburgum vocabatur, quemadmodum fundationes, & eiusdem loci dotationes per dictos Comites factas in Diui Romarici memoriam, liquidius ostendunt. Qui nempè Comites in eius recordationem alterum eiusdem nominis in Ergouia construxere. Adiecto quod nominis huius Habsburg, mentionem à Roberto Guaguino factam reperietis. In vita scilicet Ludouici Cæsaris, Caroli Magni filij, à cuius Ludouici diebus, vsq; ad Alexandri Papę tempora plusquam centum & sexaginta anni fluxere. Quantum autem

tem ad eos Leones Romanos, quamuis in ea re Volaterranus, quidamque alij nonnihil diuinent, notum tamen est id non consentire cum ijs, quæ perplurimorum Monasteriorum fundationes, ac dotationes diuersis Ecclesijs per dictos Principes antiquitus factas, simul ac vetustioribus in sepulturis comperiuntur. Potentes enim iamdiu fuerant ab Habsburg Comites, ac regnauerant in Ergouiæ, SunKo, Brisgoiæque dominijs, alijsque circumiacentibus patrijs, antequam Romæ de Petro, alijsque personis memoria haberetur.

Hæc illi: Non multò absimilia refert Spiegelius in scholijs, ad librum primum Poetæ Ligurini, sic inquiens:

Nec nos mouere debet quorundam stultitia, suam originem ad Romanos referentium; qui si scirent, nullam in Italia nobilitatem esse, quam non Germani eo aduexerint, non haurirent aquam è riuulis, ipso fonte contempto. Ridiculum sanè quod Volaterranus, Diui Maximiliani Augusti progenitores, ait fuisse quosdam, nescio, Perleones Romanos, cum pura puta sit è Francorum sanguine Principibus Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Holandiæque origo.

Et lib. 12. Scholiorum in Austriados Richardi Bartholini Perusini, eadem ferè repetens, nulla alia verba profert, quam, quæ à Volaterrano adferuntur. Hoc eorum fundamentum debile, & nullius ferè roboris; non enim hoc loco verbis agimus, sed demonstrationi-

bus,

bus, & probationibus: neque teſtibus hic quicquam tribus, aut quatuor proficitur, cum in contrarium teſtes longè plures ſuppetant, neque etiam teſtibus res agenda ſit, vbi veritatem acta, & monumenta declarant, vti in ſequentibus videbitur.

EX PHARAMVNDICÆ LINEÆ defectu, Lazium non rectè Habsburgios Auſtrios à Pharamundo deriuare.

§. iij.

IMPRIMIS, cum omnibus perſpicuum ſit, ijs maximè qui rebus Gallicis legendis delectantur, Clodioni Capillato, non filios (à quibuſdam enim ijsque potioribus nulli liberi ei attribuuntur, ab alijs verò tribus ſcilicet, vel quatuor, tres ei fuiſſe feruntur) ſed Meroueum affinem ſucceſſiſſe (inter cuius & filiorum Clodionis hæredes perpetuum, & implacabile odium exarſit per annos 300. & amplius, vſque ad tempora ſcilicet Pipini Breuis, Caroli Magni patris, qui rectam lineam ab ipſo Clodione trahebat) non potuit hæc familia à Pharamundo recta linea perduci, ſed potius à Meroueo; falſitatis igitur arguuntur, qui eam à Pharamundo deducunt. Gregorius enim Turonenſis Epiſcopus, Hiſtoricorum ſui temporis facilè princeps, hanc veritatem lib. 2. cap. 9. annalium Francorum his confirmat uerbis:

Clogio autem missis exploratoribus ad Vrbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem adprehēdit; in qua paucum tempus residens, vsq; Suminam fluuium occupauit. De huius stirpe quidam Meroueum regem fuisse adserunt, cuius fuit filius Childericus. *Eius sententiam sequitur Annonius Monachus, lib. 1. c. 6. annal. Fran. sic inquiens*: Post hęc Clodione rege vita decedente, Meroueus eius affinis, Regni Francorum gubernacula suscepit. *Approbatur id, & à Nauclero tomo 2. generat. 15. in fine, hoc modo:* Anno Domini 449. vel secundum alios 50. Clodius 20. sui Regni anno vita excessit, nullis liberis relictis, vt refert Robertus Gaguinus. Qui autem illi sanguine propior attinebat, Meroueus, regno prefectus est, à quo vsque ad Pipinum, Caroli Magni patrem, series generis Regum perseuerat. *Consentit & Berardus di Gherardo nobilis Burdegalensis in elogijs Regum Franciæ, qui cum de Meroueo loquitur, hoc eum encomio adornat;*

Hunnos, & Gotthos vicit Merouęus, & orbem
Liberat exitio, haud Clodionis filius, illo
Non minor, at simili dignus patre, Magnus vterque.

Hieronymus etiam Gebuilerius cuius auctoritatem plurimum facit Lazius, libro de libertate germaniæ, cap. 2. consentientia habet, sic inquiens:

Pharamundus, Marcomiri Ducis filius, natione Ger-

Germanus, primus (ut dixi) Francorum Rex constitutus, cum vndecim annis regnasset, vitam morte commutans, filium reliquit Clodium, cognomento Capillatum, seu Crinitum; qui patri hęres succedens, augendi regni desiderio, cum adhuc in Germania angustis finibus arctaretur, Thuringos sibi finitimos ditioni suę adiecit, occupato Tuisbhurgo oppido, quod Tuisconis, primi Teutonum regis olim regia fuit. Vbi regni sede constituta, Gallos postea inuadens, quatuor lustris Francorum Regni habenas moderatus, sine liberis diem clausit extremum. Quocirca Meroueus Princeps, & Francogermanus, illi sanguine coniunctior, regio diademate insignitur, in cuius progenie fasces regij, vsque ad Pipini pusilli tempora continuantur. *In historia quoque cuiusdam Anonymi de Lantgrauijs Thuringiæ, cap. 4. sic legimus:* Anno Dominicæ Incarnationis 426. regnante Theodosio Imperatore, Romani nimium cœperunt defluere, & in potestate deficere, & Franci cęperunt crescere. Quapropter Franci ipsos officiatos Romanorum, vndique de Francia, scilicet à Rheno vsq; ad mare Occidentale, expulerunt, etiam aliquos occiderunt, & sibi iterato inter se Regem creauerunt. Qui in breui tempore omnes prouincias Galliæ, à mari vsque ad mare suo subiugauit imperio. Hoc audientes Thuringi, ab altera parte Rheni habitantes ad Orientem,

de consilio Regis Francorum Meruuigum cognatum Regis Francorum in Regem sibi elegerunt, qui castrum construxit in monte, vbi nunc est Monasterium S. Petri in Erfordia, & castrum propè Erfordiam, vbi nunc est Ecclesia S. Dionysij, quod vulgares nominant Meruuersburg. Post Meruuigum regnauit in Thuringia Bassinus, cuius vxorem duxit postea Hildericus Rex Franciæ.

Quis autem fuerit iste Meruuigus, demonstrat nobis quidam Monachus Erfordensis in appendice ad Lambertum Schasnaburgensem, circa finem, vbi sic ait:

An. DCXXXVII. Dagobertus Rex Christianissimus construxit Monasterium in Erffort, in monte quem antiquitus vocant Meruuisburg, à Merbizo pagano Rege Francorum, qui filius fuit Meruuigi Principis de Thuringia, & tritauus eiusdem Dagoberti Regis: deletoque paganico nomine eiusdem Vrbis, vel montis, S. Petri nomen nuncupauit, ibique Monachicam vitam, sicut iam pari modo in Felsenburc fecerat instituit.

Huius vero diligentissimi Monachi sententia ita aperta, & clara est, vt omnem prorsus dubitationem de Clodione, Merouei (vt aiunt) patre, in animis plurimorum iam à multis seculis conceptam, longius remoueat; Patrem enim ipsius Merouei (quem Merbizum proprio vocabulo Germanico appellat) prodit, & ne aliquis scrupulus remaneret, eundem Merbizum tritauum ipsius Dagoberti Regis fuisse asserit, ne de alio aliquo

quam

quam de ipso Meroueo ipsum loquutum fuisse putaremus; quod ipsum, vt facilius comprehendatur sequentem prototypum hic apposuimus, vt ex genealogiæ descriptione veritas ipsa cognoscatur.

Meruuigus Rex Thuringiæ,
à quo genitus:

Tritauus — Meroueus, siue Merbizus, Rex Francię ——— Pater.

Attauus — Childericus, Rex Francię — Filius

Abauus — Clodoueus, Rex Franciæ Primus Christianus — Nepos

Proauus — Clotharius, Rex Francię — Pronepos

Auus — Chilpericus, Rex Francię — Abnepos

Pater — Clotharius II. Rex Francię — Atnepos

Filius — Dagobertus, Rex Francię — Trinepos.

Nouissimè omnium (multis alijs, euitandæ prolixitatis gratia, Doctoribus fidedignis omissis) Dominus Franciscus Belforestius, Nobilis Comingensis, Regisq; Galliæ Historiographus, in primo magnorum annalium suorum volumine, lib. 1. c. 2. 4. & 29. non solum probat Meroueum Clodionis filium non esse, verumetiam totam hanc genealogiam, à Lazio & sequacibus descriptam, falsam, apocryphan, nullis veterum auctorum auctoritatibus fulcitam, dignamque quæ ab omnibus, tanquam anilis, & futilis explodatur his, Gallicis verbis demonstrat: & primo cap. 1. lib. 1. Clodion le cheuelu, decede sans hoirs masles, laissant filz de ses filles seullement, succede Merouee, son prochain parent: *Id est*, Clodio Capillatus, sine hæredibus decedit, filijs filiarum suarum tantummodo relinquens, succedit ei Meroueus sanguine coniunctior. *Et cap. 4.* En l'an donc de grace 448. Meroue fut faict tuteur & regent, & des Enfans, & des terres, & subiets de Clodion: & par ainsy n'est à receuoir Lazie en ses migrations, qui faict, Meroue filz de Clodion, ou à tout le moings yssu de la femme du Roy susdict, accoinctée dene scay quelle Bellue Marine, ayant ressemblance d'vn Toreau, sy bien que l'enfant lors qu'il naquit portoit les marques de la Bellue, & pource on l'appella Meruieth en langage du pays. Mais comme la narration est fabuleuse, aussy ce qui s'en ensuit est à reietter, ueu

que

que nul des anciens nous paye de monnoie sy peu sortable, & que Gregoire de Tours, qui viuoit soubz les Merouinges, ne dit pras que Meroue fut filz de Clodion, ains seullement de sa race : & autant en tesmoigne Aymon Moisne, qui sont des plus anciens, que nous ayons pour l'asseurance de l'histoire Franchoise. *Hæc Belforestius, cuius verba de verbo ad verbum Latinitate donata, hunc sensum habent.* Anno igitur gratiæ 448. Meroueus factus est tutor & rector, cum filiorum, tum etiam terrarum, & subditorum Clodionis : & ideo recipiendus non est Lazius in suis migrationibus, qui Meroueum Clodionis filium facit, aut saltem ex vxore eius egressum, ex commixtione nescio cuius Belluę marinæ, speciem Bouis refigurantis : ita quod à maculis ipsius Belluę, quibus respersus inuentus est in ipso ortu suo, Merbizus lingua patria sit appellatus. At sicut narratio est fabulosa, ita & consequentia reijcienda, cum nullus antiquorum huiusmodi mendacia vnquam excogitarit : & Gregorius Turonensis, qui sub Merouingis vixit, Meroueum Clodionis filium fuisse non asserat, sed tantum sanguine coniunctum ; Et eadem testatur Aimonius Monachus ; qui duo sunt antiquiores omnium quos habeamus pro stabilienda Historia Gallica : *Hæc ille :*

Atque ex his quidem, quæ dicta sunt, hactenus

satis euidenter patet errare eos, qui contendunt Habsburgios Comites, vnde Austriaci Duces, ab Rege Pharamundo Franciæ recta linea deduci, cum eius filius Clodio, hæredes masculos non habuerit: & licet tres habuisse legamus apud Vuassemburgium, & Rosierium, sunt illi fictitij, magisque credendum Gallicis Historicis, qui vnanimi ferè consensu Clodionem filios nullos reliquisse asserunt, sed filios, siue nepotes ex filiabus tantum; quod si aliqui illi fuissent nequaquam à Gregorio Turonensi, qui illis temporibus vicinus fuit, fuisset id silentio præteritum. Ideoque nunc restat, vt consimiliter etiam, cæteros, quotquot sunt, errare declaremus, qui Austrios Principes, à quodam Sigiberto descendere contendunt.

LA-

Austriios à Sigeberto deducere, & falsus confirmare.

§. IIII.

INSVDAVIT plurimum Lazius, sed frustra, in commentarijs Austriacæ Familiæ, vt opinionem à se nouiter excogitatam de nescio quo Sigeberto, qui tamen vt omnium ferè est opinio inter viuos nunquam connumeratus est, aliquo fundamento solido stabiliret; quod cum non posset, Comites Habsburgos nunc ab ipsis Regibus Franciæ per suum Sigebertum deriuat, nunc vero per lineam Atticonis Comitis, Leuterici cuiusdam filij, propagat: egregieque in prima sua sententia impingens, vix septimam generationem attingit, cum loquens de Ramprechto, siue Reynperto, quis eius pater fuerit ingenue fatetur comment. lib. 1. cap. 6. sic inquiens:

Ramprechtus igitur, à maiestate laudis sic gentilitia lingua nuncupatus, quem alij Reynpertum, & Reynprechtum vocant, siue Hettoprechti filius extiterit, siue Liuthfridi Comitis Sundgouiensis de genere S. Otiliæ, à Comite Habsburgense adoptatus, in possessionem equidem missus est omnium eorum, quæ cum Habensburgenses, per Herciniam Siluam in Brisgouia, & Iura monte, tum vero Atticouis Ducis posteri in Alsatia, obsequio

im-

imbuta habuerant prædia, &c. *Et infra:* De cuius rebus gestis ac matrimonio nihil reperi. *Adderet quoque, & de filio quem Guntrammum appellat, nam si res gestæ patris eius, ac matrimonium obscurum, proculdubio & filij. An non ei & Sigeberti primi Habsburgicæ lineæ patris, filius obscurus? quem aliquando Sigebertum, quandoque Theodebertum, aliquoties, Ottobertum appellat? & prorsus nesciens quid dicat, eundem Theodebertum, loco citato, quis fuerit ignorare se dicens, ipsi omnino accidit, quod & quibusdam alijs, qui affectibus obcæcati, pro veritate, quam promittunt, Lectori sua commenta obtrudunt, vt faoit hic Lazius, qui Theobertum nunc patrem, nunc fratrem Ottoberti, necnon & quandoque ipsius Sigeberti sui exulis filium facit. Assertionis huiusce suæ causam velut ex euentu reddunt nonnulli eius defensores, qua serum fuisse dicunt inter Germanos litterarum vsum, & idcirco primos istos rerum Germanicarum Scriptores maiores suorum origines dubijs, & fabulis plerunque condiuisse; cum præscriptum nullum haberent, quo coargui possent. Atqui horum censorum plerosque ego non tam ad veteres fabulas conuellendas, quam ad condendas nouas prosilire deprehendo: Nam quod consilium huic instituto magis idoneum excogitare possis, quam vt luxanda alterius fide tuam stabilias? Quod si inter veteres aliqui reperiuntur fabulosi, an igitur inter recentes inueniuntu nulli? Si autem vtrobique, & boni sunt & mali, utrobiq; nimirum delectus habendus est, vt nec reij-*

reiçiatur aliquid temere, nec recipiatur; ſed tantum fidei quiſque obtineat, quantum argumentorum ſoliditate meretur. Cum igitur non Scriptorum tantum auctoritate, ſed ipſa rerum veritate ſit ponderanda fides in Hiſtorijs, nemo Lazij præiudicio moueri debet, qui non probat id quod dicit: nec enim ſufficit magnis conuicijs, & cachinnis veluti fabulas exagitare, niſi dictis præſto ſit legitima ratio. Iam vero qualis ſit illa Lazij audiamus, qui in epiſtola dedicatoria ſuorum commentariorum ſic egregiè, vt non dicam falsè, adinuentum ſuum ex Gregorio, & Aimonio comprobare conatur.

Quorum quidem, *inquit*, Turonenſis hęc nominatim adnotauit: Eo tempore Childebertus Rex Auſtriæ habebat duos filios, ſeniorem ex concubina nomine Theobertum, iuniorem vero ex Regina nomine Theodericum, ipſumque cum Auia ſua Brundehilde, in Burgundiam, in Regnum Guntrami Regis magni direxit. Brundehildis verò quotidie peiora conſilia ipſi Theoderico miniſtrabat dicens; quare negligis, & non requiris Theſaurum patris tui, ac Regnum eius de manibus Theoberti vindicas, cum ſcias eum non eſſe fratrem tuum: quia in adulterio de concubina patris tui natus eſt? Hæc audiens Theodericus, fero vt erat corde, magnum exercitum contraxit contra Theobertum germanum ſuum dirigens ad Tolbiacum Caſtrum. Vbi fortiter pugnantibus, Theobertus læſum cernens exercitum

ſuum,

ſuum, in fugam conuerſum, Coloniam Ciuitatem ingreditur. Et rurſus Theodericus, cum peruenisſet Tolbiacum, cum exercitu Arduennam tranſiens; Theobertus frater eius, cum Saxonibus, Thuringis, ac cæteris gentibus, quas poterat vndiqúe vltra Rhenum adunare contra Theodoricum, Tolbiacum perrexit; ibiqúe denuò commiſſum eſt prelium. Fertur autem à Francorum, cęterisqúe gentibus antiquitus tam fortè nec aliquando prælium fuiſſe cœptum. Illic quoque tanta ſtrages ab vtroque exercitu facta eſt, vt phalanges initio certaminis inuicem preliabantur, vt cadauera occiſorum vndiqúe non haberent, vbi iacerent, ſed ſtabant mortui inter cadauera cætera ſtricti, quaſi viuentes. Captus eſt Theobertus in ipſo prelio, & vinctus Chabilonem deſtinatur: Filius eius Merouæus paruulus, iuſſu Theodorici adpręhenſus, ad quandam petram percutitur; qui cerebro contuſo, ac capite fracto, emiſit ſpiritum. Sigebertus verò filiorum maximus quorundam conſilijs reparatis viribus in Territorio Campaniæ Catelaunenſis agri ſuper fluuium Coxonam veniens, cum Theoderico ſimul, & Chilperico certans, ſuperatus aufugit.

Deinde proſequitur:

Quorum exordia luculentius paulò, ab eodem

Si-

Sigeberto, similiter vt Turonensis, Annonius etiã antiquissimus Franchorum Chronographus repetit his verbis: Theobertus autem Rex miserabili morte peremptus, tres filios, & vnam, (vt legitur) speciosissimam filiam reliquit: Sigebertum videlicet, Guntramum, & Lotharium, nomen filiæ nunquam reperi. Rex verò Theodericus Coloniam ingressus, præscriptos duos filios iuniores fratris, Lotharium, Guntramum, & sororem eorundem, ad Ciuitatem Metensem captiuos misit. Quibus crudeliter Auia Brundehildis occurrens, nimio succensa furore in odium genitoris occisi super eos irruit, & nepotes adhuc paruulos manu propria interfecit. Sigisbertus autem natu maior, Theoberti filius quorundam Ciuium Coloniæ auxilio submissus per murum secretissimè transmisso Rheno, in habitu scolaris aufugit: veniensque in Franciam Orientalẽ, apud cognatos suos Gundoaldum, & Gotofridum Duces Francorum, circa mœnum in Vuicizburg, Principantium, aliquot annis latuit incognitus. Qui tandem post obitum Regis Theoderici, principum interuentu, Ducatu in Alemania Superiore, quę nunc dicitur Transiuram, donatione Lotharij Regis accepit; sed neq; nomen Regni, nec Diadema portare, more parentum suorum permissus est, & mansit sub Ditione Regum Francorum, genuitque filium nomine Patris sui Sigebertum.

Hacte-

Hactenus Lazius, non ex Gregorio Turonensi, aut Aimonio Monacho, sed ex sua adinuentione locutus est: qui vt furtum suum callidè cælaret, viamque intercluderet fraudis agnoscendæ, citationem librorum & capitum, vbi hæc reperirentur astute emisit, quam aliquo postmodum colore cooperire volens, quædam alia ex Aimonio de verbo ad verbum accepta recitat, & diligenter vbi hæc reperiantur, lib. 4. scilicet cap. 6. diligenter annotat. Sed mihi hunc Lazij locum sæpius relegenti, nunquam suboleuit hæc techna, proinde quare eius vestigijs non insistam, duplex me occasio impulit. Primum, vt Gregorium Turonensem, & Aimonium Monachum à maculis uindicarem; deinde ut fontem obturatum reserarem, ex quo pendet vera ratio de origine Habsburgiæ gentis, cum illud ad familiæ Aniciæ Benedictinæ illustrationem necessarium sit. Quam indignum autem sit personis Gregorij, & Aimonij, credulitate lectoris occüppati ad hunc modum abuti, iudicabunt alij. Discant autem hinc exemplo Lazij, qui veritatem quærunt, non temerè aliundè citatis auctorum testimonijs fidere, sed fontes ipsos inspiciant, cum Lazium, si scriptor serius esset, sui meritò pudere deberet, qui quorundam aliorum allegationibus confisus, vel certè, vt lectori illuderet, Turonensem & Aimonium non inspexit, nec legit, & proindè hic turpissimè errauit. Quod proinde factum Lazij, ob singularem, ac præsentem absurditatem, equidem non video quanam alia ratione excusari possit, quam ioco, quo errores alienos, siue proprios,

quasi

quasi per Antiphrasim tuetur. Quod igitur hic Lazius, vt & alibi aduersus alios nugatus est, cum nec uerbum quidem eorum quæ retulit apud Aimonium, & Turonensem legantur, id neque Lectori sano credendum, neque nobis refellendum est, vtpote quod in opere ioculari non docendi, sed delectandi Lectoris gratia lusum est. Alioqui enim quis hominem quenquam, nedum Lazium, tam impudentem fore credat, vt serio cunctis penè Historiographis fidem adimeret, sibi soli assereret, etymologijs fermè vbique sua probaret; quibus etiam rectis, ac sinceris, nedum commentitijs, & ex populari lingua confictis, nunquam vir modestus vllus multum tribuit: ea deniq; negaret, quæ omnes probant; & assereret quæ omnes negant? Ex his Lector videt quo studio Lazius versetur in celebranda Illustrissima ac Nobilissima Familia Habsburgica, eo nimirum, vt tu dubites, vtrum ne de Habsburgijs, an de Germanis suis peius mereatur. Habsburgios enim proceres ab impurissimo Spurio Theodeberto, eiusque filio Sigeberto exule propagat, & legitimis ipsos natalibus priuans, etiam patriam suam gloria, & virtutis elogio spoliat. Auctoribus suis interim, quorum testimonia falsa ostentat, vim ac fraudem facit. Aimonium namque transuersim abripit, cui si acquieisceret, Habsburgios Comites natalium legitimorum gloria non priuaret. Gregorium Turonensem obtorto collo trahit, apud quem cum Sigebertus nullus Theodeberti filius exstet, confidentissime, imo, & falsissimè, dicit de Sigeberto illo exule illum loqui.

Quod

Quod quam à veritate sit alienum, sola temporum ratio apertissimè demonstrat. Nam cum Gregorius mortuus referatur anno Domini 594. non potuit de morte ipsius Theodoberti Regis quicquam scribere, cum ipse Theodebertus, filijque eius Sigebertus, & Corbus, occisi sint, omnium consensu, anno à morte Gregorij vigesimo secundo transacto, id est Christi 617. Nec auctor Appendicis ad Gregorium, qui alioquin fusè & diligenter mortem Theodeberti, & filiorum eius Sigeberti, & Corbi pertractat, quicquam de hoc Sigeberto exule proloquitur. Valeat igitur auctoritas Lazij apud illos, qui commentis eius legendis delectantur, audiantq; non meam, sed eius compatriotæ de eius diligentia querelam; is est Ioannes Pistorius Nidanus S. Theologiæ Doctor, qui in Epistola præfixa Familiæ Marchionum Thuringiæ, sic loquitur:

Nam Lazij indiligentis, & in his rebus planè ieiuni, & inconsiderati scriptoris auctoritas, quæ ad pingendam ineptam certè sententiam obducitur, pondus omnino nullum habet; qui vix vnam Germanicam Familiam, sine vitio tradidit; qui in isto argumento, & in vniuersa illa tractatione, nullo cum studio versari laborem suum, & nulla cum cura voluit, &c. *Et paulò post:* Satis iam, & quid ego de hac re sentirem in medio proponere, ad exacuandam Doctorum hominum diligentiam, & ad paulatim iterum antiquandam opinionem, quæ nullis radicibus inni-

xa,

xa, longè latéque progressa iam esse videtur, & procederet profecto multo longius, nisi gladio vetustatis iugulata, supprimeretur. Qua de causa genealogiam in hoc libro, quanquam propemodum in alieno loco, & primo statim aditu, sententiam meam paucis verbis adscripsi, ad excitandos illos, qui contra me sentiunt, & ad errorem eripiendum, qui in aliquot libris inspersus, multorum iam animos occupauit. *Hæc Nidanus, qui multum laudandus est candoris, ac diligentiæ: Diligentiæ quidem, quod sciens ac volens nihil omiserit eorum, quæ ad decus & honorem patriæ suæ Germaniæ indagare potuit: Candoris autem, quod Lectori fucum facere noluerit, vt fecit Lazius, obtrudendo falsa pro veris. Sed multò magis exosculanda est ingenuitas Franciſci Belforestij, qui Gallus cum sit gloriariq́ue deberet Illustrissimam Familiam Austriam, ex Francorum Regum sanguine propagatam fuisse, profitetur tamen se nihil inuenire pro genealogia Habsburgica, quod satis ex fide à Lazio putet esse traditum; ex cuius verbis intelligitur cognoscere hactenus eum, quod non veris rationibus, sed probabilibus tantum coniecturis Lazius fulciatur. Sed iam quid dicat in magnis annalibus Franciæ, lib. primo, cap. 29. audiamus.*

Telle fut (inquit) la fin du miserable Roy d'Austrasie Theodebert, & des enfans yssus de sa race. Et d'autant que i'ay dit que Sigebert fut sauué, il fault aussy qu'il eut quattre filz, ascauoir, Si-

gebert, Gontran, Clothaire, & Merouè; les trois desquelz furent masacrez par Brunehault. Et il fault scauoir que deuint le quatrieme, suiuant l'opinion des bastisseurs de la famille des Princes Roiaulx d'Austriche. Surquoi ie vous allegueray Vuolphange Lazie, qui (au liure. 1. des commentaires d'Austriche) en parle en ceste sorte, faisant mention des Ducs Austrasiens soubz le Roy Clothaire, second de ce nom. *Post hæc, verba ipsius Lazij interserens, sic prosequitur:* Vous oyez quelle est l'opinion de Lazie sur ce Prince, & sur ceulz de sa famille, quoy que tout les anciens (comme Irenicque lib. 3. de la Germaniæ chap. 34.) tiennent d'vn commum consentement, que tout les filz de Theodebert, furent occis par Theodoric, qui ne vouloit laisser aucun qui peut venger sa mort. Ce qui fera penser à pluisieurs que Lazie, & aultres autheurs modernes s'en sont vouluz faire à croire, sans auoir fondement de l'ancienneté, sur lequel ilz asseurassent leur dire, puis qu'il ne se lyt point es anciens chose aucune de ce Sigebert, ny de sa suite en Franconie. Toutteffois affin qu'on ne pense que ie veuille du tout reietter ce quils escriuent, & commme ilz establissent l'anciennete du sang Austrien, pour le tirer de celui des Merouinges, ie vous en allegueray le discours de genealogie telle qu'ils la paiguent, vous aduertissant neantmoings

moings de croire que ce n'eſt pour choſe aſſeurée que ie vous donne ce diſcours; veu que ceulx meſme qui en ont eſtè les autheurs, n'oſent dire, quel fut ce Duc Sigebert, & qu'il y en à qui dient que ce Merouè, que nous auous dit auoir eſtè tuè par Brunehault, fut celuy qu'on ſauua du maſſacre,& lequel depuis dõna commẽcement à ceſte famille Auſtrienne. D'aultres le prendent du temps des Carlouinges, & tiennent que Griffon frere de Pepin le brief eſtant faict Duc, & Seigneur au pays Bourguignon, & ayant douze Contez,ou à preſent ſont les Suiſſes, donna auſſy origine à la maiſon des Marquiz de Habsburg. Lesquelles ſy grandes diuerſitez, rendent l'Hiſtoire du tout ſupecte, & doubteuſe. *Hæc Belforeſtius, qui in Latinum translatus in hanc videtur loqui ſententiam*. Tali morte (inquit) miſerabilis Rex Auſtraſiæ Theodebertus,eiuſque filij vitam ſuam finierunt. Et quoniam Sigebertum mortem euaſiſſe dixi, inferatur neceſſe eſt, Theodebertum quatuor filios habuiſſe, videlicet, Sigebertum, Guntrannum, Clotharium, & Meroueum: quorum tres Brunichildis iuſſu necati fuerunt, quartum autem excogitauerunt ij, qui ſuapte opinione principum Regalium Auſtriæ, originem ſunt commenti; qua de re citabo Vuolfgangum Lazium, qui mentionem faciens Ducum Auſtrię ſub Rege Clothario, huius nominis ſecundo, lib. 1.

commentariorum Austriacorum, loquitur in hūc sensum. *Recitatis autem ipsius Lazij verbis, sic subsequitur Belforestius:* En tibi quam opinionem de hoc Principe, & ipsius familia Lazius habeat. Quamuis veteres omnes Historiographi, vnanimi consensu teneant, Theodeberti filios omnes occisos fuisse, ne quis supereſſet, qui mortem patris vlcisci posset. Quamobrem Lazius, & alij recentiores auctores, multis in suspicionem venient, quod ea persuadere voluerint, quæ antiquorum auctoritatibus tueri, ac probare nequirent, cum in antiquiorum scriptis, nihil prorsus contineatur de hoc Sigeberto, neque legatur in Franconiam fugisse. Tamen ne videar omnino respuere quod ipsi scribunt, atque quod sanguinis Austriaci antiquitatem, Merouingorum stirpe astruunt, genealogiæ seriem, prout ab ipsis introducitur, adscribam: ita tamen vt te præmoneam, ea quæ ab ijs de hac re scribuntur, non esse solida ac probatæ fidei, tum quod & ipsi, qui ea conscripserunt, quisnam fuerit ille Sigebertus Dux, declarare non audeant, tum quod non desint qui dicant Meroueum, quem à Brunichilde interfectum diximus, hunc fuisse qui ab occisione subductus est, & postea Austriacæ familiæ principium dedit. Alij Familiam Austriacam Carlouingorum temporibus exortam scribunt, asserentes à Griffone Pipini Breuis, Regis, fratre, Marchiones Habsburgiæ

pri-

primum fluxisse postquam nimirum idem Griffo, qui duodecim Comitatus habebat in ea regione, vbi nunc sunt Heluetij, Ducatum, & Dominium in Burgundos obtinuisset. Quæ adeo magna sententiarum diuersitas Historiam, & suspectam, & planè dubiam reddunt. *Hactenus Belforestius. Ex his igitur, & consimilibus argumentis abundè patet, Habsburgios Comites, neque originem suam à Pharamundo Rege, neque à Sigeberto illo exule, qui nunquam fuit, nunquam deduxisse; Vt tamen omnia clariora reddantur, consarcinatorum huius clarissimæ Familiæ genealogiarum prototypos hic subiungemus, vt vel ex illis saltem eluceſcat, quam stulta fuerit illorum credulitas, qui veritate reiecta, falsitatem sunt amplexati. Et Lazij quidem duplex opinio hæc est.*

Prima opinio Lazij, quam sequitur auctor Genealogici, & alij nonnulli.

Pharamundus Franciæ Rex.
Clodius Franciæ Rex.
Meroueus Franciæ Rex.
Childericus Franciæ Rex.
Clodoueus Franciæ Rex.
Clotharius Franciæ Rex.
Sigebertus Austrasiæ Rex.
Childebertus Austrasiæ Rex.
Theodebertus Austrasię Rex, Nothus.
1. Sigebertus, seu Sigisbertus exul.
2. Sigisbertus Theodobertus.
3. Otbertus
4. Bebo
5. Robertus, seu Rotherius
6. Hettopertus.


Alia opinio Lazij, quam sequitur Michael Eysingerus in Thesauro Principum, & multi recentiorum.

Pharamundus Franciæ Rex.
Clodius Franciæ Rex.
Meroueus Franciæ Rex.
Childericus Franciæ Rex.
Clodoueus Franciæ Rex.
Clotharius Franciæ Rex.
Sigebertus Austrasiæ Rex.
Childebertus Austrasiæ Rex.
Theodobertus Austrasiæ Rex.
1. Sigebertus exul.
2. Otbertus, seu Theodebertus
3. Bebo, siue Bobo.
4. Rupertus, uel Otbertus.

7. Rampertus, cuius filius sit iste profitetur se nescire, lib. 1. c. 6.	5. Rampertus, siue Amprintus.
8. Guntramnus.	6. Gontramus.
9. Luithardus.	7. Luithardus.
10. Luitfridus.	
11. Hunifridus.	
12. Guntrammus. II.	
13. Betzo, seu Bezelinus.	8. Betzo.
14. Rapato, seu Rapoto.	9. Rapoto.
15. Vuernerus, siue Berengarius.	10. Vuerengarius, seu Berengarius
16. Otho.	11. Otho.
17. Vuernerus	12. Vuernerus.
18. Albertus dives.	13. Albertus dives.
19. Albertus sapiens.	14. Albertus sapiens.
20. Rodulphus Imperator.	15. Rodulphus Imperator.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis Trittemij Abbatis opinio prima in Breuiario Chronicorum Franciæ.



Ioannis Trittemij Abbatis opinio secunda in eodem loco Chronicorum Franciæ.

Theodebertus Austrasiorum Rex.

Sigebertus — Engeltrudis, Heriberti Ducis Francorum Orientalium filia.

Odobertus, Habsburgi, Kiburgi, & Sueuorum Comes, a quo Comites Habsburgi.

Guntramus Comes in Hunburg.

Vdalricus Comes.

S. Otilia Virgo, & Sanctimonialis.

Theodebertus Rauracorum Comes.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis Trittemij Abbatis, opinio 3. quam adfert Lazius Commentariorum in Auſtriacam familiam, lib. 1. c. 5.

Theodebertus Rex occiſus a fratre.

- Sigebertus exul, fugit ad cognatos Gundoaldum, & Gotofridũ, & fit primus Alemanniæ Dux.
  - Theodebertus Comes Prouincię.
  - Sigebertus, ſiue Sigobertus uel Sigoprechtus.
    - Ottbertus, ſeu Ottoprechtus.
    - Luitberga filia Gunzonis.
- Guntramus occiſi a Patruo.
- Lotharius Theodorico.
- N. Filia.

Hieronymi Gebuilheri opinio, lib. 2. de Genealogia Ferdinandi Imp.

Leutericus, ſiue Leudiſius — Berſchuuinda, ſoror S. Leodegarij Epiſcopi.

Attico, ſiue Atto, Alſatiæ Princeps.

Hetto — S. Otilia virg. & monialis — Adalbertus, occiſus a patre ſuo. — Hugo — Ermentrudis. — Battaco — Rocshuuynda

Maſo Rex Burgundiæ. — Eberhardus Alemanniæ Dux. — Luythfridus Habſurgi Comes primus cuius vxor — Hiltrudis

Hugo Comes Alſatiæ.

Bleo. — Bodalus.

Bero.

Albertus. — Hugo.

Hugobrechtus. — Thietberga.

Hugo.

Adalbertus quidam, qui uocatur a Gebuilhero, nunc Atticonis filius, nunc autem, eius ex Hettone fratre nepos, cuius filij.

Ottobertus. — Hugobertus. — Theobaldus. — Eberhardus.


Adoptati ſunt a Luythfrido Comite Habsburgenſi, ut ipſi ſuccederent.

Et paulò poſt Raympertus alius, cuius patrem ſe ignorare dicit, fertur a Luythfrido adoptatus, & primus Habsburgi Comes factus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iacobi Spiegelij opinio lib 12. comment. in Auſtriados: quæ eſt & Manlij, ac Sundhaymij.



Quanquam autem ex Genealogijs propositis in genere facilè perspiciatur friuola esse, quæ Auctores supradicti pro suis Habsburgijs in medium protulerunt, tamen quo euidentius id appareat, omnibus separatim respondebimus. Et Lazius quidem sibi ipsi non constans, nunc illius Familiæ, à Sigeberto ad Rodulphum Imperatorem, gradus viginti constituit; nunc vero quinque reiectis ad quindecim illam restringit. Nec multò verior est Trittemius, qui contra omnium Historicorum fidem, Guntramo Regi filios duos Theodobertum, & Theodoricum assignat, cum Guntramus liberis masculis caruerit, Clothario, & Clodomiro in pueritia extinctis: & Theodobertus ac Theodoricus non ipsius, sed Childeberti Austrasiæ Regis filij fuerint. Deinde quos Odoberto Sigeberti filio, filios attribuit in prima opinione, hos in secunda ipsi Sigeberto exuli consignat, Adalberto prioris sententiæ, in Theodobertum mutato. Nec de primo Habsburgi Comite consentientia profert, in prima namque sententia Luthfridum Odoberti filium, alterius Odoberti nepotem, ac Sigeberti exulis pronepotem, primum Habsburgi Comitem agnoscit; in secunda autem Odobertum, ipsius Sigeberti exulis filium. Et vt in his errauit, ita & in patre S. Odiliæ, contra aliorum opiniones, non modicum hallucinatus est. De alia eius opinione quam ex Lazio attulimus, cum vnde illam acceperit Lazius non dicat, nil loquor. Hieronymus Gebuilerius de genealogia Ferdinandi Imperat. qui singularis videri voluit, & in Familiæ suæ textura

non-

nonnullos non contemnendos sequaces habuit, à nobis quidem hactenus, nec visus, nec lectus est; at si uera sunt quæ Lazius ex illo refert in epistola dedicatoria Commentariorum suorum in Genealogiam Austriacam; & lib. 1. c. 1. & 6. non multo consentiora prædictis adferre videtur; cum in illa epistola dedicatoria à Luithfrido Comite, Adalberti filio; & in lib. 1. c. 1. ab Ottoberto, & fratribus, filios Adalberti (quem Adalbertum nunc Attonis Alsatiæ Comitis filium, nunc nepotem ex Hettone fratre nominat) à Luithfrido Comite adoptatos, & cap. 6. à Raymperto, cuius genus ignoratur, Luithfridi Comitis filio adoptiuo, Habsbusgios Comites propagatos referat. Superest, Iacobus Spiegelius, qui solus sapere videri volens, omnium insipientissimè scripsit, qui si diligentior non est in asserenda nobilitate Germanica, quam extollere conatur, vt Italicam deprimat, quam est in Habsburgica Familia comprobanda, non est cur multi auctoritatem eius faciamus. Quæ adeò friuola est et ieiuna, vt omnino indignam censeamus, cui à quoquam respondeatur. Vir enim historiarum, & familiarum ignarus cum esset, vt hæc eius familiæ suæ consarcinatio probat, non potuit historijs, & genealogijs consona scribere; sed prout affectus eius ferebatur; nullo temporum, aut personarum habito delectu, ut insipienter scripsit, sic etiam stolide nobilitatem omnem Italicam auita antiqua nobilitate priuatam, ad suos Germanos transferre conatus est, cum potius è conuerso, Germanicam ex Italica asserere debuisset. Nam, vt exempla aliquot

quot in medium proferamus, quis Illustrissimam quondam Guelphorum Familiam, ex qua Duces Bauariæ, & Saxoniæ Electores, necnon, & moderni Luneburgi, & Brunsuigæ Duces Electores quoque prodeunt, in Germaniam intulit, nisi Azo eius nominis IIII. Estensis, & Ferrariæ Marchio, anno Domini circiter 1060. ex nobilissima, & antiquissima Actiorum Familia Romana progenitus? Quis Ascaniam Ballenstendeam secundam, vnde Marchiones Brandeburgij Electores hodierni, & Duces item Saxoniæ Electores, necnon & moderni Principes Anhaltini, originem ducunt, in Germania plantauit: nonne Aribertus ex Vrsinorum Romana Familia, quæ Gallicam originem trahebat (licet aliqui contraria nonnulla adferant) procreatus? Marchionum Hochbergiorum, vnde recentiores Badenses, patrem, nonne & ipsi Germani agnoscunt Hermannum Veronensem, qui anno circiter 1156. cum Imp. Friderico Barbarossa Germaniam intrauit? Brandeburgij item, qui nunc viuunt, Machiones Electores, qui à Zollerijs Comitibus originem ducunt, nonne & ipsi à Petro Columna Domicello Romano anno circiter 1080. se progenitos gloriantur? Austrios quoque Principes, à Comitibus Habsburgijs Perleonibus Romanis exortos, confirmare solebat Maximilianus Cæsar, Caroli V. Imp. auus. Et multæ aliæ Familiæ in Germania illustres referuntur, quæ ab Italiæ nobilibus Familijs lineam consanguinitatis ducunt: quod non ita euenit Germanis in Italia, ex quibus nullæ aliæ, quæ Illustres sint dico, prædicantur, præter

ter Allobrogica, & Mantuana, licet de ea quoque à nonnullis controuertatur, sicut & de Montferratensi, quam quidem Germani Saxonibus tribuunt, sed ab Italis descendere egregie prodit Thomas Porcacchius in Historia Familiæ Malaspinæ. Nec miretur quis, quod ego in natiuitatis origine nihil commune cum Italis habens, hanc pugnam pro eius nobilitate tuenda susceperim, gratitudinis enim ratio id exigebat, ut pro caritate quã mihi pro fide Christi exuli in habitatione & alimentatione humaniter exhibet, hanc palestram pro eius defendenda causa, contra tam inuidum æmulum non detrectarem. Et hæc pro primo Spiegelij argumento. Ad secundum, genealogiam eius videlicet, unico verbo respondendum foret ipsum nescire quid dicat: Historicos enim nescit, ordinem naturæ confundit, ipsos Franciæ Reges ignorat, & alios qui nunquam fuerunt nobis obtrudit, vt varietate sua Lectoris ingenium confundens, solus ipse verum dicere videatur. Theodoricum enim Burgundiæ Regem, Childeberti Austrasiæ Regis filium, Sigeberti Regis Austrasiæ nepotem, & Clotharij I. Regis Franciæ pronepotẽ; Chilperici Franciæ Regis ex Andouera matre filium confingit; & Dagoberti Franciæ Regis, ex Berthrada vxore, patrem, qui tamen Clotharij II. ex præfata Berthrada filius fuit. Clotharium item III. eiusdem Theodorici, ex Batilda Saxona filium facit, cum ipse à Clodoueo II. ex Batilda prædicta fuerit progenitus. Othobertum quendam, Prouinciæ Regem, eiusdem Theodorici filium ex præfata Batilda scribit, eumq; alterius Othoberti primi

Habs-

Habsburgij Comitis patrem: cum tamen de eiusmodi Othoberto Prouinciæ Rege historia muta sit. Et vt vnico exemplo hæc eius techna conspiciatur, verum Regum Franciæ prototypum omnium historicorum consensu comprobatum hic subiungemus, vt qua veritate Spiegelius scripserit agnoscatur.

His ita distinctis & declaratis, intelligi non difficulter potest in præsenti controuersia, quid peculiaris Lazij, quid plerorumque Germanorum communis error sustineat, quid veritas ipsa dictet de Illustrissima Familia Habsburgica, & eius fundatore Sigiberto exule. Manifestum est namque Lazium, & eius sequaces, non alio tendere, quam vt Habsburgij Franco Germani credantur, eosque antiquissimos Auendi Castri Romarici montis Dominos fuisse doceant; quo tacitè diluant opinionem de aduentu duorum fratrum Perleoniorum ex Roma, de quibus infra ex professo tractabimus, quod proinde, vt obtineant, omnibus modis obscurare ac tollere nituntur notitiam castri Habsburgij Ergouiani. Sed cum sine ratione, sine teste, figuli hisce noui, id dicant, pari facilitate contemni debent, qua quiduis negare, quiduis affirmare, addo etiam & confingere ausi sunt.

AB HABSBVRGII CASTRI DOMINATU, Habsburgios Auſtrios non recte probari.

§. V.

REMOTA igitur Lazij opinione priuata, & aliorum quæ nobis obſtabant, de primo ſtirpis Habsburgicæ conditore, recta iam hinc procedere poteramus ad pertexendam lineam noſtram de origine gentis Auſtriacæ, ex Anicia Perleonia Habsburgica: ſed cum animaduertamus communem illam de caſtro Auendo opinionem, ſi non ad originem integralem, ſaltem ad incrementum gentis Habsburgicæ, longè plus habere momenti apud Eyſingerum, & alios auctores, quam illam priuatam Lazij, operæpretium mihi facturus videor, ſi diſcuſſis nebulis, ex hiſtoricorum ſcriptis hic aliquid lucis infundam, cum omnium interſit, errore detecto, conſpiciendam dari veritatem. Variam olim fuiſſe apud Geographos, vocis Aſſiburgij vſurpationem conſtat. Corruptè ſiquidem idiomate Germanico, Asburg, Ausburg, Habsburg, & Habisburg effertur, quæ nomina multiplicem habent ſignificationem. Asburg enim Aſſiburgium eſt Germaniæ oppidum Rheno proximum, ac cis eum inter Geldubam, & vetera caſtra ſitum, Nuſſiæ, Cliuenſique Ducatui finitimum, quod Germanicè Asburgum nominatur. Ausburg, Latinè Auguſta, prioris Rhetiæ ciuitas, totius Imperij Germani-

ci potissima, nobilitate, antiquitate, ac diuitijs nulli secunda. Hasburg, Latinè Hasburgium, castrum est Heluetiorum non longè à Rinchffeld constructum, iuxta quod Albertus Romanorum Rex quondam sepultus fuit. Non procul etiam à Bruch distat, idque à Rapatone Comite conditum fuisse fertur. Alij dicunt illud esse quod nunc Auenburgum dicitur, ædificatum à Comitibus montis Auentini Romanis Perleonibus, quasi diceres Auentini burgum, siue oppidum, vnde Archiducum Austriæ clarissima Familia suam cœpit originem. Habisburg vero, Latinè Auendum castrum, est hodie in Vosagis Lotharingiæ montibus, quod Romaricum montem appellamus; & vulgari Germanica lingua Auendperg, corruptè vero Absburg pronunciatur. Et in his tota disputationis nostræ summa constitit, à quo videlicet horum, clarissimum Habsburgiorum nomen deriuarit. Ab Assiburgio, & Absburgo non deriuare clarum est. Ab Hasburgo vero siue Auenburgo sic, non solum Itali, sed & Germanorum multi graues & insignes historici testantur. Obstant tamen Eysingerus, & sequaces, qui illos ab Habisburg, siue Auendi Romarici montis castro, sic cognominatos volunt. His ego, & mihi simul satisfeciisse arbitrabor, si vnica Francisci Rosierij viri Galli, & ab omni passione alieni, auctoritate eos longè à via recta aberrare demonstrauero; sic enim inquit tomo quinto Stemmatum Ducum Lotharingiæ, historia capitali septuagesimanona.

Nec

Nec certè hic ſubticere poſſum, & Auſtriæ & Belgaurm Hiſtoricos longè hallucinatos eſſe, cum Habsburgenſium Comitum primariam referunt originem ad nonnullos Auſtraſiæ Reges, illoqsue prædicant Auendi caſtrum in Voſagis montibus occupaſſe, haud procul à Moſellæ fluminis continenti, qui locus hodie Romarici mons vocatur. Etenim multi aſſentationis potius, quam veritatis imagine ducti, ex Theodeberti Auſtraſiæ Regis coniugio Sigebertum, ſeu Sigisbertum, manaſſe ſcribunt, atque ex hoc cæteros Auſtriæ Duces: Imo Theodebertum & Sigubertum Auendi caſtrum in bonis habuiſſe. Quantum ad primum attinet, certum eſt ex Annalibus Theodebertum Auſtraſiæ Regem Brunechildis conſilio Theodorici fratris manu nefaria perijſſe iuxta Leucos, tandemq; ipſum Theodoricum victorem Theodeberti liberos extinxiſſe, quamuis pleriqque Sigubertum euaſiſſe ſcribant. Quod an verum ſit, alij iudicent. Quod ſi etiam veritate ſubnitatur, hoc vnum tamen falſum eſt, Theodebertum, eiusque filium Sigubertum Auendi caſtrum, & Comitatum obtinuiſſe. Nam ex hiſtorijs claret Theodoricum præmiſſum, Theodeberto, liberisque occiſis, recta Metim profectum fuiſſe, ibiqque Romulphum Romarici Auendi Comitis patrem interfeciſſe, bonaque fiſco applicuiſſe. Hic quoq; Romulindam habebat matrem, cuius non fit alia

mentio apud Chronographos. Non igitur Theodebertus & Sigubertus, iam interempti, Auendi Comites extitere. Qui imò Theodorico cæso, Aridij Episcopi tum cura tum etiam gliscente morbo, Brunechildis Romarico inique bona rapta restituit. Vno igitur, eodemque tempore, non fuerunt Auendi Comites Theodebertus, Sigubertus, Theodoricus, Romulphus, & Romaricus: Siquidem erant coætanei, vt ex datis Austrasiæ Regum superius descriptorum, ac sequenti diplomate videre est, cuius tenorem subijcio. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Quoniam mundus in maligno positus legitimas fidelium donationes impie conatur infringere, idcirco ratio postulat, vt ea, quæ pro augmento Ecclesiarum donata sunt, nos quoque rationabiliter confirmare curemus. Noueritigitur omnium Catholicorum tam præsentium, quàm futurorum vniuersitas, Quod ego Romaricus Auendi Comes videns viros virtutis voluntaria paupertate, pauperis IESV stigmata in suis corporibus circumferre, *Et cætera quæ sequuntur ibidem: & infra:* Factum est hoc donum iij. Non Martij, anno ab incarnatione Domini 620. Clothario glorioso Francorum Rege regnante.

Hæc Rosierius, cuius testimonium adeo clarum est, & perspicuum, vt nullus amplius minus verum esse putare debet, quod supra diximus de castro Habsbur-

go, quod non modo Albertus Argentinensis, et Volaterranus; sed & alij complures asserunt. Nec obstat quod Eysingerus dicat mentionem de castro Habsburgo fieri à Gaguino in vita Ludouici Pij Imp. cum de hoc nulla sit inter nos controuersia: Non enim dicimus Auendum castrum, quod erat in monte Romarico, à quibusdam Historicis Habsburgum non nominari; sed tantummodo Comites Habsburgenses, vnde Austriaci Principes, illud non habitasse: neque cognomentum Habsburgij ab illo accepisse, sed ab alio quod erat in Ergouia, iuxta Lucernæ lacum, à Perleonibus Romanis, aut de nouo fabricatum, vel certè in eodem loco vbi fuerat illud Rapatonis reædificatum, & ob memoriam tum primi nominis, tum etiam Auentini montis, Auenburgum appellatum, quod postea, vti vsu eaenire solet, ex corrupto loquendi more in Habsburgum transmutatum, clarissimæ Familiæ nomen reliquit.

HABSBVRGIOS AVSTRIOS ex Historicorum testimonijs à Perleonibus Anicijs Romanis originem ducere.

§. VI.

Demonstratis de familia Habsburgica, qui hactenus pro veris reputati sunt, erroribus, & illustratis ad hunc, quem diximus modum, Austriacis, ordo postulat, vt consequenter tam præfatos Comites Habsburgios,

Austriacosque Principes, à Perleonibus Romanis, qui ex Anicijs descendebant, originem duxisse comprobemus. In quo comprobando testimonium nobis ferent probati scriptores tum Germani, tum etiam Itali, qui singuli quales sint Lector cognoscere poterit ex eorum operibus, quæ per manus omnium circumferuntur. Et ex Germanis quidem, qui à nobis nec visi sunt, nec lecti, qui de hac veritate libros integros scripserunt, à Lazio lib. 1. c. 1. commentariorum in Austriacam familiam, hi feruntur:

Vuichardus Baro à Polheym, Decanus Salisburgensis,

Ioannes EnnycKel, Eques Austriacus: &

Ottocarus ab OrnecK, Styriæ Regulus.

Alios etiam recitat Raphael Volaterranus Antropologiæ, lib. 23. in fine; videlicet,

Matthæum quendam de origine Primorum Ducum Austriæ.

Otthonem Frisingensem Episcopum in commentarijs:

Iordanum Osnaburgium de irruptione Gothica in Vrbem:

Hermannum de Sulgon, in Chronographia: & Henricum Constantiensem.

Adferuntur & à R. P. D. Hieronymo Bardi Florentino, Ordinis Camaldulensis Monacho, & alij, in tractatu Italico MS. quem de hac Familia Habsburgica Perleona composuit, eorumque auctoritates verbaliter citantur, quas equidem omnes, ut ibidem descriptæ erant, licet

cet fontes ipsos nondum inspicere contigerit, hic inseremus, ut ex ipsorum etiam Germanorum testimonijs, quid de nostra hac, quid de Lazij, & aliorum opinione, sentiendum, lector agnoscat. Primus autem à R. Bardi citatus est quidam incertus auctor in Historia Bauariæ & Sueuiæ, lib. 4. cuius verba sunt: Austriæ nunc Moderni Duces, originem habuerunt à Petris Leonibus Romanis, Comitibus montis Auentini, cuius familiæ domus sunt in Auentino propè Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere. Hunc sequitur quidam Selestadiensis, lib. 2. sic inquiẽs: Ducibus Austriæ Perleones Comites Romani originem dederunt. Hæc confirmabat Iacobus Vuimpelengius in epitome, sic; Carolus V. Imperator, progenitores habuit Romanos Perleones, in mõte Auentino habitantes. Subscribit, & his Richardus Rantchinus, lib. 2. cum dicit: Austriæ Duces initium habuerunt à Perleonibus, Romani Imperij Patritijs. Adiungebatur, & coronidis loco Vuolfgangi Slesij in Austria sua MS. sententia, quæ talis erat: Perleones originem tuis progenitoribus inuictissime Cæsar dederunt. Et hi fuere omnes Germani, quibus est connumerandus M. Albertus Argentinensis, temporibus Rodulphi Imperatoris omnium Historicorum vicinior, & si ita dicere liceat oculatus quodammodo huius rei testis, nam octoginta tantum annis Rodulpho fuit posterior; cuius auctoritas tanta est, quod eam negare non valentes, Lazius, & eius sequaces, quasi illam

lam ignorarent callide eam dissimularint, omnemq; controuersiam in vnum Volaterranum verterint, quasi ipse eius rei auctor esset, & non potius Germani, vt ex verbis huius auctoris manifestè colligitur, qui hoc modo Chronicon suum exorsus est. Rodulphus Comes de Habsburg, ex antiquis progenitoribus ab Vrbe Roma traxit originem. Olim namq; duobus fratribus, propter potentis Romani occisionem, eliminatis ab vrbe: pater eorum nobilior Romanus, dans cuilibet eorum immensam pecuniam ipsos iussit in partes abire remotas. Qui se in superiori Alemannia receperunt. Antiquior autem ad emptionem prædiorum, & munitionum, iunior verò ad habendum vasallorum multitudinem contendebat. Patre autem in Vrbe existente post aliquot annis cum intellexisset, filios cum pace stare in Alemannia, ipsos visitabat. Et cum vidisset senioris empta prædia, eius prudentiam nimium commendauit. Requirens autem à iuniore, quid cum sua substantia egerit, ille se omnem in vnam munitionem fortissimam collocasse, respondit: & iussis omnibus vasallis suis, cum eorum liberis masculis optimè armatis ad munitionem pertinentibus, & ab eo infeodatis venire ad montem, vbi castrum Habesburg est collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem, quos & omnes eorum posteros masculini sexus suos & posteritatis suæ fideles vasallos

illis

illis confitentibus patri, probauit. Quo viso, pater in illius animosa nobilitate gauisus reuersus ad Vrbem, magnum Thesaurum destinauit eidē. Ex quibus duob. fratribus omnes de Habesburg postea processerunt. *Hæc Albertus, cuius irrefragabilem auctoritatem, quippe quod vti supra diximus, homo Germanus, & temporibus Rodulphi Imp. omnium vicinior, aliter scribere non potuit quam veritas ipsa se haberet, constabiliunt ex Italis multi, inter quos primus occurrit nobis Raphael Volaterranus lib. 23. Antropologiæ supracitato circa finem, sic inquiens:* Apparet enim Maximiliarum Romanos habuisse progenitores, olim Perleones Comites montis Auentini, cuius familiæ nonnullę sunt Romæ reliquiæ propè Sabellorum ædes; quæ prius Perleonum fuere, quibus cognomen dedit Petrus, Leonis filius, Stephani nepos, Maximi pronepos, quorum memoria sepulchri pro foribus templi S. Alexij adhuc cernitur. Is anno 1118. magna in Vrbe potentia, auctoritateq; sub Paschale II. fuerat. Cuius duo nepotes per seditionem ex vrbe profugi ad Alpes venerunt: vbi circa Lucernæ lacum prędia ac terras mercati sunt: castrumque in eo loco Auemburgum deinde excitarunt, quasi Auentini oppidum: licet nonnulli Abesburgum dicant, quod lingua Germanica Abec, accipitrē significet, qui olim ab eis dimissus cum pręda capta in eo monte constitit, vbi ex auspicio,

cio, ipsi postea oppidum condidere. Alter ex his Præsul Argentinensis fuit. Ex altero qui nobilem in ea regione duxit vxorem, natus est Albertus, qui Albertum & Rodulphum Imperatorem, primũ ex Comitibus Abesburgensib. genuit, &c. *quæ sequuntur vsque ad finem. Confirmat, & ius sententiam Paulus Iouius Nouocomensis, Episcopus Nucerinus in elogijs virorum bellica virtute illustrium, li. 5. de Maximiliano I. Imperatore loquens, ubi sic ait:* Ferunt Austriacæ domus nobilitatem Romani sanguinis stirpem respicere, perducto stemmate à Perleonum familia, ex qua fuerunt celeberrimi olim Comites ex Tribu montis Auentini. Hos enim ad Auspurgum consedisse constat, inter Rhetos, Noricos, & Vindelicos, non longè ab Heluetijs, coalescenteque sensim potentia Austriaci principatus, uti ipse Cæsar suæ originis religiosus indagator asseuerabat, iura & titulos condidisse: eiusq; dominatus claritudinem bellica quæsitam virtute, & longa vetustate constitutam propagasse. Hinc euenit vt facilè credamus Augustam hanc Romani Imperij dignitatem, ad Austriacos Principes, quod Romani sint generis, fatali quodam iure peruenisse. Quando iampridem abolita sit militaris acclamationis consuetudo, qua Imperatores olim apud exercitum in castris fiebant, & ipsa etiam septem Germaniæ procerum suffragatio penitus obsolescat, toto sci

licet

licet hoc honore per manus præpotentium Cęsarum legitimè tradito, confirmatoque qui iam altas iecerit radices, vt in vna familia non dubiæ hæreditatis nihil interciſa ſerie, decentius atque ſtabilius refloreſcat. *Hæc ille Iouius. Accedit & doctiſſimi Hieronymi Rubei Rauennatis teſtimonium clariſſimum, quod eſt lib. 5. hiſtoriæ Rauennatis ad annum 824. his verbis:* Siquidem Perleonia familia inter Romanas nobiliſſima: illa eſt, è qua clariſſimi Comites montis Auentini, & Auſtriæ domus Principes prodiere. Reperitur enim ex Perleonijs quoſdam Iſpruchum Oenipontem appellant, ad habitandum profectos, inter Auſtrię, ac Baioariæ populos, ab Heluetijs haud procul. Paulatim verò dignitate eorum in dies creſcente, Principatus Auſtriæ iura, titulumque fundarunt, vti Maximianus Cæſar, Caroli Quinti auus affirmare conſueuerat. *Sic Rubeus. Non omittenda etiam mihi viſa eſt hoc loco Ioannis Naucleri Tubingenſis Sueui ſententia, quæ licet ſit ambigua, multum tamen noſtro propoſito fauere videtur; adfertur autem illa Tomo 2. Chronographiæ, generatione 43. hunc in modum.* De Rodulphi Regis genealogia modo dicendum eſſet, cum & magnifica eius geſta deſcribuntur. Sed de tam varia Scriptorum opinione non eſt quod iudicem, Summi Principis authoritatem à geſtis rebus petere licet, non à natione, quanquam & hæc fortaſſis eſt quædam virtutis

tutis imago. Originem Comitibus de Habispurg, à Perleonibus Comitibus, Romanis Ciuibus deducunt, ex Auentino monte splendida nobilitate, freti (opinor) non omnino malis authoribus, apud quod eius rei fides esto. Nos qui vir Rudolphus fuerit, tanti hæres Imperij, studiosius exequemur. *Hæc ille. Familiam autem hanc Austriacam ex Frangipania, Perleonia scilicet, quæ ante Anicia antiquissima, & Illustrissima Romana fuerat, originis suæ lineam ducere, scribit etiam Philippus Gothus Siculus, Messanensis Eques, in tractatu vulgari Italico, quem de Inuentione SS. Placidi Anicij Abbatis, & sociorum, ac de triumphis in illa celebratis, composuit. Et primo in epistola dedicatoria, quæ est ad Philippum Principem, sic inquit:* Ilche possiàmo fermamente sperarlo, già che non sì tosto è stata intromessa nel gouerno de' Regni del suo Inuittissimo Padre, che Dio N. Signore per donarli particolari protettori nel Cielo, acciò guidino l'attioni sue felicemente in terra, gli ha scoperti miracolosamente questi XXXVII. glorioſi Santi, mille quarantasette anni fà martirizati; tra i quali Placido, Eutichio, Vittorino, & Flauia fratelli, & sorella, sono dell'istesso, & antichissimo Sangue Anicio, donde tiene origine la Sereniſſima Casa d'Austria. Quando è pur certo, che gli anteceſſori di V. A. i quali dallo acquisto dell'Austria procreorno da se il cogno-

me

me d'Austria (Come Scipione dall'acquisto dell'Africa, l'Africano) discendono per legitima successione dalli Fregepani, & questi da gli Anicij, paterni maggiori di San Placido. *Item, & circa medium ipsius tractatus, sic item confirmat:* In questa Città ne gli anni del Signore 536. venne il glorioso Martire Placido, con Gordiano, & Donato suoi compagni, figliuolo di Tertullo, Prencipe de Patritij Romani, Padre della Patria, Nipote di Giustiniano Anicio Imperatore, & doppo quello à null'altro secondo. Fù Tertullo dell'inuitto sangue de gli Anicij, dalquale (come affermano M. Antonio Marsilio Colonna, Archiuescouo di Salerno, & Onofrio Panuino) sono discesi i Fregepani, & da questi gli Serenissimi d'Austria, iquali (si come tutti gli autori conuengono, & vltimamente Luca Contile) dalconquisto dell'Austria ne' tempi di Rodolfo, & di Alberto Imperatori, procreorono da se il chiarissimo cognome d'Austria: hebbe costui per moglie vna Signora di Casa Ottauia quanto al Padre, & della Flauia quanto alla Madre, dalla quale nacquero per ordine Placido, Eutichio, Vittorino, & Flauia. *Et in fine tractatus sic concludit:* Et all'Altezza V. con tutta la felicissima Casa d'Austria, congionta di sangue con questi santi Martiri lunghi, & prosperissimi giorni: *& paulò*

lò post: Et parendo à me degno di rappresentarlo all'Alt.V. l'ho fatto cosi, perche le cose grandi si deuono à i grandi; come, perche quei inuitti guerrieri di Christo sono dell'istesso sangue Anicio, dalquale la Sereniſſima Casa Austria degnissima prosapia dell'A.V. trahe l'origine (benche soggetto di sì alta materia ricercasse huomo più esercitato, ch'io non sono per trattarlo) desideroso dall'altra parte, ch'ella conosca l'obedientissima affettione, & prontezza che ho hauuto sempre, & hò da seruir il mio natural Padrone.

Hæc Gothus, quod autem attinet ad auctores per eum allegatos, uidelicet: Antonium Columnã, li. de Ecclesiasticis reditibus; & Lucam Contilẽ in commentario super Symbolum Philippi II. Regis Hispaniarum nullam eorum uidi Panuinij uero nonnulla Fragmenta MS. ad manus meas quidem peruenerunt, sed multum imperfecta. Nec mihi succenseat quis quæso, quod ex huius auctoris uerbis Austriam Familiam ex Frangipania, & in meis probationibus ex Perleonia descendere affirmem: cum uti in sequentibus videbitur in annotationibus monumentorum huius Familiæ Illustrissimæ, Perleones, & Frangipani una eademque fuerint familia; ut rectè etiam prodidit Illustris Marchio Petrus Villa de Canibus in Tractatu suo de Inuentione, siue Familia S. Placidi, hac Periodo: Essi Perleoni confessano con li Frangipani essere vna, & istessa famiglia, facendo lo Leone Frangipanato, seu Fragmentato

tato di pani, si come appare in piu luoghi, & il Panuino lo afferma, in Papa Anacleto II. & li Conti di Segna descendendo da Frangipani, fanno l'Aquile loro Paterne Frangipanate, & fragmentate di pani. *His igitur auctoritatibus tantorum virorum, eorumque rationibus, necnon & traditione perueteri iam quasi ab omnibus recepta, motus, verum esse existimo, quod supra explicandum proposui, Gentem scilicet Austriam Habsburgiam, eandem cum antiqua Perleonia Frangipania, Olybria, Proba, Anicia fuisse: quod si aliorum iudicio fuerim assecutus, mihi id gratissimum erit, tum ob clarissimæ gentis, quam illustrandam proposui, splendorem, & decus, quod ei hac nominum coniunctione me præbuisse credo; sin tamen minus, id tamen hoc prætextu à me factum laudabunt omnes, quod nobilissimæ, & antiquissimæ familiæ Aniciæ, cuius iam memoria deperierat, maxima cum diligentia et labore, hanc descriptionem ediderim, quæ ne tot virorum Illustrium gloria, & præclara facta exolescerent, & omnino funditus interirent, factum est. Sed iam ne longior tractatus moram Lectori pio ingerat, ipsam Genealogiam Aniciam Probam, Olybriam, Perleoniam, Frangipaniam, Habsburgiam, Austriam, quam tertiam præsentis tractatus partem esse voluimus, subiungamus; vt ex eius continuata serie. Quid de Laziana, & cæterorum, quid de nostra tenendum & sentiendum sit, intelligatur.*

S. Anicius BENEDICTVS à quibus ortus; & vnde ANICIA Familia orta, & quare sic dicta sit.

§. VIJ.

ORTVS est igitur Diuus Pater noster BENEDICTVS, *ex Anicia Familia nobilissima Romana, quæ vti supra diximus, clarissima fuit etiam eo tempore, quo summa Romanæ Reipublicæ auctoritas penes Consules erat. Anicios vero originem suam à Troianis traxisse, auctor est quidam Don Maria, in Epitaphio Leonis, filij Petrileonis; qui de Sergesto Aeneæ socio loquens, ab eodem longo Patrum ordine Perleones, qui ante erant Anicij, progenitos refert sic inquiens:*

Quos Sergestus acer, patrum longo ordine sæuum,
Illustres animas, perque Ducum genera.
Mite genus hominũ, sapiens, insigne, decorũ,
Nominis antiqui consepelit tumulus, &c.

Sergestus enim ille, quem hic auctor ob pugnæ militaris peritiam Acrem appellat, fuit Aeneæ socius, de quo Virgilius 1. *Aeneidos sic loquitur:*

Mnesthęa, Sergestumque vocat.

Huius Don Mariæ opinionem confirmare videtur, & constabilire Imperator Iustinianus, qui ex eodem sanguine Anicio lineam ducens, vbique Aeneidam se appellat

lat, vt videre est in eius epistolis in fine Chronici Casinensis excusis, & primo in illa quæ est ad Vigilium Papam, quæ sic incipit: In nomine D. N. I. C. Imperator Cæsar Flauius Iustinianus Aeneida, &c. *Item in alia ad Placidum nepotem suum:* In nomine D. N. I. C. Imperator Cæsar Flauius Iustinianus Aeneida, &c. *repetuntur eadem verba & in priuilegio eius, monasterio Casinensi dato, quod est fol. 205. Cui & consentit ipse Vigilius Papa, sic ad eum scribens:* Pijssimo & Sereniſſimo victori, triumphatori, Flauio, Iustiniano, Constantino, Imperatori Augusto, Aeneidę, Vigilius Episcopus sedis Apostolicæ senioris Romæ: &c. *At Illustris D. Ioannes Petrus Villa de Canibus Messanensis Marchio, in tractatu suo quem de Inuentione corporum S. Placidi Abbatis & Martyris, ac sociorum scripsit, non solum contendit Anicios ab Anysi Aegypti Rege, qui regnauit tempore Oziæ Regis Iudæ, lineam consanguinitatis ducere, verum etiam sic ab eo cognominatos, & ex Anycijs, euphoniæ causa, in Anicios tandem commutatos fuisse. Alij, Anicios casu dictos existimant, quod Anu matre natus referatur, qui primus familiæ nomen dedit. Eius opinionis est F. Onuphrius Panuinus in primo lib. Aniciæ Frangipaniæ MS. & nondum excuso, cap. 2. vbi dicit:* Vetustissimi in Italia familiarũ auctores, ab euentis nomina propria, & appellationes sibi assumere consueuerunt, eademque postea posteris suis tanquam propria, & gentilitia relinquebant; ab

Anicio itaque Anicij. Isq; Anicius ita forte fuit appellatus, quod matre Anu, ortus esset, id est, Vetula. *Hæc Panuinus, cuius sententia si vera esset, Anucij dicendi forent, & non Anicij. Ideo libentius ego illorum teneo sententiam, qui licet à quibus processerint Anicij non exprimant, certo tamen consilio nomen illis inditum asserunt, vt nimirum propter animi magnitudinem insuperabilem, aliasque virtutes & in bello, & in toga spectatas, ac cognitas inuincibiles, accepto à Græcis vocabulo, Anicij, id est, Inuicti, dicerentur. Vnde & S. Gaudentius Brixiæ Episcopus, cum in principio sermonis qui inscribitur de Macabæis, ipsos Sanctos Macabæos cum Anicijs contulisset, infra subiungit:* Nemini absurdum videatur, quod eos paulò ante Anicijs comparaui, Anicij quippe ex Græco sermone, à nobis nuncupantur, Inuicti. *Ab illo autem Anicio primo Familiæ auctore, instituti Milites illi Legionarij, qui ab eius nomine in Occidente inter Pedites, Milites Anicij, siue Inuicti Seniores: in Oriente vero inter Auxiliares Palatinos Equites, Anicij, seu Inuicti Iuniores nuncupabantur. De quorum numero fertur fuisse S. Georgius Cappadox, & Martyr, vt in eius vita legitur statim in principio:* Eo vero tempore quo talia gerebãtur, erat vir quidam nobilis genere in eadem prouincia Cappadociæ, nomine Georgius, ex ciuitate Mellena, Tribunatus officium gerens, ex numero, scilicet, Illustrium prougnatorum, qui Græco vocabulo Anicij, Latinè

autem

autem Inuicti, siue Insuperabiles, dicebantur. *Qui Inuicti seniores erant, vt auctor est doctissimus Guido Pancirolus I.V.C. commentariorum in Notitiam Imp. Occident. lib. 2. c. 22. ipsi in rubra parma, album cippum præferebant, cui humanum caput prassini coloris, iubis Leoninis circundatum præfigebatur, tribusq; circulis, albo, luteo, et rubro, margo umbonis erat circumductus. Qui autē Inuicti Iuniores, vt idem asserit cōment. in Notitiam Imp. Orientis, lib. 1. c. 56. in rubræ parmæ vmbone cæruleum orbem, luteo circulo circundatum gerebant: cuius marginem duo circuli, cæruleus, viridisq; ambiebant. Quo vero temporis interuallo hoc nomen Anicij sibi promeruerint, non facilè est perueſtigare. Primus autem, qui in historijs reperitur Anicij cognomento condecoratus, fuit Quintus Anicius Præneſtinus, qui testè Plinio lib. 33. c. 1. tantæ potentiæ fuisse perhibetur, vt etiam illo tempore, qui erat ab Vrbe condita 440. vel circiter, Romanis formidini fuerit: vnde & ea de causa Reipublicæ hostis adiudicatus, in exilium actus sit. Sed reuocatus postmodum in Vrbem, Aedilis Curulis, cum Cn. Flauio creatus est anno ab Vrbe condita 450. Huius filij, nepotes, ac posteri, à maioribus acceptum decus ita conseruarunt, & amplificarunt, vt ex Anicia Familia amplius quadraginta Consules creati legantur. Quorum omnium nomina, antequam ad genealogiam texendam accedamus, ex Fastis, Capitolinis, Cassiodori, Panuinij, Sigonij, Golzij, R. P. D. Hieronymi Bardi Florentini, Monachi Camaldulensis, & præ-*

cipui noſtri temporis hiſtorici, & antiquarij, R. P. Cæſaris Baronij, & alijs inſtrumentis MSS. deſumpta, viſum fuit hic adſcribere, vt quoniam genealogiæ, ab ipſo ſuo exordio, ſeriem continuatam huius familiæ, vſque ad præfatum Quintum Anicium Prænestinum in Scriptoribus non reperimus, ea ipſa genealogiæ vice referantur.

ANICIANÆ FAMILIÆ CONſules Romani, & Prætores Vrbis.

§. viij.

Anni Vrbis.	Anni Chriſti.	
450.		Quintus Anicius Prænestinus, Ædilis Curulis.
584.		Lucius Anicius, L. F. M. N. Gallus; Prætor Vrbis.
594.		Lucius Anicius, L. F. L. N. Gallus; Conſul.
818.	66.	. . . Anicius Cerealis Gallus; Cos. ſuffectus.
859.	107.	L. Tutius Anicius Cerealis; Cos.
919.	167.	T. Vibraſius Anicius Pollio; Cos.
929.	177.	T. Vibraſius, Anicius, Pollio. II. Cos.
968.	216.	. . . Anicius Cerealis, Cos.
1029.	277.	Anicius Paullinus Q. F. Cos. ſuffectus.
1050.	298.	. . . Anicius Fauſtus II. Cos.
1051.	299.	Anicius Fauſtus, Prætor Vrbis.
1052.	300.	Anicius Fauſtus, Prætor Vrbis.
1074.	322.	. . . Anicius Iulianus, Cos. Primus Chriſtianus.
1077.	325.	M. Iunius Cęſonius Nicomachus, Anicius Fauſtus Paullinus, Cos.
1078.	326.	Anicius Iulianus, Prætor Vrbis.
1079.	327.	Anicius Iulianus, Prætor Vrbis.
1080.	328.	Anicius Iulianus, Prætor Vrbis.
1083.	331.	Anicius Paullinus, Prætor Vrbis.
1084.	322.	Anicius Paullinus, Prætor Vrbis.
1086.	334.	. . . Anicius Paullinus Iunior, Cos.
1086.	334.	Anicius Paullinus, Prætor Vrbis.
1111.	359.	Anicius Tertullus, Prætor Vrbis.

Anicius

1112.360. Anicius Tertullus, Prætor Vrbis.
1113.361. Anicius Tertullus, Prætor Vrbis: in eius locum.
Anicius Maximus, Prætor Vrbis, hoc anno successit.
1114.362. Anicius Maximus, Prætor Vrbis.
1123.371. Sextus Anicius, Sex. F. Petronius Probus V.C. Cos.
1127.375. Anicius Pontius Paullinus V.C. Cos. post Eps Nolanus.
1147.395. { Sext. Anicius, Sex. F. Hermogenianus Olybrius, Cos.
Sextus Anicius, Sex. F. Probinus; Cos.
1156.406. Sextus Anicius, Sex. F. Sex. N. Petronius, Probus, Cos.
1158.408. Anicius Bassus, Cos.
1183.431. Anicius Bassus, Cos.
1185.433. Flauius Anicius Maximus, Cos. qui postea Imperator.
1190.438. Anicius Acilius Glabrio Faustus, Cos.
1195.443. Flauius Anicius Maximus II. Cos. post Imperat. an. 455.
1216.464. Flauius Anicius Olybrius, Cos. post Imperator an. 472.
1235.483. Anicius Faustus Iunior V.C. Cos. sine collega.
1239.487. Anicius Manlius, Seuerinus, Boetius, V.C. Cos.
1241.489. Anicius Probinus, V. C. & Inlustris Cos.
1242.490. Auienus Anicius Faustus Iunior, II. V.C. Cos.
1243.491. Flauius Anicius Olybrius Iunior V.C. Cos.
1254.502. Flauius Anicius Tertullus Probus, V.C. Cos.
1262.510. Anicius Manlius Seuerinus Boetius, V.C. Cos.
1265.513. Anicius Probus, V.C. Cos.
1271.519. Imp. Cæsar, Flauius Anicius Iustinus. P.F. Augustus Cos.
1273.521. Flauius Anicius Iustinianus, qui post Imp. Cæs. Augustus.
1274.522. Q. Aurelius Anicius Symmachus, V. C. Cos.
1274.522. Anicius Manlius Seuerinus, Boetius. V.C. II. Cos.
1275.523. Flauius Anicius Maximus, V.C. Cos. sine collega.
1276.524. Imp. Cæsar, Fl. Anicius Iustinus, P.F. Augustus II. Cos.
1277.525. Anicius Probus Tertullus V. C. Cos.
1278.526. Anicius Olybrius Tertullius Iunior Leonicus, V.C. Cos.
1280.528. Imp. Cæs. Fl. Anicius Iustinianus. P.F. Augustus II. Cos.
1285.533. Imp. Cæs. Fl. Anicius Iustinianus P.F. Augustus III. Cos.
1286.534. Imp. Cæs. Fl. Anicius Instinianus. P. F. Aug. IIII. Cos.
1292.540. Flauius Iustinus, Germani F. Anicius V.C. Cos. sine coll.
1319.567. Imp. Cæsar Fl. Anicius Iustinus Iunior. P. F. Aug. Cos.

CONSVLES ANICIÆ FAMILIÆ, quorum anni Consulatus ignorantur.

Anicius Vitalianus, V. C. Cos.
Anicius Gordianus, V. C. Cos.
Anicius Gregorius Gord. F. V. C. Cos.
Anicius Gordianus Greg. F. Gord. N. V. C. Cos.
Anicius Gregorius Gord. F. Greg. N. V. C. Cos.
Anicius Dorotheus V. C. Cos. nouæ Romæ.
Anicius Æquitius V. C. Cos. nouæ Romæ.

STIRPS ANICIA, ROMANA NOBILISSIMA,

Stemma Primum.

ANICIVM.

§. IX.



QVintus Anicius Prænestinus, primus in Historijs Anicij condecoratus nomine, vir magnæ potentiæ, ob quam à S. P. Q. R. Reipub. hostis adiudicatus fuit. Sed inde postmodum facultatibus restitutis, ab exilio reuocatus, etiam Aedilis Curulis dignitate donatus est, vna cum Cneio Flauio, Annij filio, anno ab Vrbe condita 450. secundum Varronianam computationem, quam hic sequi proponimus, P. Sempronio Longo, siue Sopho; & L. siue P. Sulpicio Sauerrione Coss. Plin. lib. 33. cap. 1. *Ex vxore cuius nomen igno-*

ignoratur, genitus filius Marcus. Gessit pro insigni Turrim argenteam, in campo rubro.

Gradus 2.

Marcus Anicius, Quinti Prænestini filius, nulla re alia memorabilis, nisi quod in triumpho nepotis sui prænotatus inuenitur in Fastis Capitolinis Parastata tertia, genuit filium Lucium.

Gradus 3.

Lucius Anicius, Marci filius, in eadem conditione inuenitur qua pater eius, filium sibi æquiuocum Lucium reliquit.

Gradus 4.

Lucius Anicius Gallus, Lucij filius, vir bellica laude clarissimus, qui vt affirmat Titus Liuius lib. 4. dec. 5. Prætor Vrbis creatus est, anno ab Vrbe condita 584. & anno 586. triumphauit de Rege Gentio & Illyrijs, vt produnt Fasti Triumphorum, & Ouationum Capitolini Parastata tertia, in quibus hæc inscriptio legitur:

L. Anicius. L. F. M. N. Gallus, Anno DXXCVI.
Pro Pr. de Rege Gentio, & Illurieis
Quirinalibus.

Eius meminit & Plutarchus in vita Pauli Aemilij, & Velleius Paterculus lib. 1. hist. Rom. Apud Hubertum Golzium in li. de Fastis Magistratuum, & Triumphorum Romanorum, huius Anicij Nummus reperitur,

in

in cuius priori parte visitur Mulier alata, per quam Anicij fama denotabatur, quæ Bigæ, siue currui duarum rotarum impositæ, & in pedes erecta flagello duos Equos velocissimos, quasi Anicij famæ nuncios, & cursores, agebat. Sub curru hæc inscriptio legebatur:

L. Anicij, L.F.

In posteriori vero parte, circum circa Nummum, de reliquo vacuum, hæc erant:

Salus Pro Pr. Ex S. C.

Genuit ex vxore quam habuit filium sibi æquiuocum, Lucium.

Gradus 5.

LVCIVS Gallus, L. Anicij Galli filius, cuius Consulatus, quem cum M. Cornelio Cethego gessit anno Vrbis 594. in Fastis Verrij Flacci, Cassiodori, & aliorum, sic notatus reperitur: L. Anicius L. F. L. N. Gallus, *filium habuit N.*

Gradus 6.

N. Anicius, Lucij Anicij Galli filius: L. Anicij Galli nepos; liberos genuit, sed ignorantur.

Gradus 7.

N. Anicius, N. Anicij filius: Lucii Anicii Galli, nepos: & L. Anicii Galli pronepos: de reliquo nec ipse, nec filius qui ei successit agnoscuntur.

Gradus 8.

N. Anicius. N. Anicij filius: N. Anicii nepos: Lucii Anicii Galli pronepos: & L. Anicii Galli abnepos, filium genuit Cerealem.

Gra-

Gradus 9.

Lucius Anicius Cerealis, sic à Cerere dictus, Gallus, N. Anicii filius; N. Anicii nepos: N. Anicii pronepos: Lucii Anicii Galli abnepos; & L. Anicii Galli atnepos, vti edocti sumus ex quodam indice Consulum Romanorum Aniciæ familiæ, à R. D. Hieronymo Brugia Abbate Casinensi nobis à Roma transmisso, ex quo prænomen item Lucij, quod à Panuino tacetur, & Galli agnomen, hucusque ab aliis ignoratum accepimus. Consul suffectus est, vt recitat Corn. Tacitus lib. 15. Aug. hist. in fine, in locum Plautii Laterani in Magistratu occisi, an. ab Vrbe condita 818. Christi vero 66. eius filius fuisse perhibetur L. Tutius Cerealis.

Gradus 10.

Lucius Tutius Anicius Cerealis, Anicii Cerealis Galli filius, Consularem dignitatem adeptus est an. Vrbis 859. Christi 107. vna cum Commodo Vero, vt Fasti Græci edunt. Eius meminit Plinius lib. 2. epist. ad Arianum. Genuit filium Anicium Tutium.

Gradus 11.

Anicius Tutius, L. Anicii Tutii Cerealis filius, nulla alia re clarus, præter quam quod filium genuerit sibi æquiuocum Tutium, qui Consulatum promeruerit.

Gradus 12.

Anicius Tutius, Tutii filius, Vitrasius, Pollio, cum Seruilio Pudente Consul designatus an. Vrbis 919. Christi 167. iterumq; cum M. Flauio Apro II. an. 929.

Vrbis,

Vrbis, Christi 177. cuius Consulatus in Fastis Capitolinis, & aliorum sic legitur notatus.

T. Vitrasius. T. F. L. N. Pollio. II.

Eius meminerunt Lampridius in Commodo: & Iul. Capitolinus in Marco. Nomen Aui illi appositum, videlicet: L. N. *communicauit nobis R. P. Hieronymus Bardi. Filium Genuit Anicium Cerealem.*

Gradus 13.

... *Anicius Cerealis, Anicij T. Pollionis filius, cuius meminerunt Dio, & Spartianus in Caracalla, cum Aimilio Læto. II. anno Vrbis 968. Christi 216. Consulatum adeptus est. Horum exstat memoria in hanc antiqua inscriptione.*

Terentiæ Flauolæ V.V. Max. Ti. Iulius Balbillus, Sac. Solis, ob plura eius in se merita DD. Prid. Non. April. Læto II. & Cereale Cos.

Eius filius fuisse prædicatur Balista.

GENS ANICIA MAXIMA.

QValis fuerit olim Familia Maxima ex Anicijs Romæ, quam clara, & illustris, satis superque aperit Aurelius Cassiodorus, lib. 10. Variarum epist. 11. & 12. quæ sunt Theodahadi Regis ad Maximum Anicium Domesticum V.I. & Senatum Vrbis Romę, qui inter cætera sic loquitur: *Anicios quidem pene Principibus pares ætas prisca progenuit; quorum nominis dignitas ad te sanguinis fonte perducta, collectis viribus hilarior instaurata rutilauit. Quis ergo relinqueret in posteris minus honoris, quos tam diu constat fuisse præcipuos? Accusarentur secula, si talis potuisset latere familia, &c.* Et paulo infrà in eadem ad Maximum epistola, conferens illi Primiceriatus

miceriatus qui & Domesticatus honorem, ait: *Hic honor, quamuis tantis natalibus videatur inferior, cunctis tamen fascibus tuis videtur esse felicior, cuius tempore meruisti coniugem Regiæ Stirpis accipere, &c.* In ea vero, quæ est ad Senatum Romanum inquit: *Neque enim fas est humile dici, quod gerit Anicius, Familia toto Orbe prædicata, quæ verè dicitur nobilis, quando ab ea actionis probitas non recedit, &c.* Ex hac familia ferunt quendam Anicium Maximum (vtrum tamen nomen eius id fuerit, an cognomen explicare nequeo) huius Anicij Cerealis ætate in Britanniam adnauigasse, cum alijs Legionibus militum Romanorum, tam gregariorum peditum, quàm phaleratorum equitum, qui accepta in vxorem puella illius Regni nobilissima, quatuor ex ea liberos sustulit; sicque factum est vt Anicia Familia propaginibus suis vltra mare Britannicum emissis, etiam Regni illius fasces moderata sit. Huius verò liberos nemo ideo minus Anicios fuisse putare debet, quod in alieno solo nati sint; pluribus nanque Romanis contigisse in prouincijs diuersis occasionibus nasci, multa exempla suppetunt, ut de S. Ambrosio legimus, qui natus est in Gallijs, cum parens eius in Gallijs gereret præfecturam: Sanctus Paulinus Anicius Burdigalæ in Aquitania, Imp. Iustinianus Anicius in ciuitate Bederina, quæ nunc Iustinopolis uocatur in Illyrico: & alij in aliis, ut hi Maximi in Britannia, quamuis origine Romani forent.

Eorum uero nomina fuerunt

Anicius Trahe-rus Maximus Britan-niæ rex.

Anicius Marius Maximus, Rex Britanniæ.

Anicius Ioelinus, siue Leoninus Maximus, Britannia egressus, Romã cum Fl. Constãtio Chloro Imper. cognato suo perrexit, ductaque nobilissima Romana fauore Imperatoris (fortassis ex Anicia Familia, de qua ipse originẽ habebat) & in Britanniam postmodum abducta, ut auctor est Galfridus rer. Brit. lib. 5. c. 9. ex ea filium procreauit, qui postea Imperator acclamatus est.

Anicia N. vxor Coylli, Ducis Cloceſtriæ, & post Britanniæ Regis: ex cuius coniugio nata.

S. Helena, quę Imp. Constantio Chloro nupta, ex eo mater effecta est filij cuius nomẽ

Constantinus Imperator omnium Imperatorum primus Christianus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flauius Anicus, Magnentius Maximus, in Britannia natus, qui Flauiis Merobaude. II. & Saturnino VV. CC. Coss. an. Vrbis cõditę 1135. Christi 383. à militibus in Britannijs, ex Duce exercitus contra Gratianum Imp. appellatus est: eodem anno imperare cœpit Lugduni occiso Gratiano octauo calend. Septembris: & imperauit in Galliis, contra Valentinianum Iuniorem, annos 5. & dies 11. Prælio uictus à Theodosio Imp. Aquileiæ, occisus est 6. calend. Septembris, anno Christi 388. Vrbis conditæ 1140. Eius uxor N. filia Octauii Britanniæ Regis, siue Ducis, ex qua nati. *Galfredus, lib. 5. c. 9. & alij.*

Flauius Anicius Victor, à patre in Galliis Augustus appellatus, eisdemque prouinciis Præpositus, iisdem Coss. quibus pater Imperium cœpit; eodemque anno quo pater cæsus est, & ipse iussu Theodosii in Galliis est interfectus. Ex uxore N. genitus: *Panuinns, ibidem.*

Anicius Maximus, patri superstes. *Panuinus, Rom. Principi, lib. 1.* Vtrum filios habuerit incertum.

Flauius Anicius Maximus, Romæ natus, Consulatum egit prima uice anno Vrbis 1185. Christi 433. cum Imp. Theodosio Iun. XIIII. secundò anno Vrbis 1195. Christi 443. cum Flauio Paterno. Et mortuo Flauio Placidio Valentiniano Imp. III. ex Patricio, & Senatore Imperator creatus est anno Christi 455. die 16. cal. Aprilis: & imperauit Romæ menses 2. & dies 27. Occisus eodem anno à Vandalis, qui Duce Genserico eorum Rege Romam innaserant, pridie Idus Iunii, & in Tiberim proiectus est. Ex uxore N. geniti: *Panuinus ibidem.*

N. N. N.

Ex horum aliquo progenitus fertur.

Flauius Anicius Maximus. V. C. qui anno Vrbis 1275. Christi uero 523. Consulatum sine collega strenuè gessit: & Primiceriatus, seu Domesticatus honore à Theodahato Rege, cuius consanguineam, Regiæ stirpis uirginem uxorem duxerat, condecoratus est: ut uidere est apud Cassiodorum, uariarum lectionum, lib. 10. epis. 11. quæ est ipsius Regis, ad Maximum.

Gra-

Gradus 14.

Sergius Anicius Baliſta, Anicij Cerealis filius, vt nobis reliquit R. Bardi, cuius duo priora prænomina ex Golzio accepimus: cum in Aſia Præfectum ageret ſub Macriano, qui ſe pro Imperatore gerebat, Imperium & ipſe contra Gallienum arripuit anno Vrbis 1014. Chriſti 262. quod cum vix duobus annis tenuiſſet, factione Aureoli Imp. tyranni occiſus eſt; relicto filio Anicio Iuliano, totius Anicianæ Familiæ illuſtratore.

GENS ANICIA PAVLLINA, BASSA, ET FAVSTA.

GEntem Aniciam Illuſtriſſimam, in plures Ramos fuiſſe diuiſam, ita ut nonnulli eorum uocarentur Paullini, alii Baſſi, quidam Fauſti, cæteri Maximi, Symmachi, Boetii, de quibus partim diximus, partim dicemus ſuo loco, ex hiſtoriis clarum eſt. Et Paullinos quidem, & Baſſos, Anicianæ Familiæ germina fuiſſe, produnt tum antiquæ inſcriptiones, tum Conſulares Faſti: qui quam celebres inter Senatores Chriſtianos in Vrbe fuerint, ab Aurelio Prudentio aduerſus Symmachum lib. 1. recenſetur his uerſibus:

Non Paullinorum, non Baſſorum dubitauit
Prompta fides dare ſe Chriſto, ſtirpemq; ſuperbam
Gentis Patriciæ venturo attollere ſæclo.

Quo uero temporis interuallo ex Anicia, Paullina, Baſſa, uel Fauſta dicta fuerit hæc Familia, non facilè eſt perueſtigare. Paullinam autem à Paullo, Baſſam à Baſſo cognomine noto, & Fauſtam à fauore, quod proſperum, & felicem ſignificat, cui omnes fauent, ſic dici, contendit Panuinus de Familia Frangipania, lib. 1. cap. 4. Primus autem Familiæ Paullinæ, cuius in Vrbe mentionem factam inuenerim, eſt

N. Anicius Paullinus, ex ſententia Huberti Golzii, Quinti filius, Cõſul ſuffectus eſt anno Vrbis 1029. Chriſti 277. unà cum Imp. Probo Augu-

Augusto; agnoscitur tamen pro uero Consule à Cassiodoro, Fastis Græcis, & aliis quibusdam. Eius filius fuisse putatur.

N. Anicius Faustus, qui secundum Fastos Græcos, Consulatum II. gessit cum Seuero Gallo, anno Vrbis 1050. Christi 298. Eius filius.

M. Iunius, Cæsonius, Nicomachus, Anicius, Faustus, Paullinus, Consul factus est cum P. Publilio Ceionio, Iuliano, an. Vrbis 1077. Christi Domini 325. eo ipso anno quo Nicænum Concilium celebratum est. Cuius extat hæc inscriptio antiqua, cum adhuc gentilitate detineretur.

Herculi inuicto, M. Iunius, Cæsonius, Nicomachus, Anicius, Faustus, Paullinus.

Eius filius fuit:

Anicius Paullinus iunior, Consulatum ordinarium egit cum L. Ranio Acontio Optato anno Vrbis 1086. Christi 334. ut edunt Fasti Græci, & Baronius; de hoc cum aurea statua donatus est, eiusmodi exstat egregium antiquitatis monumentum.

Anicij Iun.

Anicio Paullino Iun. C. V. Pro. Cos. Asiæ, & Hellesponti, Consuli ordinario, Præf. Vrbi, Vice sacra iudicanti, ob meritum nobilitatis, eloquij, iustitiæ, atque censuræ, quibus priuatim, ac publicè clarus est: petitu. Pop. Rom. testimonio Senatus, iudicio D. D. N. N. Triumphatoris Aug. Cæsarumq; florentium, Statuam secundam auro superfusam locari sumptu publico, Placuit.

Eius fortassis filius fuit:

Anicius Pontius Paullinus, V. C. qui ex R. Baronii sententia, natus est Burdegalę in Aquitania, & Consul ordinarius factus est an. Christi 375. licet eius nomen in Fastis non reperiatur. Poëtæ sacris addictus Nolanum Episcopatum adeptus est, & miraculis, ac sanctitate clarus migrauit ad Dominum, anno salutis 431. die 22. Iunii, cuius laudes refert R. Baronius, tum in notis Martyrologii Romani, tum etiam tomo 4. Annal. Eccles. ad annos 375. & 394. ad quos Lectorem remitto. Eius uxor fuit S. Tarasia, ex qua filiam unam sustulisse fertur, sed quod eius nomen fuerit, hactenus ignoro.

ANI-

ANICIA BASSA GENS.

BAssorum Aniciorum clariſſimam Familiam Romæ etiam extitiſſe teſtantur cum Aurelio Prudentio, & alii Hiſtorici; eorum primus in Faſtis Conſularibus nominatur, Anicius Baſſus, qui anno Vrbis 1158. Chriſti uero 408. Conſulatum cum Fl. Philippo meruit: quem per manus quaſi acceptum, eius etiam filius:

Anicius Baſſus, in Occidente geſſit, cum Fl. Antiocho Orientis Cos. anno Vrbis 1183. Chriſti 431. De eo agens Panuinus lib. 3. comment. in Faſtos, ſic inter cætera inquit: *Eſt enim Aniciorum* (Baſſorum videlicet) *gens, Romæ per hæc tempora nota.*

ANICIA FAVSTA GENS.

EX Aniciorum etiam ſanguine, & ut ego ſuſpicor, ex eadem quoque Paullinorum Familia, fuit Anicius, Acilius, Glabrio Fauſtus, V.C. qui anno Chriſti 438. una cum Imp. Theodoſio XVI. in Occidente Conſulatum adminiſtrauit: qui in antiqua tabula marmorea Romæ etiam Præfectus Vrbi appellatur, ita:

DD. NN. Aeternis Principibus, Honorio, & Theodoſio Anicius, Acilius, Glabrio. Fauſtus, V. C. Præf. Vrb. Fatali caſu ſubuerſam, in formam priſci vſus reſtituit.

Eius filius creditur fuiſſe,

Auienus Anicius Fauſtus Iunior V.C. cuius Conſulatus primum notatur in Faſtis Conſularibus anno 483. ſine collega: & II. an. 490. cum Fl. Longino. Eius meminit Caſſiodorus in epiſtolis, & Sidonius Apollinaris.

Gradus 15.

Anicius Iulianus, Aniciȳ Baliſtæ filius, geſſit Conſulatum, R. Baronio atteſtante, tomo 3. annal. Eccleſ. cum Petronio Probiano, anno Vrbis 964. Chriſti 322. quorum Conſulum vetus extat memoria ſic habens:

Petronio Probiano, & Anicio Iuliano Coss. Pridie Calendas Apriles, Coloni, & Coloniæ Aeliæ Hadrianæ.

Hunc Petronium Probianum familia quoq; Anicia fuisse non leui coniectura ducor. Iulianus vero primus omnium Senatorum Romanorum Christi fidem est amplexus, & fidei lumine clarissimam familiam, multo clariorem reddidit, de quo putatur dictum illud Prudentii, lib. 1. aduersus Symmachum.

Fertur enim ante alios generosus Anicius
Vrbis
Illustrasse caput: sic se Roma inclyta iactat.

Tempore huius Iuliani, vitæ scilicet eius, non autem consulatus, passi sunt Aquileiæ sub Diocletiano Imperatore, tres glorioſissimi fratres Cantius, Cantianus, & Cantianilla, ex hoc Illustri Aniciorum genere sanguinis lineam ducentes, quo autem consanguinitatis gradu Iulianum attingerent explicare non valemus. Sepulti sunt primum Aquileiæ, cum pædagogo suo Proto, qui cum eis capite plexus est; de quibus & Venantius Fortunatus sic concinit,

Aut Aquileiensem si forte accesseris vrbem,
Cantianos Domini nimiũ veneris amicos, &c.

Ab hoc Iuliano in posterum reliqua erunt clariora, cum auctoribus probatæ fidei non modicum adiuti fuerimus, vti in subsequentib. patebit: quod non ita euenit à Quinto Anicio Prænestino, vsque ad Iulianum: Licet namq; nullum ex industria, aut propria sententia nostra apposuerimus,

ſuerimus, quem non ſuppetierint nobis aliqui ex ſupra-citatis hiſtoricis, aut Faſtis; attamen cum ob immatu-ram R. D. Bardi mortem, vnde ſententiam ſuam con-firmaret inueſtigare ab ipſo non potuerimus, non ſine rationabili cauſa de quibuſdam eorum à nobis dubita-tum: quod Lectorem præmonere voluimus, ne nos fal-ſitatis, aut impoſitionis nota arguat. Vrbis inſuper Prætoriatum geſſit Iulianus tribus annis continuis, vi-delicet annis Chriſti 326. 327. & 328. Et relicto vnico filio, Sexto Anicio, obijt.

Gradus 16.

Sextus Anicius, Iuliani filius, à patris ſui fide, ac pro-bitate filij non modicum nobilitatus, cuius memoria ex-tat in Conſulatibus tam filij, quàm nepotis, in Faſtis Conſularibus in quibus ſic eius nomen legitur:

Sextus Anicius, Sex. F. Sexti N. Petro-nius Probus.

Opum ſuarum duos filios reliquit hæredes, Sextum Petronium Probum, & Anicium Tertullum.

STIRPIS ANICIAE,

Stemma Secundum.

PROBVM.

§. X.

Gradus I. Qui est Anicianus XVII.

Sextus Anicius, Petronius, Probus, sic à probitate cognominatus, vnde postmodum Familiæ nouæ Probæ cognomen, Sexti Anicij filius, vir omnium priuatorum maximus, atque post ipsos Augustos primus, qui tantæ famæ fuisse perhibetur, vt ad eius amplitudinem spectandam, è Perside sapientes Romam venisse Baronius testetur. Eius frequenter meminit Ammianus, eiusque nobilissimi Magistratus Præfecturæ Prætorij sæpius iteratæ, necnon Ausonius, Symmachns, & alij, vt Paulinus in vita S. Ambrosij, qui ambo ex Anicia etiam Familia fuisse feruntur. Gessit Probus Consulatum vna cum Gratiano Imp. anno Domini 371. qui erat Vrbis conditæ 1123. delegauitque Ambrosio prouincias Aemiliam, atque Liguriam, cum ipse Prætorij Præfecturam administraret. Et quod maius existimari debet, una cũ nobilitate, opum affluentia, atque amplissimorum Magistratuum splendore, egregias coniunctas habuit cum Christiana Religione

gione virtutes, quod tum alij testantur, tum maximè Aurelius Prudentius, Claudianus, Marcellinus, & Ausonius, qui frequentem Probi mentionem faciunt. De hoc autem Probo in Antiquis duabus basibus, quæ adhuc Romæ in domo Cæsia extant, sic legitur in prima à filijs duobus posita:

Sexto. Petronio. Probo. V. C, Proconsuli. Africæ. Prefecto. Pretorio. Quater. Italiæ. Illyrici. Africę. Galliarum. Consuli. Ordinario. Patri. Conſulum. Anicius. Probinus. V. C. Consul. Ordinarius. Et. Anicius. Probus. V. C. Quæstor. Candidatus. Filij. Munus. Singulari. Religioni. Debitum. Dedicarunt.

Secundæ verò, quam alij duo eius filij posuerunt inscriptio talis est:

Sexto. Petronio. Probo. Anicianæ. Domus. Culmini. Proconsuli. Africæ. Præfecto. Prætorio. Quater. Italiæ. Illyrici. Africæ. Galliarum. Consuli. Ordinario. Consulum. Patri. Anicius. Hermogenianus. Olybrius. V. C. Consul. Ordinarius. Et. Anicia. Iuliana. C. F. Eius. Deuotissimi. Filij. Dedicarunt.

In fine vitæ suæ ad fidem Christi conuersus, in omni pietate, & sanctitate vitæ reliquum peregit, & tandem deficiens in Vaticano post apsidē Basilicæ S. Petri sepultus est, ad cuius sepulchrū hoc olim Epitaphiū legebatur:

Eximii resolutus in ætheris æquore tantum
Curris iter cunctis integer à uitiis,
Nomine quod resonas imitatus moribus æque.
Iordane ablutus nunc Probus es melior.
Dures opum, clarusque genus, præclarus honore.
Fascibus Inlustris Consule, dignus Auo.
Bis gemina populos Præfectus sede gubernans
Has mundi phaleras, hos procerum titulos.
Transcendis senior donatus munere Christi,
Hic est uerus honos, hæc tua Nobilitas.
Lætabare prius mensæ regalis honore,
Principis alloquio, Regis amicitia.
Nunc propior Christo Sanctorum sede potitus,
Luce noua frueris, lux tibi Christus adest.
O numquam deflende tuis cum uita maneret,
Corporis atque artus spiritus hos regeret.
Primus eras, nullique Patrum uirtute secundus,
Nunc renouatus habes perpetuam requiem.
Candida fuscatus nulla uelamina culpa
Et nouus insuetis incola liminibus.
His solare tuos, quamquam solatia mœsta e
Gratia non quærat, gratia Christe tua.
Viuit in æterna Paradisi sede beatus;
Qui noua decedens, munetis ætherii
Vestimenta tulit, quo demigrante Belial
Cessit & ingemuit hic nihil esse suum.
Hunc tu Christe choris iungas cœlestibus oro,
Te canat, & placidum iugiter aspiciat.
Quique tuo semper dilectus pendet ab ore,
Auxilium soboli, coniugi oque ferat.

Vxor ei fuit Anicia Faltonia Proba, Sanctissimæ vitæ fœmina, & Centonis de Christo, ex Virgilianis versibus coaptati, inuentrix, cuius laudes fusius prosequitur R. Cæsar Baronius, in quarto, & quinto Annalium suorum Ecclesiasticorum voluminibus; De hac vero sic in quadam Basi veteri domus Cæsiæ legitur;

Con-

Consimiles fratrum trabeis gestamina honorum
Tertia, quæ dederant, adddidimus titulis,
Dilectæ Probus, hæc persoluit munera Matri,
Restituens statuis præmia quæ dederat: *Et infrà.*

Aniciæ. Faltoniæ. Probę. Amnios. Pincios. Aniciosque. Decoranti. Consulis. Vxori. Consulis. Filiæ. Consulum. Matri. Anicius. Probinus v. c. Consul. Ordinarius. Et. Anicius. Probus. v. c. Quæstor. Candidatus. Filij. Deuincti. Maternis. Meritis. Dedicauerunt.

Item ibidem in altera basi Statuæ collocatæ.

Aniciæ. Faltoniæ. Probæ. Fidei. Nobilitatis. Antiquæ. Ornamento. Anicianæ. Familiæ. Seruandæ. & Docendæ. Castitatis. Exemplo. Consulum. Proli, Consulum. Matri. Anicius. Hermogenianus. Olybrius. v. c. Consul. Ordinarius. Et. Anicia. Iuliana. c. f. Eius. Deuotissimi. Filij. Dedicauerunt.

Insuper hæc in alia basi ibidem posita.

Aniciæ. Faltoniæ. Illustrissimæ. Et. Sanctissimæ. Castissimæ. Fœminę. Hermogenianus. Olybrius. v. c. Consul. Ordinarius. Et. Anicia. Iuliana. C. F. D. D.

Viro suo aliquot annis superuiuens, apud eundem sepeliri moriens, voluit, & tam sibi, quam illi sequens Epitaphium aptari:

Sublimes quisquis tumulis miraberis arces,
Dices quantus erat, qui Probus, hic situs est.
Consulibus proauis, socerisque, & Consule maior,
Quod geminas Consul reddidit ipse domos.
Præfectus quartum toto dilectus in Orbe,
Sed fama emensus quidquid in Orbe hominum est.
Æternos heu Roma tibi, qui posceret annos,
Cur non uota tua uixit aduſque boni.
Nam cum sexdenos mensis suspenderet annos,
Dilectæ gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periisse Probum meritis pro talibus absit,
Credas Roma tuum, uiuit & astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti coniux tamen optima luctus,
Hoc Proba sortita est, iungat ut urna pares.
Fœlix heu nimium, fœlix dum vita maneret,
Digna iuncta viro, digna simul tumulo. *Versus uero ille:*

Quod geminas Consul reddidit ipse domos,

Alludit ad duas Familias Anicianas, Proborum videlicet, & Olybriorum, quarum prima ab ipsomet Sex. Anicio Probo propagata, S.P.N. Benedictum protulit. Secunda vero ab Hermogeniano Olybrio eius filio deriuata, Perleonios Romanos, à quib. Principes Austriaci originẽ ducũt, uti in sequentibus uidebimus, propagauit. Genuit ex vxore sua S. Anicia Faltonia Proba quatuor liberos, tres mares, & unam fœminam, videlicet: Hermogenianum Olybrium Probinum, Probum, & Iulianam, ex nomine aui sui Iuliani sic vocatam. Primum autem, in subsequenti gradu, Sexti Anicij Probi, & fratris Probini, Julianæque sororis Familiam pertractabo: post fratris eius Sexti Anicij Hermogeniani Olybrij, historiam, ac posteritatem subiecturus. Quo anno obierint Pro-

bus,

bus & Proba ex historijs non liquet.

Anicius Tertullus, Sexti Anicij filius, ex R. Hieronymi Bardi sententia, Prætorij præfecturam administrauit annis Christi 359. 360. & 361. vt diligenter annotatum reliquit Panuinus, commentar. in Fastos. lib. 3. Eius filius legitur fuisse Anicius Felix.

Gradus II. Anicianus XVIII.

Sextus Anicius, Petronius Probus iunior, Anicij Probi & Probæ filius, Vrbis Quæstor fuit, deinde Consulatus summum Magistratum gessit cum Imp. Arcadio iam VI. an. Domini 406. qui notatur à Panuino lib. 3. Fastorum hoc modo:

Sex. Anicius, Sex. F. Sex. N. Petronius Probus.

Agit de eo plura R. Baronius tom. 4. & 5. Annal. Eccl. ad annos 395. & 406. eiusque memoria habetur in prima antiqua inscriptione, quæ est ad eius matrem, sic:

Et Anicius Probus V. C. Quęstor Candidatus.

Filius ei fuit, Iustinianus, & alius N. Anonymus.

Sextus Anicius Probinus, Anicij Probi, et Probæ filius, probitatis parentum suorum æmulus, Consul designatur vna cum fratre suo Hermogeniano, Vrbe ipsa rem insolitam admirante, anno Christi 395. vt Fasti Consulares produnt, confirmantque Panuinus, Baronius, & alij: in cuius & fratris Consulatus initijs carmen Panegyricum cecinit Claudianus, vbi hæc inter alia.

Iam

Iam noua Germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætiq́ue petant exordia menses.

Et ad finem:

Omni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per æuum,
Germanos habuisse Duces.

Plura de eodem videto apud Baronium.

S. Anicia Iuliana, Sexti Anicij Probi, ex Proba filia, & Hermogeniani Olybrii V.C. & Consulis vxor, qui Consulatum gessit anno Vrbis 1131. Christi 379. vna cum Ausonio Gallo, de quo, & vxore eius Iuliana legitur hæc inscriptio:

Tyrraniæ, Anicię, Iulianę, C. F. Coniugiq́;
Clodi Hermogeniani Olybrij V.C. Consularis, Campanię, Proconsulis Africę, Prefecti Vrbis, Pręf. Prę. Illyrici. Prefecti, Prę. Orientis, Consulis Ordinarij. Fl. Clodius Rufus V. P. Patronę Perpetuę.

Ad hanc ipsam Iulianam extant Innocentii I. Papæ, Alypii, Augustini, Ioannis Chrysostomi, & S. Hieronymi epistolæ multæ, de cuius laudibus, & sanctitate, plura adfert R. Baronius tomis 4. & 5. annal. Eccles. uti & de filia eius S. Demetriade, quam ex Hermogeniano habuerat; vitam, & seculi abdicationem, cæterasq; eius virtutes, quas ante explicarat S. Hieronymus in epist. 8. agens de immatura patris sui morte, ad annum

413. tomo 4. egregiè commemorans. Huius item Demetriadis vitam, adfert Antonius Gallonius in vitis SS. virginum Romanarum.

Flauius Anicius Felix, Anicii Tertulli filius, vir sanctissimus, & per omnia religiosus; Vxore sua defuncta, sacris addictus factus est S.R.E. Card. SS. Nerei & Archilei, Tituli Fasciolæ, ut auctor est Panuinus in epitome Pontif. Rom. in fol. ad Felicem III. qui, vt idem Panuinus ait in libris de Familia Frangipania, fulgebat in Ecclesia Romana, anno Dom. circiter 430. Felix non solum ob sanctctatem, doctrinam, religionem, verumetiam, & clarissimam prolem, nã filium genuit Anicium Felicem, qui postea Romanus Pontifex creatus est.

Gradus III. Anicianus XIX.

Anicius Iustinianus Probus, Sexti Anicii Probi iunioris filius, cuius res gestæ hactenus in tenebris ita latuerunt, vt vix inueniamus, quid de eo proferamus. Clarus tamen fuit non solum ob patris sui Probi Consulatum, verumetiam ob clarissimam quam genuit prolem, fuerunt enim ei filii tres Germanus, Eupropius, & Tertullus. De eo tamen meminerunt Petrus Diaconus libris de viris ill. & Sanctis Montis Casini, cap. 1. Anastasius Bibliothecarius in historia parua statim in principio; Trittemius noster de vir. ill. S. Ben. lib. 1. c. 1. confundit tamen eum cum Iustiniano Imperatore, cuius

ratio-

rationem reddimus in notis noſtri Martyrologii, ad diem 21. Martii, Index Conſulum Romanorum nobis à Roma tranſmiſſus; & R. Bardi in faſtis ſuis MSS. & aliis tractatibus de Familia Anicia Perleonia: Chronicon quoque ciuitatis Nurſiæ, & alii nonnulli.

N. Anicius . . . Probus, Sexti Anicii Petronii Probi iunioris filius, V. C. filium habuit Probinum V. C. cuius ſolius cauſa, à R. Hieronymo Bardi in catalogo Conſulum Anicianæ Familiæ, & quibuſdam aliis memoriam poſteritatis meruit.

Sanctus Flauius Anicius Felix, Anicii Felicis filius, quem Attauum ſum fuiſſe teſtatur S. Gregorius Magnus Papa homil. 38. in Euang. & lib. 4. dialog. c. 16. poſt uxoris ſuæ mortem, ex qua natus ei fuerat filius Felix, uni Deo ſeruire cupiens in ſortem Domini intrauit, & non multo poſt ob inſignem ſanctitatem, Summus Pontifex renunciatus, anno Chriſti 482. ſeptimo Idus Martii. Felix III. aliàs II. dictus eſt. Ordinationes duas Menſe Decembri fecit, Epiſcoporum 30. Presbyterorum 29. & Diaconorum 5. Sedit annos 11. menſes 11. dies 17. Obiit quinto Calend. Martii anno 494. ſepultus in Baſilica S. Pauli via Oſtienſi. Vacauit ſedes eo mortuo dies quinque.

Gradus IIII. Anicianus XX.

Anicius Germanus, Probus, Anicij Iuſtiniani Probi filius,

lius, V. C. nulla alia re clarus memoratur, nisi quod ex . . . . . Anicia, sorore Anicij Iustini Imperatoris, quæ ei vxor fuit filios tulerit Vitalianum, Germanum, & Iustinianum Imperatorem, & filiam Bliglentiam. Nomen eius in Historijs quidem non reperitur, addidimus tamen illud nos, tum filij Germani coniectura, tum etiam quod omnino arbitremur illum Germanum esse ad quem exstat Hormisdæ Papæ epistola 54. tomo 1. epist. Decret. in qua Illustrissimus vocatur, hortaturque ad defensionem tam Ecclesiæ, quàm aliquot etiam Episcoporum. Siquis tamen aliter repererit, contentioni cædo.



Anicius Eupropius, Probus, Riguardatus, Anicij Iustiniani Probi filius. V. C. & Nursiæ Comes, de quo meminerunt auctores omnes in eius patre annotati, ijsdem locis, & nos item loco citato nostri Martyrologij, vbi de eius nominibus, & eorum varia lectione egimus. Restabat agnomen, Riguardatus, cuius quidem aliquem coniecturam ibidem dedimus, sed cum nobis ipsis illa omnino non satisfaciat, licet verisimilis videatur, aliam hic addimus, videlicet: quod cum vxor ei fuerit Abundantia Nursiæ Comitissa, ex Riguardatorum Familia nobilissima, cuius causa Comes ipsæ Nursiæ factus est, ne tam nobilis familia interiret, erat enim Abundantia vnica Patris sui filia, & sola tam facultatum, quàm cognominis hæres, nonnullarum aliarum nationum

tionum more, Probi tamen cognomine sibi retento, quod erat familiæ suæ proprium, Riguardati sibi agnomen accepit, & sic in familiam vxoris suæ Abundantiæ transiens, familiam iam extinctam ex cognomine nouo sibi assumpto, quod postea in Familiæ cognomen transijt, resuscitauit: quod ab eo sic acceptum, eius posteri Nursiæ ad hæc vsque nostra tempora honorabiliter conseruarunt. Huius autem perueteris moris, plurima in historijs tam antiquorum, quàm recentiorum suppetunt exempla; & etiamnum hodie in multis prouincijs obseruatur: vt videre est maximè apud Franciscum Belforestium in magnis annalibus Franciæ multis in locis, & præcipuè lib. 3. c. 45. vbi agit de Roberto, Druidum, & Philippo Tanlæorũ Comitibus, Ludouici Crassi Franciæ Regis filijs: qui non solum vxorum suarum cognomina, proprio relicto, verum etiam & familiarum insignia, ad familiæ in quam intrbant conseruationem, armis auitis relictis, vsurpare sunt coacti. Hoc fecit & Hugo III. Rex Cypri, qui cum esset Princeps Tarentinus ex nobilissima Familia de Brene, in assumptione sua ad Regnum, ob mortem Hugonis II. qui sine liberis decesserat, matris suæ Isabellæ Lusignanæ, cui Regnum debebatur, cognomentum sibi sumpsit, ut Familia Lusignana integra conseruaretur, sicut tradidit nobis F. Stephanus Lusignanus in Historia Regni Cypri. Familijs enim suis maiores nostri prouidere uolentes, nullum efficacius remediũ ad eas sartatectas conseruãdas excogitare potuerunt. Vxor eius fuit Abundantia Riguardata prædicta,

ex

ex qua S. P. N. BENEDICTVM, & S. Scholasticam gemellos sustulit, quæ mortua est in pærtu anno D.480. Alios etiam filios ex eadem Abundantia ante S.P. Benedictum: vel certe ex alia vxore, post primæ vxoris mortem habuisse crediderim, si verum est quod ab Historicis proditur Familias, scilicet Riguardatorũ nobilem Nursiæ, & Palomecquorum Hispaniæ illustrem, ab ipso propagatas fuisse: at cum ij in Historijs non recitentur, nihil hic de nostro addendum putauimus, quod auctoritate careret. Gessit pro insigni Leonẽ argenteũ, in rubro, Auitis armis Anicianis relictis. Flauius Anicius Probus Tertullus, Anicij Iustiniani filius, V.C. consulatũ gessit an. Christi 502. cum Rufio Magno Fausto Anieno Iuniore V.C. vt produnt Fasti Consulares, tum Panuini excusi, tum etiam MSS. R. Bardi; & Io. Petri Villa de Canibus, in tractatu suo de Familia S. Placidi. Genuit ex vxore N. filium sibi æquiuocum Tertullum.

Anicius Probinus, . . . Anicij filius, Sexti Anicij Probini nepos, Consulatum egit cum Eusebio Chronio, anno Do. 490. qui sic in Fastis Consularibus tam Panuini, quàm aliorum, annotatus est:

Anicius Probinus V. C. & Inlustris.

At à R. Bardi sic prænotatum habuimus;

Anicius Probinus V. C. & Inlustris,
. . . Anicij . . . F. Sex. Anic. Probini. N.

Ex vxore. N. Anastasij Dicori Imperatoris sorore, geniti referuntur à Procopio filij duo, Hypatius, & Probus: quibus ego Aequitium adiungo.

ANI-

ANICIORVM BOETIORVM Gens.

CLara fuit etiam hoc tempore Romę Illuſtris Aniciorum Boetiorum Torquatorum familia, ſed qua ratione Anicia dicta fuerit, aut quo conſanguinitatis gradu cum his noſtris Aniciis iuncta, explicare adhuc minimè valeo, licet ſuper hac re diù multumq; inſudauerim; tum ut mihiipſi ſatisfacerem, tum etiam ut Ill. D. Io. Petro Villa de Canibus Siculo, amicitia mihi iuncto, qui illud à me expoſcebat, morem gererem. Primus qui in Hiſtorijs reperitur, eſt Anicius, Manlius, Seuerinus, Boetius, Torquatus, qui Conſulatum geſſit, ſine collega, vt Faſti Conſulares produnt, anno Vrbis 1239. Chriſti 487. & præter filium quem ſibi æquiuocum genuit, nullam aliam memoriam poſteris de ſe reliquit.

I

Anicius Manlius Torquatus, Seuerinus, Boetius, Conſulatum geſſit prima vice anno vrbis 1262. Chriſti 510. cum Eutharico: & & poſt II. Conſul. fuit cum Socero ſuo Symmacho an. vrbis 1274. Chriſti 522. vir fuit omnium atteſtatione grauiſſimus & ſanctiſſimus, omniumq; ſcientiarum peritiſſimus, ut eius opera, quę ab alijs recitantur indicant. Tandem ob affectatæ libertatis ſuſpicionem, à Theodorico Rege exilio dānatus, deinde cuſtodiæ traditus; poſtremò Ticini poſt Symmachi ſoceri ſui mortem coronā martyrij percepit, anno Chriſti 526. canonizatus ſub nomine S. Seuerini. Apud Caſſiodorum in libris uariarum lectionum plures ipſius Regis Theodorici, ad eum leguntur Epiſtolæ. Fuit Sanctiſſimo P.N. BENEDICTO familiariſſimus, & Sublaci, cum Tertullo S. Placidi Patre, aliisque Senatoribus illius menſæ accubuit. Eius poſtmodum, ac ſoceri Symmachi ſtatuas, ac bona, fiſco adiudicata, Regina Amalaſuntha, Regis Theodorici filia, hæredibus integra reddidit. Vxores ei duæ fuere, harum prima fuit Elpis, Meſſanenſis, Sicula, quam D. Io. Petrus Villa de Canibus, filiam facit T. Annij Placidi V. C. & Cos. ac ſororem Fauſtinæ, Vxoris Tertulli Patricij, matris S. Placidi Martyris; nos uero id non audemus aſſirmare, cum teſtimonia ueterum deſint, Lector quod uelit ſequatur. Fuit hæc Elpis mulier & ſanctiſſima, ac doctiſſima, cuius eſt deuotiſſimus, & pulcherrimus ille Hymnus, Aurea luce, &c. Qui in natali SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli cantatur. Obijt Ticini uiro

ſuo

suo superstite, ibidemq; sepulta est, & hoc Epitaphio condecorata:

Elpis dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Quam procul à patria coniugis egit amor.
Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
Cumq; viro solum spiritus unus erat.
Lux mea non clausa est tali remanente marito,
Maiorisq; animæ parte superstes ero.
Porticibusq; sacris, iam nunc peregrina quiesco,
Iudicis æterni testificata thronum.
Neue manus bustum uiolet, ne forte iugalis,
Hęc iterum cupiat iungere membra cinis.

Ex hoc Epitaphio aperte colligitur errare eos, inter quos unus est Io. Petrus Villa de canibus, qui putant hanc eandem esse cum Rusticiana, Symmachi Filia, secunda Boetij vxore, nam constat ex Procopio, lib. 1. de bello Gothico, Sigonio, & aliis, Rusticianam multis annis uixisse post uiri sui mortem; hæc uero mortua est ante Boetium, ut ipsa fatetur hoc uersu,

Lux mea non clausa est tali remanente marito,
Maiorisq; animæ parte superstes ero, &c.

Secunda Boetii Vxor fuit Rusticiana, Symmachi Patricii filia, de qua paulò inferius agemus cum peruenerimus ad Symmachum patrem. Ex prima an filios habuerit incertum: ex secunda duos sustulisse fertur, Boetium uidelicet, & Symmachum. Castigatione non modica indiget Venerabilis Beda hist. Angl. lib. 1. c. 13. qui annum 23. Imperii Theodosii iunioris, putat fuisse annum Consulatus Symmachi, & Boetii III. cum illo anno qui erat à Christo 446. neuter eorum natus esset, & annus ille non Boetio, sed Aetio III. & Q. Aurelio Symmacho, diuerso à nostro, in Fastis Consularibus annotetur: nec Boetius ter, sed bis tantum inierit Consulatum. Affinitatem nominis Aetii cum Boetio, & Symmachi æquiuocationem, materiam erroris Bedæ dedisse manifestum est. Vt fecit & Ioanni Murmellio in uita Boetii, qui patrem pro filio accipiens, dicit eum accubuisse mensæ S. P. BENEDICTI in monte Casino, quod accidere non potuit, cum Boetius iam duobus annis occisus fuisset, ante quam S. P. N. BENEDICTVS montem Casinum accederet: & qui subscriptus inuenitur Boetius in fine chron. Cas. non hic, sed eius filius fuit:

Anicius Boetius. Anicius Symmachus.

Duos fuisse filios Boetii ab Historicis quidem proditum, sed quæ eorum nomina fuerint ab iis ignoratum. Hos pater ipse aliquando Consulatu honoratos domo prouehi sub frequentia parentum, & plebis alacritate uidit. Vnde ipse prosa 4. lib. 2. de consol. philos. *Quid dicam liberos Consulares, quorum iam vt in id ætatis pueris, vel paterni, vel auiti specimen elucet ingenij?* Ex his Boetii patris uerbis, uni ex eius filiis Symmachi aui, altero Boetii patris, nomina dedimus. Et huius posterioris nomen inuenitur in duobus priuilegiis montis Casini, an. 529. & 530. datis, in quibus sic subscriptus legitur: *Ego Boetius bis Consul subscripsi.* Item & in duabus epistolis, quarum una est Iustiniani Imp. altera Theodoræ Aug. ambabus ad S. Placidum nepotem suum anno 538. scriptis; & hoc modo finientibus; *Consulatu Boetij, & Cethegi anno tertio.* Vtrum liberos habuerint ignoro.

Gradus V. Anicianus XXI.

Fl. Anicius Vitalianus Probus, Germani filius, quem Fratrem suum fuisse testatur ipse Iustinianus in epistola ad Sanctum Hormisdam Papam, sic inquiens: Vnde ad Beatitudinem Vestram, & frater noster gloriosissimus Vitalianus, per Paulinum virum sublimẽ defensorẽ nostræ Ecclesiæ rescripsit, &c. *Reliqua de eodem mihi obscura. Genuit ex vxore N. filium Vitalianum.*



Flauius Anicius Iustinianus Probus V. C. & Comes Illustris, Germani filius, Consulatum gessit, anno 521. cum Fl. Valerio. Deinde ab Auunculo Anicio Iustino Seniore Imperatore, Augustus appellatus, imperare cœpit anno 528. imperauitq; annos 39. menses 3. dies

dies 13. Obiit Constantinopoli anno 565. Idibus Nouembris, vbi & sepultus est. Fuit Princeps pace, & bello inclytus, veteris Romanæ gloriæ instaurator eximius, & proculdubio Imperatorum maximus. Nam domi consilio, & labore virorum Iuris peritissimorum, Romanorum legum immensam congeriem in breuiorem formam, certaque volumina redigens, nouam quasi iuris ciuitatem condidit. Vxorem habuit Theodoram Augustam, defunctam an. 549. Imperij anno 21. Mense 3. vt testatum reliquit Procopius de bello Gothorum lib. 3. Ex ea genita filia N. Anicia, Anonyma. Gessit vt Imperator, pro insigni Aquilam bicipitem auream, auro coronatam, in rubra parma.

Fl. Anicius Germanus, Probus, V.C. Patritius, Germani filius, Imperatoris Iustiniani frater, vt auctor est Iornandes Gothorum Episcopus libro de rebus Geticis in fine, his verbis. Mathasuentam vero iugalem eius *(videlicet Vitigis Gothorum Regis)* fratri suo Germano Patricio coniunxit Imperator *(Iustinianus nempè)* de quibus postumus patris Germani natus est filius, item Germanus. In quo coniuncta Aniciorum gens cum Amala stirpe, spem adhuc vtriusque generis Domino præstante promittit. *Hæc Iornandes, qui tamen in principio eiusdem libri, quem nunc fratrem Imperatoris nominat, tunc fraturelem eius appellat. Nepotem vero ex fratre vocat eũ Procopius li. 2. de bello Persico; & de Vandalico lib. item*

ij.li.3.de bello Gothorũ duob.in locis non amplius ex fratre, sed ex sorore nepotem eum agnoscit, quæ opinionum diuersitates effecerunt, ut posteriori Iornandis sententiæ, qua fratrẽ Iustiniani fuisse dicit, magis quã priorũ alicui adhæreremus. Fratmelem.n.suspicari rectè nõ possumus, cum Eupropius & Tertullus, Iustiniani Imp. Patrueles, alios filios non legantur habuisse, quam supranominatos. Nepotem ex fratre asserere non videtur licere, cum alij Iustiniani fratres non legantur quam Vitalianus supradictus, & hic Germanus: & cum Vitaliani filius, & ipse Vitalianus dictus, dicatur ab Historicis fuisse huius Germani gener ob filiam quam in uxorem duxerat, omnibus videtur legibus aduersari, vt illo tempore maximè quis fratris filiæ matrimonio copularetur: quod necessario sequeretur si Germanus Vitaliã filius, ac Vitaliani frater crederetur. Nepos autem Iustiniani ex Bliglentia sorore, fuit Germanus, at non iste sed alius Dorothei Anicij filius, in Bederina ciuitate Illyrici, quæ nũc Iustinopolis uocatur, natus, qui Romanis præfectus bellũ contra Hunnos ad Chersonesum administrauit, alio Germano Imperatoris fratre iam defuncto, de quo meminit Agathias lib. v. & ex hac æquiuocatione nominis Germani, cum vterque Iustiniano Imp. sanguine iunctus esset, tantam diuersitatem in præfatorum libris reperiri arbitror, quod scilicet unum ab altero secernere non curauerint. Habuit Germanus hic uxores duas, primam N.anonymam, ex qua Iustinus, Iustinianus, & N. filia procreati. Secundam Mathasuentam, Vitigis Regis

relictam

relictam, Eucharij, & Amalasunthæ Reginæ filiam, quam duxit anno 542. ex qua natus est Germanus Posthumus. Vir fuit strenuus, & belli Imperator egregius, ac militari disciplina clarus; his dotibus accedebant liberalitas, & innocentia singularis: quibus ille virtutibus erat iuxta militibus, populisque optatissimus. Obiit morbo repentino in Dalmatia, cum contra Gothos, qui in Italia erant bellum pararet, an. Do. 543. Superstite vxore grauida.

Anicia Bliglentia, Anicii Germani filia, & Iustiniani Imp. soror, matrimonio iuncta est illustri viro, & Consulari Anicio Dorotheo Romano, Tertulli Patricii consanguineo, qui Consulatum Orientis gessisse se perhibet in donatione Gordiani, quæ est fol. 197. chro. Casin. in qua sic subscriptus reperitur: Ego Dorotheus Cõs. nouæ Romę Constantinopoleos. Eius, & meminit Agathias lib. v. non longè à fine, agens de filio eius Germano quem ex vxore Bliglentia sustulit, simul cum filia Princta. De Bliglentia agit. Procop. li. 2. de bello Vand.

Sanctus Anicius BENEDICTVS Probus, Euproprii, Probi, Comitis Nursiæ, filius, ex Abundantia Riguardata matre, vno partu editus cum sorore Scholastica, anno Domini 480. in ciuitate Vmbriæ Nursia; cum iam adoleuisset à parentibus, vt bonis litteris informaretur, Romam missus est: sed cum ei omnis mundana pompa vilesceret, Parentibus, amicis, & amplis facultatibus relictis, anno ætatis 14. Christi 494.

Eremum petiit, in qua ita omnis Monasticæ perfectionis viam arripuit, vt prodentibus miraculis Abbas mox electus fuerit: quod officium gessit primum in quodam apud Sublacum cœnobio; Sublaci deinde, vbi parentes suos SS. Maurum, & Placidum in lege Domini, & Monastica disciplina instituendos suscepit. Postremò Casini, Tertulli, fratruelis sui Castro, in quo Monachorum Regulam spiritu dictante Diuino, composuit, ex qua vniuersalis Occidentalium Monachorum Pater, & Patriarcha nominari, & esse meruit. Eius vitam composuit S. Gregorius Papa dialog. lib. secundo. Obijt sanctitate, & miraculis clarus die 21. Mensis Martij, vel anno D. 542. die Veneris Sancto, Indict. 5. vel 543. Sabbato Sancto Paschæ, Indict. 6. ætatis suæ an. 62. vel 63. Et sepultus est Casini in Oratorio S. Ioannis Baptistæ, vna cum S. Scholastica sorore, in tumulo sibi ante mortem præparato.

S. Scholastica Anicia, S. P. Benedicti ex ijsdem Patre, & Matre soror, vno cum ipso partu edita an. 480. fratris exemplum imitata, vitam Monasticam egit in Monasterio S. Mariæ de Plumbariola, tribus à Casino milliaribus: cuius insigne miraculum, & mortem narrat S. Gregorius Papa dialog. li. 2. cap. 37. & 38. Obijt eodem anno, quo frater eius S. Benedictus, die 10. Februarij, ætatis suæ anno 62. vel 63. & Casinum à fratribus delata, in eodem, cum fratre suo, sepulchro condita est.

Fl.

Fl. Anicius Probus Tertullus iunior. V. C. & Patricius, Flauij Anicij Probi Tertulli filius, anno Christi 523. Consulatum gessit cum Flauio Philoxeno, vt Fasti consulares edunt. Huius clarissimi viri splendorem, & potentiam, recitant S. Gregorius Papa dialog. lib. 2. c. 3. Gordianus Monachus in vita S. Placidi, & sociorum, statim in principio: Leo Ostiensis in Chron. Casinensi, pluribus in locis: Petrus Diaconus, & Zacharias Papa in quodam suo diplomate, quod est post finem chron. Casin. excusum: Iustinianus Imp. in epist. suis, qui eum vbiq; & semper Exadelfum, id est, fratruelem, appellat; & alij multi recentiorum. Obijt vt ex epist. Theodoræ Augustæ conijcio, an. C. 536. die 14. mensis Iulii, et in Monasterio Montis Casini sepultus est; ubi eius dies Anniuersaria, quotannis solenniter à Monachis die prædicta celebratur. Vxor eius fuit filia Titi Annij Placidi Consulis, & V. C. Romani, quam Faustinam uocatam, sororemq; Elpis, primæ Boethii V. C. vxoris, putat D. Io. Petrus Villa de Canibus: ex illa geniti, Placidus, Victorinus, Enticius, Flauia, & Siluia.

Anicius Hypatius, Anicii Probini filius, ex Anastasii Imp. sorore, vt refert Procopius li. 1. de bello Persico, vir Patricius, & Orientis Prætor, & pro Iustino Seniore Imper. pro pace ineunda ad Cabadem Persarum Regem Legatus.

Anicius Probus, V. C. eiusdem Anicii Probini ex eadē matre filius, cuius, eiusq; legationis ad Hunnos, ut Iberis

auxilium præstarent, meminit idem Procopius eod. li. 1. de bello Persico Consulatū gessit cum F. Clemētino an. C. 513. non autem 502. ut minus rectè annotasse videtur Panuinus, lib. 3. comment. in Fastos; Fl. enim ille Probus qui an. 502. Consulatum iniit, fuit Pater Tertulli Patricii, & S. Placidi Auus, vt rectè annotatum nobis reliquit R. Bardi, in catalogo Consulum Anicianæ Familiæ. Et ratio temporum indicat non potuisse anno illo inire Consulatum, ob ætatis defectum; cum enim, vt ait Procopius, eius mater fuerit Anastasii Imp. soror, quam uerisimile est Anicio Probino nupsisse fratre suo Anastasio ad Imperium iam assumpto (assumptus aūt refertur an. 492.) omnino fatendū esset Probū iniisse Consulatum ad summum anno ætatis suæ x. quod nequaquam credendum est. Sequimur ergo de suo Consulatu præfatum R. Bardi.

Anicius Aequitius, Anicij Probini (ut mea est coniectura) filius, V. C. & Consul Nouæ Romæ, vt ex subscriptione donationis eius S. P. Benedicto factæ constat, in qua sic subscriptus inuenitur: Æquitius Senator & Consul Nouæ Romæ. Memoratur in donationibus Gordianorum duorum, in quibus semper Patricius, & eorum nobilis parens nominatur. Vxor eius fuit Iulia, ex qua natus filius S. Maurus Abbas.

Anicius Gordianus, Anicii Felicis filius, Illustrissimus, atque Spectabilis Consul Almæ senioris Romæ, cuius est illa donatio, quæ est fol. 197. Chron. Cas. facta S. P. N. Benedicto, A. C. 529. die 6. Iulii: uxorem habuit Siluiam Octauiam ex qua geniti Gregorius, & Paulina.

ANI-

ANICIA SYMMACHORVM GENS.

LIcet Illustris,& clara fuerit semper Romę Familia Anicia Symmachorum,eam nihilominus multo Illustriorem,& clariorem reddidit,qui hoc vixit tempore Quintus Aurelius Anicius Symmachus, qui vna cum genero suo Anicio Boetio II. Consulatum gessit anno Christi 522. & non multo post vna cum eodem coniurationis insimulatus, iussu nefarij Regis Gothorum Theoderici, capite truncatus est Rauennæ, an. Christi 526. die 28. Maij, altero à morte S. Ioannis Papæ: quâ de re in album Sanctorum relatus, inter Martyres computatus est. Agunt de eo plura Carolus Sigonius de Occidentali Imp. lib. 16. Rubeus, lib. 3. hist. Rauennatis, Cassiodorus, & alij.

Ex vxore geniti:

Anicius N. — Filij, qui ab Historicis non nominantur: omnibus bonis à Theodorico Rege spoliati in morte patris sui, sed in integrum postmodum restituti ab Amalasuntha Regina.

Anicius N.

Rusticiana, mulier ingeniosa, & pudicitia singulari: uxor Boetii secunda: de qua ipse Boetius tale profert testimonium de consol. Philos. lib. 2. prosa 4. *Viuit vxor ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, & ut omnes eius dotes breuiter concludam patri* (Symmacho scilicet de quo paulò ante dixerat) *similis*. Hæc, referente Procopio lib. 1. de bello Gothico, patre, & uiro occisis à Theodorico Rege bonis omnibus spoliata, eo mendicitatis adducta est, ut ab hostibus panem, ac cætera necessaria corrogauerit, seruilibus indumentis induta, quæ egentes sua beneficentia sustentarat. Insuper anno 546. qui erat à viri morte 20. à Gothis insimulata, quod per milites Romanos Theoderici Regis statuas deturbasset, à Totila Rege metu, periculoque mortis exempta est, atque una cum cæteris fœminis conseruata.

Peperit uiro suo Boetio duos filios, { Boetium, & Symmachum,

Vti in Boetio annotauimus.

Quando obierit illa incertum.

Fl. Anicius Vitalianus Probus, V. C. Vitaliani Probi filius, longa Italici belli administratione Gothicis armis assuetus, necnon & Consulari dignitate ornatus, qui subscriptus inuenitur in donationibus Tertulli Patritij, & Gordiani, Proaui S. Gregorij Papæ, S. Patri Benedicto factis, in prima quidem sic.

Ego Vitalianus Consul subscripsi.

In secunda vero, hoc modo: Ego Vitalianus Pat. & Consul. *Vxorem habuit N. Anonymam, Germani, Iustiniani Imp. fratris filiam, ex qua filius susceptus Felicissimus. De eo, eiusque vxore, Germani filia, agit item Sabellicus, Enneadis octauæ, lib. 4.*

N. Anicia, Iustiniani, & Theodoræ Impp. filia, cuius nomen hactenus in historijs latet, nuptum datur Anicio Germano, Dorothei filio, ex quo Iustinum II. Imperatorem peperit; & Biduarium.

Fl. Anicius Iustinus, Probus, V. C. Germani, Iustiniani Imp. fratris, ex prima sua vxore filius, cuius meminit Procopius lib. 3. de bello Gothorum, eiusque fidem erga Imp. Iustinianum Patruũ suum mirificè collaudat, Consulatum gessit in Oriente, sine collega an. Christi 540. qui sic notatur à Panuino lib. 3. Fastorum.

Fl. Iustinus, Germani F. V. C.

Et hic grauiter euauerunt nonnulli, qui hunc Iustinum pu-

putauerunt Iustinum II. Iuniorẽqui post Imperator factus est, cum hoc anno 540. Iustinus, nec eius Pater Germanus nondum nati essent, vti infra patebit. Impegerunt & alii qui hunc eundem cum fratre, & sorore, Germani filios ex Mathasunta fuisse scripserunt, at tempora id non patiuntur. Mathasunta namque non ante annum 542. Germano nupisse perhibetur, quo uir eius Vitigis Rex mortuus est, & filium vnicum tantum, eũque Postumum, Germanum nomine legitur peperisse. Iustinus vero illo anno iam grandæuus erat, vt in Procopio videre est. Hic vt Euagrius lib. 5. c. 9. refert, & Panuinus lib. 2. princip. Rom. ex ipso, ab Imp. Iustino II. iuniore, propinquo suo, Cæsar & Augustus appellatus, anno Christi 566. Imperii sui primo; paulo post ab eodem coactus abdicauit, & Alexandriam in exilium missus, ibidem occisus est, post Consulatum. Fl. Basilii V.C. anno 25.

Flauius Anicius Instinianus, Probus, Germani Anicii, ex uxore prima filius, prædicti Iustini frater, cuius meminit Procopius lib. 3. de bello Gothorum, tacito tamen nomine, quod accepimus ex Panuino lib. 2. princip. Rom. Bello Italico cõtra Gothos in Italia a patre suo incæpto, una cum Iustino fratre, & Ioanne, ac Vitaliano VV. Patriciis & Cos. adfuit: deinde ab Imp. Tiberio, initio imperii sui Cæsar Aug. appellatus, non longe post eodem Imp. cogente abdicauit, anno Domini 576.

N. Ani-

N. Anicia Proba, Germani filia, ex prima uxore, nupsit fratrueli suo Vitaliano, V. C. Vitaliani filio, ut cum aliis etiam Sabellicus testatur Ennealis 8. lib. 4. ex quo mater effecta est, S. Feliciſſimi Monachi Casinensis.

Flauius Anicius Germanus, Probus, Constantinopolitanus, Germani ex Mathasuenta uxore secunda filius Postumus, V. C. & Patricius; ducta Charitone, Tiberij Imp. filia, per eam eius gener factus est, & ab ipso una cum Mauricio altero eius genero Cæsar. Aug. appellatus anno 590. imperauit annos 3. mensem 1. & dies aliquot. Tandem anno 593. circa Calendas Augusti, ætatis suæ 50. finito, Constantinopoli obiit, paulo ante mortem Tiberii Imperatoris, relictis duobus liberis, Theodosio, ac filia N. anonyma.

Anicius Germanus Patricius, V. C. Illyrius, in ciuitate Bederina, quæ nunc est Iustinopolis natus, Dorothei, & Bliglentiæ Aniciorum filius, strenuæ nobilitatis & animositatis iuuenis, ut refert Agathias, qui res eius gestas egregiè prosequitur lib. v. non longe à fine: gener Imp. Iustiniani ob eius filiam. N. anonymam, quam in uxorem duxit effectus, ex illa filios duos procreauit, Iustinum uidelicet, qui post Imperium adeptus est, & Biduarium, ut tradunt cum Panuino, lib. secundo Roman. princip. alii tum antiqui, tum etiam recentiores Historici.

Anicia

Anicia Princta, siue Preicta, Anicij Dorothei, & Blaglentiæ filia, in primis nuptijs primùm coniuncta est Areobindo nobilissimo, & Senatorij ordinis viro; qui cum ab Vlitheo iussu Gontharij tyranni proditoriè in lecto fuisset occisus, tradita est ab Auunculo suo Iustiniano Imper. Ioanni viro Consulari, vt prodit Procopius lib. ii. de bello Vandalico, & lib. iii. de bello Gothorum.

S. Anicius Placidus Probus, Tertulli Patricij filius, septennis S. P. Benedicto Patris sui fratrueli oblatus, vt monasticis imbueretur disciplinis. post XIII. in monastica perfectione exactum annum, ab eodem S. P. Benedicto in Siciliam ad Ciuitatem Messanam missus, cum aliquot fratribus, anno Domini 536. Sexennio post vna cum fratribus suis, & sorore, ac triginta tribus Monachis, quibus Abbas præerat, à Manuca Barbaro tyranno, martyrio coronatus est, die quinto Octobris, an. Christi 541. Cuius corpus postquam mille, & amplius annis latuisset, his nostris temporibus anno Christi 1588. sub fœlicissimo Sixti V. Pontificatu, diuina operante clementia inuentum est, die 4. Augusti.

S. Anicius Victorinus Probus, Tertulli filius, martyrio coronatur simul cum Placido fratre.

S. Anicius Euthicius, Tertulli filius, Probus, cum fratribus martyrij laurea coronatus est.

S. Anicia Flauia Proba, Tertulli filia, vna cum tri-

tribus fratribus, post innumera tormentorum genera, martyrij coronam percepit.

Anicia Siluia Proba, Tertulli filia, nupsit Ilduino Martio Duci Mediolanensi, vt auctor est Thomas Porcacchius lib. 3. Familiæ Malaspinæ: ex quo mater effecta est Accini Martij, qui Martio cognomento relicto, primus Familiæ Malaspinæ nomen intulit: & Alsuindæ Martiæ, vxoris Garimbaldi Baioariorum Regis.

S. Anicius Maurus, Anicij Aequitij filius, duodennis S.P. Benedicto in monastica disciplina imbuendus à patre traditus, ita breui omnem monasticæ perfectionis vitam arripuit, vt ipsi etiam S.P. Benedicto admirabilis inde haberetur. Ab eo deinde in Gallias missus anno 541. Ordinem Monasticum in illam prouinciam, sub Regula S. Patris sui militaturum fundauit; & anno ingressus sui in Galliam 41. Christi Domini 583. ætatis suæ 74. plenus sanctitate, & miraculis clarus, apud Monasterium Glanofolienſe, in ciuitate Andegauensi ab ipso constructum, migrauit ad Christum die decimoquinto Ianuarij.

Anicius Gregorius, Anicij Gordiani filius, V.C. & Illustrissimus Consul, vt in instrumento donationis paternæ, in Gordiano notato, nominatus, & subscriptus reperitur hoc modo: Ego Gregorius filius eius Consul Ill. subscripsi.

Verba

Verba R.P. Cæsaris Baronii in notis Martyrologij Romani, ad diem 25. Februarii, vbi dicit S. Gregorium Papam, hoc tempore, videlicet Felicis IIII. Papæ, qui Pontificatum iniit anno 526. & obiit 530. iam natum fuisse, videntur quasi de hoc Gregorio debere intelligi: at si rectè considerentur illa quæ adfert Gordianus in sua donatione, dicens se omnia quæ ibidem numerantur S. Benedicto obtulisse, interuentu filii sui Gregorii, propter spem quam habebat in prædicto S. Patre, & discipulis suis, Mauro, Placido, & Felicissimo: itemq; subscriptio ipsiusmet Gregorii, vbi se Consulem appellat: necnon & illud quod ipsemet S. Gregorius Papa dialog. lib. 2. c. 1. fatetur, videlicet, se S.P.N. Benedictum non vidisse, sed omnia eius acta didicisse, & habuisse à quatuor eius discipulis, de alio Gregorio quam de præsenti intelligenda uenient: nam etsi ipse S. Gregorius tunc etiã natus fuisset, quod nec affirmo, nec nego, puer vnius, uel duorum annorum ad summum esse debebat, & ab huiusmodi ætatis pueris, omnia superius enarrata expleri nequeunt. Habuit Gregorius vxorem, cuius tamen nomen necdum repperi, ex qua geniti, Gordianus, Tharsilla, Aemiliana, & Gordiana.

Anicia Paulina, Anicii Gordiani filia, nuptum datur nobilissimo viro Perannio Martio Romano, & Romani exercitus Duci contra Totilam Gothorum Regem: ex quo connubio natus est Ildouinus Martius, qui postmodum factus Dux Mediolanensium, & duxit in vxorem

rem Siluiam de Familia Malaſpina in hæc verba Italica: Hebbe Perannio per moglie Paolina figliuola di Siluia, & di Gordiano, ch'eſſendo dell'iſteſſa linea di Tertullo Eſſadelfo, veniua ad eſſere ſtretto parente dell'Imperator Giuſtiniano.

Gradus VII. Anicianus XXIII.

S. Fæliciſſimus Anicius, Aniciĳ Vitaliani filius, cuius memoriam agunt Petrus Diaconus de SS. Montis Caſini, cap. v. Gordianus S. Gregorĳ proauus in donatione ſua, & Gordianus Monachus in epiſtola ad S. Maurum, aliĳque nonnulli, à patre ſuo Vitaliano S. Patri Benedicto in monte Caſino oblatus, poſt multos in Religionis perfectione, ac Monaſtica obſeruantia, peractos annos, in ſanctitate diem clauſit.

Anicius Theodoſius, V. C. & Patricius, Germani Patricĳ filius, & Imp. Tiberĳ ex filia Charitone nepos, uxorem duxit N. Mauricĳ Imp. filiam, cum qua ac tota prædicti Mauricĳ Imp. Familia, occiſus eſt Foca Imp. iubente, anno Domini 602.

N. Anicia, Germani Patricii filia, ac Theodoſii ſoror, nupſit Theodoſio Imperatori, Mauricĳ Imp. filio; & occiſa refertur cum fratre ſuo anno præfato 602.

Flauius Anicius Iuſtinus II. Iunior, Imperator,

Anicii

Aniciꝰ Germani ex filia Iuſtiniani Imperatori filius, Conſtantinopoli natus, Imperatore Iuſtiniano mortuo Idibus Nouembris ipſo obitus eius die, ex Curopalate, anno Chriſti 565. Imperator acclamatus, à Ioanne Patriarcha coronatus eſt, vna cum Sophia Auguſta vxore. Imperauit anno 10. Menſes 10. & dies 20. Tandem pedum dolore grauiter laborans, deceſſit 6. Nonas Octobris, anno 576. & Conſtantinopoli ſepultus eſt, nullis filijs relictis.

Anicius Biduarius, Aniciꝰ Germani filius, de cuius rebus geſtis, præter nudum nomen apud Hiſtoricos memoria nulla exſtat.

Anicius Gordianus, Aniciꝰ Gregoriꝰ filius, V. C. & Romanus Conſul, cuius meminit S. Gregorius Papa lib. dialog. 4. c. 16. & hom. 38. in Euang. & cuius item memoria extat in donatione eiuſdem Monaſterio Caſinenſi in perſona Boniti Abbatis facta, anno Chriſti 565. Indictio. 2. die 14. Menſis Iuliꝰ, quam donationem de verbo ad verbum adferemus ad S. Gregorium Papam, eius filium. Nominantur in eadem donatione vxor eius Siluia Octauia, & Gregorius filius eius, quem ex illa ſuſcepit.

S. Tharſilla, Aniciꝰ Gregoriꝰ filia, cuius meminit S. Gregorius Papa locis ſupracitatis: ab ipſa ſua infantia Deo ſacrata, in virginitatis, & religionis propoſito perſeuerans, eadem nocte meruit renaſci in cœlis, qua ſponſus

sus eius Christus pro nobis natus fuerat in terris.

S. Aemiliana, Anicij Gregorii filia, ac S. Tharsillæ tam carne, quàm voto soror, de qua agit idem S. Gregorius ibidem, die quinto Ianuarii clara miraculis, & sanctitate migrauit ad sponsum.

Gordiana, eiusdem Anicii Gregorii filia, uno quidem ardore, ut refert S. Gregorius Papa, cum sororibus suis conuersa est; sed postmodum ad ollas carnium Aegypti suspirans, manu de aratro Domini reiecta, Hortulano suo nupsit.

Gradus VIII. Anicianus XXIIII.

Sanctus Anicius Gregorius, Anicij Gordiani filius, primum Illustris Romanorum Consul; deinde mundi pompis abdicatis, et opibus in usum pauperum distractis, monachus factus est in Monasterio S. Andreæ Romæ, ab ipso cõstructo sub Regula Diui P. Benedicti: mox Abbas, & S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, ad extremũ Summus Pontifex electus, & consecratus anno Christi 591. Indictione 9. tertio nonas Septembris, à rebus præclare gestis, Magni cognomentum à posteritate promeruit. Sedit in Apostolico solio annos 13. Menses 6. dies 8. & duabus Ordinationibus, Mensibus Martio, & Decembri factis, Episcopos 62. Presbyteros 39. & Diaconos quinque creauit. Demum sanctitate, & doctrina, cuius causa unus inter quatuor Ecclesiæ Doctores

est

est habitus, miraculorumq; gloria clarus Spiritum Deo, corpus terræ reddidit, anno Christi 604. Indictione 7. die quarto. Idus Martij; & sepultus est ad S. Petrum ante Secretarium. Vacauit sedes eo mortuo Menses quinque, & dies 19.

Sanctissimum hunc Pontificem, eiusq; Progenitores Anicios fuisse, quicquid nonnulli in contrarium adferant, docent tum alij auctores, tum maxime instrumentum quoddam antiquum Montis Casini, in quo continetur donatio Gordiani Senatoris, S. Gregorii patris, facta Bonito Abbati, cuius instrumenti pars, ex antiquo Casinensium Monachorum libro MS. extracta.

hæc est;

In Nomine D. Dei Saluatoris N. I. C. Imperante Domino Iustino Iunio^re, Perpetuo Augusto, Anno iiij. post Consulatum eiusdem Domini N. an^no ij. Indictione II. Mense Iulij die xiiij. Sancto & Venerabili monaste^rio in monte Casino à Beatissimo Benedicto constituto, in quo est Bonitius R^euerendissimus Abbas, & per eum cunctis suis successoribus in ipso San^ctissimo Monasterio mansuris, & regulariter substituendis in perpetuum, Pro laude, gloria, & honore Dei, & Beatissimi Benedicti, in quibus fiduciam habeo: Ego Anicius Gordianus, pro Dei omnipotentis amore, & redemptione animæ meæ, & meorum parentum: Item amore, & animæ saluatione dilectissimorum nostrorum parentum Symmachi, Tertulli, Vitaliani, Aequitij, Dorothei; Interuentu quoque & postulatione dilectissimi filij mei Anicij Gregorij, de presenti in perpetuum concedo, dono, & offero tibi serue Dei, Bonitio, fundos, uillas, & possessiones, quæ ad me ex parte Aniciæ stirpis, & Siluiæ meæ coniugis pertinent in territorio Aquinensi, &c. Item infra in eodem instrumento, nã illa tantum adfero quæ presenti instituto seruiunt, paulò post subditur. *Hæc omnia dilectissimi filij mei Gregorij interuenutu, pro redemptione animæ meæ, & Siluiæ iugalis meæ, totiusque Aniciæ stirpis a presenti die largier uobis pro sustentatione fratrum in eodem Monasterio permanentium, &c.* Confirmatur id & a F. Onuphrio Panuino in Epitome Pontificum Romanorum in folio, his verbis. *Felix iij. natione Italus, ex patre Felice Presbytero Cardinale R. E. in titulo Fasciolæ, de nobilissima domo Anicia (quæ postea Fregepanum appellata est) S. Gregorij Magni Doctoris Attauus, &c.* Item & in libris quos de familia Frangipania

scripsit, sic inquiens: *His quoque temporibus uir sanctissimus, & per omnia religiosus Anicius Felix, S.R.E. Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Archilei tituli Fasciolæ, in Romana Ecclesia fulgebat, &c.* Prædictum autem instrumentum Casinense, diuersum esse ab illo quod est in fine Chronici Casinensis excusum licet multis demonstretur, utpote quod illud sub Iustino seniore anno Christi 529. S.P. Benedicto Abbate uiuente, istud uero sub Iustino Iuniore anno 569. tempore Abbatis Boniti, facta legantur: at præcipue id elucet ex uerbis Gordianorum, in primo namque instrumento excuso dicit Gordianus se deuenisse ad montem Casinum, una cum Tertullo, Symmacho, Vitaliano, Equitio, ac Dorotheo parentibus suis, & omnia illa largiri S. P. Benedicto, à quo benigne susceptus fuerat: in isto uero instrumento MS. fatetur alter Gordianus, S. Gregorij pater, se illam donationem Bonito Abbati facere, pro animæ saluatione prædictorum parentum suorum Tertulli, Symmachi, Vitaliani, Equitii, ac Dorothei, qui iam defuncti erant.

Prædictis tamen obstare uidentur ea, quæ in antiquis rerum Venetarum libris patrio sermone ante annos ducentos conscriptis referuntur. In illis enim postquam de origine gentis Michaeliæ, quæ ex Vrbe ex Frangipania gente oriunda erat, actum est, sic habetur:

Item nota como S. Griguol Papa, fu di questa casa.

Necnon & ea quæ adfert S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus parte 3. summæ histor. cap. 90 sic inquiens; *Vbi Cardinalis ex Ordine Prædicatorum fuit Dominus Latinus, de nobili stirpe Romanorum, scilicet Frangipanibus, de qua fuit Papa Gregorius Magnus, Ecclesiæ Doctor, &c.* Quibus adiungitur & peruetus traditio, opinioque illa quæ dicit S. Gregorium ob pietatem qua in pauperes utebatur, secundum illud Esaiæ c. 58. *Frange esurienti panem tuum*, primum hoc nomen Frangepanis tulisse, quod ab eo sic acceptum, ad posteros quoque deriuatum est: & in coniecturæ suæ testimonium addunt, primum item fuisse, qui prisca Candidæ turris in rubro (siue ut alii malunt in cæruleo) Aniciorum insignia, in Leones duos aureos, unguibus prioribus aureum panem frangentes, in rubro similiter, siue cæruleo, quod postmodum fuit Frangipanorum insigne, transmutarit. At hæc omnia non ita intelligenda ueniunt, ut dicamus S. Gregorium ex Frangipania familia (quæ nondum erat, nec exorta refertur nisi anno centesimo & amplius post eius mortem) fuisse, sed eo sensu accipienda, ut agnoscamus eundem S. Gregorium, ex ea gente Anicia fuisse, quæ postmodum mutato nomine,

antiquato

antiquato gentilitio, ex Anicia, Frangipania appellata est. Quod & ratione probatur, nam etsi S. Gregorius nomen sibi Frangepanis à pietate promeruisset, vt dicunt, ad posteros eius hoc nomen transire non potuit, cum Ecclesiasticis addictus, nũquam vxorem habuisse legatur, nec filios procreasse: imo, vt uidere est, linea Anicia Proba, in eo defeciſle uidetur, nec ultra eum se extendisse. A recentioribus autem Frangipanorum ideo illi insignia data, quod prisca Aniciæ familiæ ignorarent; nã de S. Gregorij insignibus apud antiquos nulla mentio est. Adde, quod Panuinus in epitome supracitato loquens de familia Anicia, & S. Gregorio Papa, non dicit eundem ex familia Frangipania fuisse, sed tãtum, ex domo illa nobilissima Anicia originem traxisse, quæ postea in Frangipaniam transmutata est; sed quando, hoc in libris quos de familia Frangipania scripsit, dicit se ignorare: quod nos, Deo dante in subsequentibus, in Perleonia familia, demonstraturi sumus.

STIRPIS ANICIAE.

Stemma Tertium.

OLYBRIVM.

Gradus I. Qui est Anicianus XVIII.

§. xj.

Extus Anicius, Hermogenianus, Olybrius, V. C. Sexti Anicij, Petronij Probi Senioris, ex Proba Faltonia, filius, cuius Consulatus, quem cum fratre suo Sexto Anicio Probino gessit, notatur in Fastis Consularibus ad annum Christi 395. qui erat Vrbis conditæ annus 1147. Hic Panegyrico decantatus est à Claudiano,

diano, vti in fratre eius diximus. Familiam à suo nomine Olybriorum Aniciorum nobilissimam Romæ reliquit, de qua sic S. Hieronymus in epist. 8. Nunc mihi Proborum, & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & illustris Anicij sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus est, qui non meruerit Consulatum. De quibus in ea Familia frequentibus Consulatibus, habet consentientia S. Hieronymo, Claudianus, his versibus:

Quemcumque requiris.
Hac de stirpe uirum, certum est de Consule nasci.
Per fasces numerantur aui, semperque renata
Nobilitate uirent, & prolem fata sequuntur,
Continuum simili seruantia lege tenorem.
Nec quisquam procerum tentat, licet ære uetusto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se iactare parem.

Quod etiam ad Olybriaci generis splendorem attinet, sic Aurelius Prudentius aduersus Symmachum lib. 1. de Anicio, ex quo Probi, atque Olybrij.

Fertur enim ante alios generosus Anicius Vrbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generisque, & nominis heres,
Adiectis fastis, palmata insignis ab aula,
Martyris ante fores Bruti submittere fasces
Ambit, & Ausoniam Christo inclinare securim.

De eius vxore, nihil certi habetur, præterquam quod sanctissima illa Furia Camilla, vni ex duobus Petronij Probi filijs nupsisse fertur, sed cui eorum hactenus ignotum. Crederem tamen huic potius, quam fratri Probino nupsisse, cum ille filios habuisse non legatur. Ex illa, aut alia vxore quæcunque ea fuerit, genitus filius Anicius Olybrius.

Gradus

Gradus II. Anicianus XIX.

Flauius Anicius Olybrius, V.C. Hermogeniani Olybrij filius, Romæ natus, Consulatum gessit cum Flauio Rustico, anno Christi 464. & studio Patricij Ricimeris, ex Senatore Imperator appellatus anno 472. quinto Id. Iulij, imperauit menses tres, & dies tredecim. Obijt Romæ die decimo calendas Nouembris, eodem anno. Vxores duas habuit, quarum prima N. ex qua filium sibi æquiuocum Anicium Olybrium sustulit: secunda Placidia Augusta, Valentiniani III. Imperatoris filia, iam seni sibi desponsa, ad cuius tamen nuptias non peruenit, vt rectè testatum reliquit Hieronymus Rubeus lib. 3. historiæ Rauennatis; & R. Bardi in catalogo Consulum Aniciæ Familiæ, & Panuinus lib. 1. Rom. Princ.

Gradus III. Anicianus XX.

Flauius Anicius Olybrius V. C. Olybrij Imperatoris filius, dictus Iunior, cuius Consulatus sine collega notatur in Fastis Consularibus Occidentis, anno Christi 492. Ex vxore N. liberos duos genuit, Anicium Olybrium Tertullių Iuniorem Leonicum: & filiam N. anonymã.

Gradus IIII. Aniciarus XXI.

Flauius Anicius Olybrius Tertullius Iunior, Leonicus, Anicij Olybrij filius, Consul factus est sine collega anno Christi 526. vt Fasti Consulares edunt: ob hoc memorabilis quod eo Consule Rex Theodericus Gothorum obierit Rauennæ, quarto Nonas Septembris, Regni

ui anno 33. menſe quinto, die 28. Vxor eius ex qua Fl. Anicium Olybrium Leonicum Antonium Celphium ſuſcepit, fuit Flauia Tertia, vt ex ſequenti inſcriptione antiqua, mihi à R. P. D. Paulo Orio Patritio Veneto, & Abbate S. Georgij maioris Venetiarum communicata, intellexi, ſic enim habet:

FLA. ANICIO, OLIBRIO,
TERTVLLIO, LEONICO:
FLAVIA TERTIA-F--F--F--DEDICA-

Flauia Anicia N. Anycij Olybrij filia, cuius extat hæc antiqua inſcriptio ab eodem R. P. Abbate, habita:

FLA. ANI.---FLA. OLYB. FIL.--
--MATRI--OD--DED-----

Gradus V. Anicianus XXII.

Flauius Anicius, Olybrius, Leonicus, Antonius, Celphius, Flauij Anicij Olybrij Tertullij iunioris Leonici filius, duxit vxorem Flauiam Aniciam Leonicam Gordianam Celphiam, ex qua filium genera uit Flauium Anicium Leonem Celphium Olybrium, vt ex ſequenti antiqua inſcriptione, quam à R. P. D. Hieronymo Bruggia tunc temporis Florentiæ, nunc vero Caſinenſi Abbate habui, videre eſt, quæ ſic habet.

FL.

FL. ANICIO. OLYB. F. LEONICO. ANT. CELPHIO.

FL. ANICIA. LEONICA. GORDIANA. CELPHIA.

OPT. CON.

ET

FL. ANICIVS. LEO. CELPHIVS.

OLYB. PAT. OPT. DED.

Item.

FL. ANICIO. OLYBRIO.

LEONICO. AVIA.

Gradus VI. Anicianus XXIII.

Flauius Anicius, Leo, Celphius, Olybrius, prædictorum Olybrij Leonici Ant. Celphij, & Gordianæ filius, nulla memoria alia, quod sciam, clarus, nisi quod filium genuerit ex uxore N. qui Familiæ nouæ Petrileonum, Petrus Leo namque uocatus est, nomen dedisse fertur.

FA-

FAMILIAE ANICIAE.

Stemma Quartum.

PERLEONIVMFRANGIPANIVM.

Gradus I. Anicianus XXIIII.

§. xij.

ANicius Petrus Leo, *V. C. Flauij Anicij, Leonis, Celphij, Olybrij filius, Noui Stemmatis Aniciani Petrileonum, seu Perleonum Romanorum Auctor, quod quantæ potentiæ, & auctoritatis Romæ postmodum fuerit, ex subsequentibus erit videre, legiq́ue poterit apud Platinam, & alios in vitis PP. RR. Paschalis II. Gelasij II. & Innocentij II. Vxor eius N. ex qua relictus filius Petrus Leo Gordianus.*

Gradus II. Anicianus XXV.

Magnus Flauius Anicius, Petrus Leo, Gordianus, Anicij Petrileonis filius, Senator & Patritius Romanus, decus à patre Petroleone acceptum, insigniter conseruare studuit. Vxor eius Flauia Anicia Gordiana, quæ ex eo mater est effecta Flauii Anicii Frangepanis Petrileonis: quorum omnium exstat memoria in Epitaphio ipsius Magni Gordiani, quod ab vxore, & filio

filio positum; hoc nostro seculo repertum est in monte Auentino Romæ, sub Pontificatu Pauli Papæ III. vt mihi retulit R. D. Hieronymus Bardi, qui eius mihi copiam dedit:

MAGNI. FLAVI. ANICI. PE-
TRI. LEONIS. GORDIANI.
SENATORIS. AMPLISSIMI.
ROMANORVMQ. PATRITII.
CORPVS. HOC. SEPVLCHRO.
CONDITVM. IACET.

FLAVIA. ANICIA. GORDIA-
NA. CON. P. P. P.

FL. ANICIVS. FRANGEPA-
NIS. PETRVS. LEO. PET.
LEONIS. F. ANI.
PETRI. LEONIS. N. PAT.
OPT. DEDI.

OBIIT. ANNO. DOM. INCAR-
NATIONIS. DCCXXII.

Gradus III. Anicianus XXVI.

Flauius Anicius Frangepanis, Petrus Leo, Magni Petrileonis, & Gordianæ filius, qui à pietate, & misericordia, qua in maxima Vrbis penuria, & egestate, in pauperes & peregrinos vsus est; panem in plures partes concisum, & fractum pro eleemosyna diuidendo, & sibi Frangipanis, siue Frangepanis (vtroque enim modo scriptum reperitur) cognomentum promeruit, & Familiæ suæ, quæ ab eo casu postea Frangipania appellata est, insigne & perpetuum caritatis, & pietatis monumentum reliquit. Hæc postea in diuersas Orbis partes profecta, vti nouarum Familiarum in eis partibus fundatrix extitit, ita quoque pietatis Auitæ minimè oblita, illam sibi quasi pro testamento retinuit. Ex vxore N. geniti Stephanus, & Leo Iunior. Obijt ex R. Bardi opinione anno 772.

Gradus IIII. Anicianus XXVII.



Stephanus Anicius, Frangepanis, Petrusleo, Anicij Frangepanis filius, vt aliquod pietatis paternæ posteris monumentum relinqueret, fratre de nouo stemmate iam cogitante, Olybriorum Perleonum prisca insignia, quæ erant, vt ego arbitror, Turris adhuc illa Anicia candida, in rubro, in vnum Leonem nigrum ad dextram insilientem,

&

& diuersis aureis frustulis fragmentatum, in vmbone argenteo transmutauit: quod vsque ad Petrumleonem, qui sub Paschali II. vixit, & primus fascias tres rubeas, & totidem argenteas priori insigni addidit, Familiæ Perleoniæ Romanæ pro Symbolo gentilicio mansit. Huius autem Stephani memoriam habebimus mox in Epitaphijs filij sui, & nepotis. Eius filius prædicatur Maximus, cui Blandam, ego adijcio ex coniectura verisimili. Obiit vt vult R.Bardi anno 817.



Leo II. Iunior Anicius Frangepanis, Petrusleo, Anicij Frangepanis filius, ac Stephani frater: Petrileonis cognomento relicto, Frangipanium, primus omnium in Familiam suam intulit, & auitis insignibus ad paternæ pietatis monumentum transmutatis, duos Leones aureos in pedes erectos, & consertis fermè rictibus placide sibi mutuo assistentes, & panem aureum, in campo rubro frangentes, pro insigni gentilicio suæ posteritati dicauit. Reliquit hic Leo filium Antonium.

Eius, necnõ & familiæ Frangipaniæ ab ipso exortæ memoria exstat in quodam elogio sepulchri, quod est Pisis in Tuscia, in claustro Ecclesiæ S. Pauli ad Arni fluminis ripam. In eo. n. claustro est paruum Sacellum, in cuius medio est sepulchri Lapis, cum subsequentibus insignijs, & inscriptione, quam ibidem reperiri ait R.P.D. Hieron. Brugia Perusinus Abbas Montis Casini, qui eandẽ ad me transmisit. Hæc licet elogij formam non uideatur habere, suspicetq; Panuinij potius, ex quo eam desumpsit, verba esse, illam tamen integram

vt erat hic interſeram, ne tanti viri auctoritatem floccipendere ui dear . Inſignia igitur illa erant eiuſmodi .



Deinde ſtatim ſubiungebat præfatus R. Abbas .

Reperio eſſe ſub his inſignibus hæc verba .

Cæterum huc Petrũ eſſe ex hoc Fregepaniorum ſtemmate, inſignia ſeu clypeus teſtatur. Nam duplex Fregepaniorum familia fuit, videlicet hæc de qua modo verba fecimus, a Leone iuniore originem trahens , quæ domos habuit circa Amphiteatrum, & Eccleſiam S. Mariæ Noue, vt ſupra viſum eſt, cuius inſignia ſunt duo Leones aurei, in campo rubro, Frangentes panem: cũ faſcijs rubeis & aureis, ut ex antiquis inſignijs apparet. Faſciæ autem illæ tranſuerſæ, ex inſignibus domus Sabellæ acceptæ ſunt, quas nonnullos Frangipanios geſtaſſe ex hiſtoriis liquet: fortaſſis quod materno genere ex Sabellis eorum aliqui prodierint. Cuius vero coloris ſint illæ ſex Lunulæ, in quo campo, aut qua ratione ab hoc Petro, qui Princeps uocatur, gerantur, explicare nõ ualeo. Ex his ergo ſtemmate, & inſcriptione manifeſtam & indubitatam habemus domus Frãgipania à Perleonibus, originem; ideoque audiendi non uidentur illi qui aliunde, ut à S. Gregorio Magno Papa, aut aliis, originem eius deducunt. Ad quod etiam comprobãdum uidentur multum facere ea, quæ in quodam antiquo libro geſtorum Pontif. Romanorum MS. a Leone IX. ad Alexandrum III. referuntur, in quibus habetur mentio Pierleonum, & Frangipaniorum, ibi enim poſtquam actum eſt de ſchiſmate inter Alexandrum Papam III. & Octauianum, ſic ſtatim infertur .

Hic Oddo Fregepanis, tanquam deuotiſſimus Eccleſiæ Romanæ filius, cum ſuis fautoribus contra Octauianum, Alexandro vero Papæ adhæſit .

Et paulo poſt in eiuſdẽ Alexandri III. vita, cum de obſidione vrbis ab Imp. Friderico I. Papæ inimico, facta egiſſet, ſtatim ſubiungit.

Papa Alexander, cum Cardinalibus, & familijs ſuis, relicto palatio Lateranenſi, deſcenderunt ad tuas domos Fragepanum,

num, apud S. Mariam Nouam, & cartulariam, & coliſæum. In quibus diebus Rex Siciliæ audiens hoc miſit ad Papam Alexandrum III. duas galeas cum multa pecunia. De qua pecunia ſuſcepta, patrem dedit Fregepanibus fidelibus Eccleſiæ, & filijs Petri Leonis, ut ſtrictius obligari ad inuicem, ſe fortius adiuuarent.

Ex quibus hic dictis aperte mihi colligendum eſſe apparet familiam Pierleonum, & Fregepanum eſſe eandem: quia cum uult hic Papa ſtrictius ad inuicem obligari, iam ſupponit magna adhuc neceſſitudine coniungi. Adde etiam ad propoſitum noſtrum non paruum argumentum eſſe, nomina Leonis, uel Petri, a Frangipanibus ſæpius uſurpata, ut in eorum genealogiis reperire licet. Et hæc dicta ſufficiant, pro familia Frangipania Pierleonia comprobanda.

ELYSEORVM FLORENTINORVM. GENS.

Præfatorum duorum fratrum ætate, quidam Elyſeus Frangipanius Romanus, Roma ad Carolum Magnum Imperatorem Florentiam, quæ ab eodem reſtituta eſt, profectus, ibidem manens noui ſtemmatis auctor fuit: quod ab eo, auito nomine Frangipaniorum antiquato, Elyſeorum appellatum eſt. Ex quo ſtemmate Dantem illum Aligerium originem ſuam traxiſſe tradit antiquitas.

Gradus V. Anicianus XXVIII.

Maximus Petruleo, Frangepanis, Anicius, Tertullus, Gordianus, Stephani filius, Frangepanis quidem cognomen tulit & ipſe, alia tamen ratione, quam pater, & auus: Illi enim Frangipanium Petroleoni præponebant, hic uero poſtpoſuit. Vixit anno Domini 817. & quod excurrit; Obiitq; ut annotat Bardi an. 863. & ſepultus eſt Romæ cum ſequenti Epitaphio, à filiis Leone, & Maxima, poſito:

MAXIMI. ANICII. STEPHANI. F. PETRI. LEON. N.
CORPVS. HOC. SEPVLCHRO. CONDITVM.
IACET.

Blanda

Blanda Perleonia, vt mea est coniectura, Stephani Anicii Petrileonis filia, & Maximi soror, fuit uxor secunda Pauli Trauersarii Patricii Rauennatis, peperitq; viro suo filios quatuor, Theodosium, Italianum, Philippum & Iacobum; De hac agit doctissimus Rubeus lib. 5. hist. Rauen. ad annum 824. in hæc verba: Maria autem mortua, alteram duxit *(videlicet Paulus Trauersarius)* ex Perleonia Familia item Romana, cui nomen Blandæ fuit: ex hac sustulit Paulus quatuor egregios filios, Theodosium, Italianum, Philippum, ac Iacobum, viros insignes, quique vniuersam Æmiliam pro Pontifice, atque etiam, vt Pontifex permittebat, pro Cæsare administrarũt. Nam ad gratiam, qua Pater apud Cæsarem plurimum valebat, maternæ Familiæ apud Pontifices accedebat auctoritas maxima.

Antonius Frangepanis, Leonis Iunioris Frangipanis filius, cuius memoriam habebimus mox in Epitaphio filii sui, Lucii Statii Eliodori, seu Diodori, quem ex vxore N. sustulit.

GENS FRANGIPANIA MICHAELIA VENETA.


HVius Maximi tpe, an. D. circiter 833. tres fratres Frãgipanii (q̃ fortassis eiusdem fratres fuerunt, vel certè ei sanguine coniunctissimi) Vrbe egressi, Venetias profecti sunt, quorum natu maior nomine Angelus Michael Frangipanius ibidem commoratus in Senatum Venetum adiectus fuit, à quo posteri eius Michaelii dicti sunt,

sunt, qui usque ad nostra tempora in Patriciatus ordine, diuitiis, & nobilitate clari, Venetiis consistunt. Huius autem Angeli Michaelis aduentus, in archiuiis & Reipub. Venetæ actis publicis, patria lingua sic adnotatus legitur.

Micheli uennero antigamente da Roma, & chiamansi Frangipani; furono Tribuni antichi, huomini splendidi, de li quali uno che haueua nome M. Angelo Michele uenne à Venetia con molto hauere, & fece edificare lui con li suoi uicini la Giesia di S. Cassan, & di Zuan nouo. Nota che li Micheli portauano primo un'arma con i Leoni dentro, come portano li Frangipani al presente, Mà Mess. Magn. Michiele Doge di Venetia, Capitano generale dellimpressa del Turco, mancandoli la moneta lui fece fare certa moneta de coio, che si chiamaua Michaleti, & spendeuasi come Ducati, a recambiarle à Venetia, & gionti à Venetia furono cambiati in buoni denari. Per tal cagione il detto Messere lo Doge mudò la sua Arma, con le detti Ducati suso: & il detto Doge, fu eletto per quelli di Sicilia per suo Re, il qual non uolse accettar, ma più presto uolse esser Doge di Venetia, che Re di Sicilia. Et nota che S. Gregorio Papa fu de questa casata. Et è da sauer che molti nobili del Consilio che si fanno chiamar da ca Michele, portano anco loro la detta Arma, & se non sono delli Micheli sopra scritti, & drittamente non se douria chiamar di questa casa da ca Michele, & in alcun grado, cioè di antichitade, & nobiltà, non sono eguali alli soprascritti. Item in alio peruetusto ante trecentos annos conscripto: *Micheli uennero da Roma, erano chiamati da Frangipani, sono Tribuni antichi è splendidi, & molto piacenti. uno che haueua nome M. Anzol Michele fece edificare in Venetia la Chiesa di S. Cassan, & Zuan Nouo. Venne à Venetia il detto M. Anzol Frangipani, detto di ca Michel, con Ducati* $\frac{m}{T}$. *doro, & i Micheli portauan L'arma co i Leoni d'oro in campo rosso: ma per Dominico Michele Duce fù mutato per una causa che qui sotto si dirà.* Illam autem causam hic omittimus, quod iam paulo superius ex alterius sententia recitata sit. Extat & in alio libro ante ducentos annos scripto clarior multo trium Frangipaniorum fratrum memoria, in hūc modum. *Nel 833. uennero da Roma Meßere Anzol Michele di Franzipani; Messere Nicolo; & messere Hugo, tutti tre fratelli. Fù Prencipi Romani, Signori, & Castellani, ma per le parte furono cacciati da Roma, è capitorno nella città di Venetia, doue Meßere Anzol Michele, detto Franzipani rimase in Venetia, & fò fatto del Conseio, & fò de principali che rezeua Venetia, per lo suo seno, & bontade.*



Gerebant, ut ex præcedentibus colligimus, hi Frangipanij Michaelij idem cum Frangipanibus Romanis insigne, duos uidelicet Leones aureos, panem aureum unguibus prioribas Frágentes, in campo rubro: qui in cœruleum mutatus est ab ipso Angelo Michaele, retētis Leonib. aureis, sine pane, cū in Senatum Venetum est adscriptus, ut vetera monumēta Veneta huius familiæ docent, ea maxime quæ sunt in Patriarchio, ad Episcopos Oliuolenses huius domus. Qua vera ratione postmodum in illa, quæ nunc gestat insignia sint mutata à Duce Michaele, ex archiuijs Venetis iam audiuimus.



Sunt autem ea tres fasciæ cæruleæ, & totidem argenteæ, quibus supersunt XXI. aurei nummi, quos Ducatos vocant, a sex vsque ad unum gradatim descendendo ordine dispositi: quorum armorum primus auctor fuit prædictus Dominicus Michaelius, secundus huius familiæ Venetum Dux, creatus anno Domini 1117. quicū præfuisset annis 12. de Republica sua benemeritus, felicissime occubuit; cuius corpus in uestibulo monasterij Diui Georgij maioris, honorifice conditum est, & tumulo eius hi versus insculpti.

Terror Græcorum iacet hic, & laus Venetorum
Dominicus Michael, quem tenet Hemanuel.
Dux probus & fortis, quem totus adhuc colit orbis,
Prudens consilio, summus & ingenio.
Istius acta viri, declarat captio Tyri,
Interitus Syriæ, mœror & Hungariæ.
Qui fecit Venetos in pace manere quietos,
Donec enim uixit, patria tuta fuit.
Qui quis ad hoc pulchrum uenies spectare sepulchrum,
Cernuus ante Deum flectere propter eum.

Anno Domini M.C.XXVIII. Indictione VII. Obijt Dominicus Michiel, Dux Venetiæ.

Fuit hic Dux XXXV. in ordine. Dux vero XXXIII. fuerat Vitalis, huius nominis III. Michael, qui creatus anno Domini 1096. præ

fuit,

fuit annis 5 & menses 4. & obijt anno 1101. Successit deinde post Dominicum Dux XXXVIII. Vitalis IIII. Michael, creatus an. 1156. qui cum præfuisset annis 16. & mensibus aliquot, sponse magistratu cessit, anno 1172. & in eius locum Sebastianus Zianus successit.

GENS FRANGIPANIA SIGNIA, Hungarica, Fori Iulia.

SEcundus autem ex his fratribus Frãgipanijs, nomine Nicolaus, Venetiis soluens, in Dalmatiam primum, ubi familiam Bonpanorum Scodræ reliquit, & Panorum Veggiæ: Deinde eius posteri in Hungariam profecti, & Croatiam, Clarissimæ Gentis, in utrisque prouinciis auctores extitere, Francopanorum uidelicet, & Signiorum; nam nepotes eorum opibus, potentia, & dignitate illustres effecti, in eisdem prouinciis commorantes, multis oppidis, & magna ditione potentes, Comitum Signiæ familiam nobilissimam propagarunt: ut inter alios clarissimè demonstrat Antonius Bonfinius rer. Hungaricarum decadis 2. lib. 8. his verbis: *Crucigeri namque Rhodiani milites, qui sacrosancta stipendia faciunt, item nonnulli Frangepanum Reguli, qui in Dalmatia & Croacia ad Sauum usque latè imperabant, excidium Pannoniæ miserati, cum auxiliaribus copijs, & ualidissimo equitatu, Regem in Hungariam restituere, quare ob rem bene gestam, non solum amplissimis priuilegijs, sed oppidis, & pagis, ut diplomata regia planè testantur, honorificè donati sunt: hos M, & B, fuisse memorant. A clarissimis profecto maioribus isti degenerare noluere, qui ut Romani sanè referunt Annales, in Senatorio ordine præstantissimi semper habiti, urbanis tandem factionibus in Dalmatiam secessere, ac in eius parte regnarunt. Quam Lapideam uocant sedem, sibi Segniæ optarunt, & inter Illyricos Proceres Principatum semper obtinuere.* Hæc Bonfinius. Huic accedit & Ioannis Leunclauii uiri doctissimi sententia, qui in Pandectis suis ad historiam Turcicam, annotatione 173. sic de hac familia loquitur: *Huic Vngarorum cladi causam præbuit Ioannes Frangepanius, ex illustri & Romæ quondam clara Frangepanorum familia natus; quibus in Croatiam, Dalmatiamque commigrantibus datum hoc erat ab incolis nomen, ut FrancPani, dicerentur, hoc est Domini Franci.* Hæc ille confirmatur id & auctoritate Pij II. Papæ. comment. lib. 3. in hæc uerba. *Verum prius legati Bosnenses ex Mantua recesserunt, quam proditio innotesceret, quæ ad Legatos Hungaros pri-*

mum delata est. Hi fuerunt Episcopi duo Cenadienſis,& Segnienſis ; & cum his Stephanus Croatiæ Comes ab origine Romanus , Frangepania gente, quæ ſanctiſſimum olim Pontificem Gregorium produxit, Præſulum decus , & norma : & Taruiſinus quidam Doctor , cui poſtea Pius apud Dalmatas Epiſcopatum commiſit . Hæc ille. Ex horũ vetbis colligitur falſam eſſe opi. D. Io. Petri Villa de Canibus, dicentis Signiæ Comites, ex Materno genere Frangipanos eſſe,& non ex Paterno.



Geſſerunt Frangipanij Comites Signiæ pro armis gentilitiis,in cœlo ſanguineo, Aquilam auream,fruſtulis nigris fragmentatam, ut aliquod pietatis Auitæ monumentum ſaltem in armis appareret,cum in cognomine, quod ex Frangipanio,in Signium tranſiit, quodãmodo deperditum uideretur. Procedente demum tempore familia hæc Illuſtris ad Anagniam ciuitatem Campaniæ in Hernicis translata, ſed quo temporis interuallo explicare non ualeo,ibidem quoque clariſſima exſtitit,protulitque Romanos Pontifices doctrina & ſanctitate celebres , Innocentium III. Gregorium IX. ex monacho Camaldulenſi,& Alexandrum IIII. ex monacho Benedictino,aliosque S.R.E. Cardinales,& utriuſque ſtatus tam eccleſiaſtici,quam ſecularis,uiros præclariſſimos.

Nonnulli etiam eorum in Foro Iulienſem prouinciam tranſmigrantes, Auitum adhuc Frangipanium nomen , in hodiernum vſque retinent.

GENS, FRANGIPANIA, ASTRVA, Aquina, & Tolfa.

PORro autem tertius,qui & natu minor,ex tribus fratribus Frãgipaniis , nomine Hugo , in Apuliam & Campaniam rediens, in eiſdem locis gentis Frangipaniæ, quæ ibidem adhuc extat , Auitum maiorum nomen adhuc retinens,auctor fuit . Et in Campania quidem Comites de Aquino,qui nunc uocantur Comites de Loreto , & de Belcaſtro , & olim Frangipanii Romani nuncupabantur,a quibus clariſſimus ille S. Eccleſiæ Sol,S. Thomas Aquinas originem duxit,procreatos refert Scipio Mazella ex vetuſtis inſtrumentis in deſcribenda familia de Tolfa; & adducit Ioannem Manardum Medicum inſignem , qui lib. 5. epiſtol. epiſtola 5. aſſerit S. Thomam

Aqui-

Aquinatem ex Frangipana ortum familia. Adiungitur & huic Ioannes Barrus lib. 4. pag. 298. qui illud idem confirmat. Ex horum aliquo puto esse uerba illa, quæ pro huius veritatis confirmatione ad me transmisit R.P. D. Hieronymus Brugia, Montis Casini Abbas; quæ sine nomine auctoris hæc continebant.

S. Thomas de Aquino migrauit sub an. 1270. mense Martij, 7. die eiusdem mensis, in Abbatia Fossæ nouæ, & postea fuit translatum eius corpus Tolosam in Ecclesiam dedicatam sub eius nomine, anno 1370. uixit annos ferè 50. Prædictus verò Sanctus fuit genere nobilissimus, nam ex linea paterna, fuit ex genere Comitum Aquinorum, qui nominantur Comites de Loreto, & de Belcastro, & antiquitus dicebantur de Frangipanis Romanis, quæ fuit progenies Sanctissimi Gregorij Papæ primi huius nominis, quæ progenies est antiquissima. Reliquit Dominus Bernardus Comes de Loreto se habere vnum instrumentum apud se, pertinens ad progeniem suam, in quo Boetius Senator, & Theologus, qui aliàs S. Seuerinus appellatur, protestis inducitur: in quo ipsi Comites de Loreto, & de Belcastro uocantur de Frangipanis, ut reperitur in quadam chronica antiqua in conuentu SS. Ioannis & Pauli de Venetiis. In linea uero materna, habuit matrem Neapolitanam, Theodoram nomine. Item habuit duas sorores carnales, quarum una mater exstitit Petri Serenissimi Regis Aragonum: Altera uero fuit mater inclyti Ludouici Regis Siciliæ. Hactenus scriptura illa.

Comitum autem Aquinorum posteri inter multas ciuitates, vrbes, & oppida, quæ in suis prouinciis cæperunt, Terracinam quoque, & Asturam, Caietanumque Ducatum, suæ ditioni adiunxisse leguntur, quas multo tempore sub sua potestate retinuere.

In Apulia uero ex eodem Hugone succedente tempore procreati Domini de Tolfa, quorum originem prædictus Scipio Mazella Neapolitanus, in descriptione regni Neapolitani, his Italicis verbis explicat.

Non è dubio alcuno che la chiarissima famiglia della Tolfa non sia l'istessa che Frangipana, la quale famiglia quanto sia in Roma antichissima, è nobilissima, è noto a ciascuno, poiche da essa nacque San Gregorio: & Giouanni Menardo nel 5. libro delle epistole, nella 5. Epistola, dice che della medesma familia, fosse L'Angelico Dottore San Thomaso. Luca Contile nobilissimo scrittore nel trattao delle imprese nell'epistola dedicatoria vuole la casa d'Austria essere l'istessa che Frangipane, dal che si uede la nobiltà è grandezza di questa casa. Passò la famiglia de Frangipane in Regno 1268. Percioche trouandosi doi fratelli Si-

gnorì d'Astura in Maremma di Roma, & essendo Corradino rotto in Abruzzo, è fuggito ad Astura terra di Marina, per trouare una barca da passare à Pisa, uno de i fratelli, lo fece prigione, & lo diede in mano del Re Carlo primo. Onde per guidardone il Re li diede la Peloſa, Terracoſa, Ponto, è Fragnito. Hauendo queſta famiglia fatto molte parentele co i Nobili di porta nuoua, fu aggregata nel detto ſeggio, & gli huomini di eſſa eſercitando l'antico loro valore furono di molta ſtima appreſſo gli antichi Re da i quali hebbero honorati carichi. In proceſſo di tempo poi detta famiglia di Frangipane ſi ſpinſe. Ma tornando Alfonſo II. Re di Napoli della Toſcana, di nuouo la portò in Napoli, perciochè uedendo che Papa Paulo II. era per far guerra co i Frangipani Signori della Tolfa, per cauſa che uoleua attribuire alla Sede Apoſtolica alcune uene di Lume di Rocca, trouati da eſſi Frangipani nel Territorio della Tolfa, dicendo che tutte le miniere erano del Pontifice, il Re per acquietare i Rumori ſi poſe in mezo, & accordò Nicolo Frangipane, & opero che'l Pontefice ſborſata una buona ſomma di dinari a i Signori della Tolfa, ſi pigliaſſe la raggione de detto caſtello. Pago il prezzo che fu giudicato il caſtello predetto, & coſi i Signori della Tolfa compraronò il Contado di Serino. Hauendo poi Nicolo accaſato Ludouico ſuo figliuolo maggiore, con Aurelia Caraffa ſorella di Giouanni Conte di Polycaſtro, fu per opera del Conte che detta famiglia foſſe aggregata nel ſeggio di Nido. Onde tutti di detta caſa laſciato il cognome di Frangipani, ſi chiamarono della Tolfa. Succeſſo poi nel Regno Ferdinando primo, uiſto la fidelta che uſato haueua il fratello di Giouanni, lo fece Conte di San Valentino. Poſſeggono hoggi i Signori di queſta famiglia non ſolo le dette Contee ma anco molte altre terre è feudi. L'arme ch'uſano fare, è una torre d'Argento in campo azuro, uolendo credo dinotare per la Torre la Signoria che anno hauta della Tolfa, & per queſto non uſano fare l'antiche inſegne della famiglia Frangipani.

Hucuſque Mazella, qui dicens prædictos Dominos de Tolfa illius Turris argenteæ in campo cæruleo inſigne ſibi ſumpſiſſe in memoriam illius Dominii, quod quondam poſſederant, uidetur ignoraſſe antiquum familiæ Aniciæ ſymbolum quod erat idem (campo tantum excepto qui ſanguineus erat) cum eo quod nunc familia iſta de Tolfa geſtare noſcitur: & ideo non ob memoriam illius Dominii, ſed ut demonſtrarent ſeipſos ex Anicia familia quondam propagatos, auitum & antiquum nobiliſſimæ illius familiæ inſigne, quod ipſi in mutatione Anicii nominis in Frangipanium, reliquerant, iterum pro gentilicio ſtemmate familiæ ſuæ reaſſumpſerunt, ſangui

neo

neo Aniciano, in campum cæruleum transmutato, vti quondam fecerant Michaelii Frangipanii Veneti.

Putatur & a doctissimo Hieronymo Rubeo Rauennate, Brancaleones ex Frangipaniis orti, qui coniectura ducitur, quod Latinus Cardinalis, Nicolai iii. Papæ ex sorore nepos, qui a S. Antonino, Volaterrano, & aliis, uocatur Frangipanius: a Ioanne Villano, & Landino, Brancaleonius appelletur.

Gradus VI. Anicianus XXIX.

Leo Petrusleo, Anicius, Maximi Petrileonis filius, cuius res gestæ adeo obscuræ sunt, ut præter nomina, tam patris, quam eius, ut filij Maximi, quem unicum dicitur reliquisse, vix aliud reperire potuerimus. Reperimus tamen & illa non sine magno R. Bardi labore, qui nobis ea subministrauit. Obijsse fertur anno 926.

Maxima Anicia Pierleonia, Maximi Petrileonis filia, nupsit Lucio Statio Diodoro Frangipani propinquo suo, & in ea iterum Pierleonia, & Frangipania Familiæ in vnum coaluere: Extat eius, & mariti memoria in antiqua quadam inscriptione, quam ad uirum eius apponemus.

Lucius, Statius, Diodorus, siue Heliodorus, Frangipanis, Antonij Frangepanis filius, vxorem duxit Maximam Aniciam Perleoniam præfatam, ex qua quidem filios sustuliisse fertur, à quibus Frangepanes qui sub Paschali II. & Gelasio II. magna in Vrbe potentia vixe-

runt, rectam originis lineam traxisse referuntur, at illorum nomina ex historijs non reperiuntur. Obijt Lucius anno Christi 891. vt ex eius Epitaphijs patet, quæ sibi uxor eius posuit. Communicata sunt illa nobis à R. Bardi, quorum primum sic dicebat:

DEO. MAGNO. ÆTERNO.
MAXIMA. ANICIA. MAXIMI.
PETRILEONIS. F. STEPHANI.
N. L. STATIO. DIODORO.
FRANGEPANI. ANTONI.
F. BENEMERENTISSIMA. PO-
SVIT. ET. S. AN. D. INC.
DCCCXCI.

Aliud vero corrosum, & mutile sic erat:

—AX--II.---.V. L. N. P. LEONIS.
MAXIM--TE--NI. ANI--T-L. F.
HELI--DORI. VXOR. B—J.—I-N
D. D.
DCC.—XIX.

Ex ijs autem litteris, quæ in hac inscriptione cernuntur etiamnum integræ, eæ quæ vel desunt, vel mutilæ conspiciuntur; ita restitui, seu suppleri posse, ac debere videntur, vt hoc modo sit legendum:

MAXIMA. ANICIA. LEONIS.
NEPTIS. PETRILEONIS.
MAXIMI. STEPHANI. ANICII. FILII. FILIA. HELIODORI VXOR. BENEMERENTISSIMA. DEDICAVIT.
DCCCCXIX.

Gradus VII. Anicianus XXX.

Maximus Petrusleo, Leonis Petrileonis filius, cuius memoria nulla alia extat, quam illa quæ est apud Volaterranum, & R. Bardi, apud quos & nomen eius legitur, stemmatisque successio agnoscitur in duobus filijs Stephano, & Petro, quos ex vxore reliquit. Obijt, vt annotatum nobis dedit R. Bardi, anno 987.

Gradus VIII. Anicianus XXXI.

Stephanus Petrusleo, Maximi filius, cuius solam nominis, & posteritatis memoriam, habemus apud Volater-

terranum,& R.Bardi. Eius filius Leo. Obijt ex eiusdem Bardi sententia anno Do.1030.

Petrus Petrusleo, Maximi filius, in hoc tantum memorabilis quod filium genuerit Ioannem Gratianum, qui postea Romanus Pontifex factus est.

Gradus IX. Ancianus XXXII.

Leo Petrusleo, Stephani filius, vir magnæ potentiæ, & auctoritatis in vrbe, cuius meminerunt Volaterranus, lib.23.c.vlt. & R. Bardi; relicto filio Petro, & filia N. anonyma diem obijt, anno circiter 1078.

Ioannes Gratianus Petrusleo, Petri Petrileonis filius, S.R.E. Archipresbyter S.Ioannis ante portam Latinam, vir bonus, & venerabilis, abdicante Benedicto VIII. dicto IX. Summus Pontifex renunciatus ipsis Calen.Maij, anno Dom.1045. Gregorius VI. appellatus est; Sedit annum 1. Menses 7. dies 22. Coactus in Concilio Sutrii ab Imp. Henrico III. Aug. congregato abdicauit 12. Calend. Ianuarii anni sequentis 1046. & Cluniacum in Galliis relegatus, ibidem non longe post obiit, & sepultus est. Vacauit sedes dies 4. vt tradunt Panuinus in Chron. Pont. Rom. & Ecclesiast. Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib. octauo. ad annum 1046. & alii.

Gra-



Petrusleo, de Petrisleonibus, Leonis Petrileonis filius, Comes Montis Auentini Romæ, cuius potentiam, & zelum erga ſedem Romanam, egregiè produnt Platina in uitis Paſchalis II. et Gelaſij II. Pontificũ Rom. Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib.10. & D. Dodechiuus Abbas in appendice ad Marianum Scotum ad annum 1110. cuius verba, quod egregiam eiuſdem Petri laudem contineant, & ad genealogiæ noſtræ texturam multum accommodata videntur, non inutile, nec ſuperfluum iudicaui hic inſerere, ſunt autem eiuſmodi:

Si Dominus Papa hæc Regi non adimpleuerit, ego Petrus Leonis iuro, quod tota potentia mea tenebo ad Dominum Regem. Obſides autem niſi effugerunt, reddemus altero die poſt coronationem Regis. Si per Papam remanſerint, vt non coronetur, ſimiliter reddemus Dominico die quum Rex ad proceſſionem venerit. Obſides dabo Gratianum filium meum, & filium Vizonis filij, & filium ſororis meæ, ſi, cum habere potero. Hæc ſunt ſacramenta ex parte Domini Papæ: ego Petrus Leonis iuro vobis, quia Dominus Papa proximo die Dominico adimplebit Regi, quod in carta conuentionis ſcriptum eſt.

Hæc

Hæc ibi. Videtur hallucinatus fuisse Raphael Volaterranus lib. 23. antrop. c. vlt. cum dixit Familiam Perleoniam, sic ab hoc Petroleone cognominatam, cum ut ex præcedentibus vidimus, idque etiam testatus est Rubeus lib. 5. hist. Rau. loquens de Blanda Perleonia, quæ vxiit anno 834. hæc familia multis ante hunc Petrum seculis, Romæ clara & illustris fuerit. Fortassis loqui voluit Volaterranus de armis huius familiæ, Petrus enim iste, primus fuisse fertur, qui ad Leonem nigrum auro Frangipanatum, in argentea campo; tres fascias rubeas, & argenteas totidem adiunxit, quod ab eo sic acceptum eius posteri postea inuiolabiliter conseruarunt. Qua vero ratione hoc nouum, ad prisca insignia adiunxerit, cum non sit qui prodat, explicare nequeo: nisi forte dicamus arma illa materna fuisse, quæ ob eius memoriam, vt nostro seculo etiam in vsu est, Petrus sibi vsurpare voluit. Reliquit ex vxore N. filios octo, quorum nomina sunt Leo, Cintius, Guido, Iordanes, Petrus, Ioannes, Gratianus, & Obicio. Et tandem de tota Ecclesia Christiana, & Romana Republica optimè meritus, maximo omnium dolore obiit, vt nonnulli colligunt anno 1128. & sepulturam meruit ad S. Paulum via Ostiensi, ad cuius sepulchrum sequentes uersus leguntur:

PE-

Præterit vt ventus Princeps, seu Rex opulentus,
Et nos vt fumus, puluis, & vmbra sumus.
Tot tantisq; bonis, pollens Petrus ecce Leonis,
Respice quam modico, nunc tegitur tumulo.
Vir fuit immensus, quem Proles, gloria, census,
Sustulit in vita, non sit vt alter ita.
Legum seruator, patriæ decus, Vrbis amator,
Extruxit celsis turribus astra poli.
Omnia præclara hæc, mors obtenebrauit amara,
Nominis ergò Dei gratia parcat ei.
Iulius in mundo fulgebat Sole secundo,
Hunc seruat nobis nunc polus, atque lapis.

Super sepulchro marmoreo.

Te Petrus & Paulus seruent, ò Petre Leonis;
Dent animam Cœlo, quos tam deuotus amasti;
Et quibus est idem tumulus, sit gloria tecum.

N. Perleonia, Leonis filia, & Petrileonis soror, virum, & filios habuit vt testatur Dodechinus Abbas in verbis Petrileonis supradictis, sed quæ eorum nomina fuerint ab eo non proditur.

Viuebant hoc tempore Romæ Leo, & Centius Frangipanes, de quibus multa Platina, & alij.

Leo III. dictus Maximus Petrusleo, Petrileonis de Petrisleonibus filius, montis Auentini Comes, cuius nomen reticet Volateranus, accepimus autem illud nos, cum nonnullis fratrum suorum nominibus, ex duobus antiquis instrumentis, uno Cameræ Apostolicæ, & altero monasterii S. Gregorii, quæ infra subiungemus, cum de fratribus eius egerimus. Ex uxore N. geniti, Petrus, primus Habsburgi Comes, Rodulphus, & Obicio. Obijt Romæ anno Do. 1162. die 23. Aprilis, & præ foribus Ecclesiæ S. Alexii, in monte Auentino sepultus est. A Volaterrano, Bardi, Antonio Vacca I.C. Romano, & aliis nonnullis, sequens Epitaphium, quod ad fores eiusdem Ecclesiæ S. Alexii legitur, huius Leonis esse putatur,

Est autem illud tale:

Maximus hinc surget gemina cum pube suorum,
Et nata superis dandus honore pio.
Quos Sergestus acer patrum lõgo ordine sæuum
Illustres animos perque Ducum genera.
Mite genus hominũ, sapiens, insigne, decorum,
Nominis antiqui consepelit tumulus.
Stephane, post patris interitũ Leo concidit imus
Postque tuum lapsum, atque sororis iter.
Extraneo nulli liceat superaddier istis,
Aut si quis violans sit anathema Deo.
Christe decus mundi, semper miserere sepultis,
Et loca fer pacis, qui bona cuncta facis.

Obijt

Obijt Dominus Leo de Maximis M. April. D. xxiij. Indictione xj. Anno Dom. Nostri M. C. L x i j. Ego Don Maria pro magnio amore fieri iussi.

Centius Petrusleo, Petrileonis filius, cuius nomen habuimus ex instrumento S. Gregorii, uiuebat an. 1139.

Guido Petrusleo, Petrileonis filius, ex eodem instrumento acceptus; uiuebat eodem cum fratre Centio tẽpore.

Iordanes Petrusleo, Petrileonis filius, cuius meminit Carolus Sigonius de Regno Italiæ, lib. 11. *ad an.* 1144. *in hæc verba:* Interim nouum Romani tumultum excitauerunt. Etenim Senatoribus, quos instituerant, non contenti, Patricium celsioris magistratum fastigij adiecerunt, ac vectigalia omnia tam vrbana, quàm peregrina Pontifici erepta ei attribuerunt, Pontificemque sacris decimis, & largitionibus dignitatem tueri suam iusserunt. Ea dignitas delata primum est ad Iordanem Petrileonis filium, hominem in Vrbe vetere nobilitate, ac populari gratia potentissimum, &c. *Agit de eo & Bardi, ac nonnulli alii.*

Petrus, Petrileonis filius, primum Cardinalis Diaconus Tit. SS. Cosmæ, & Damiani à Paschale Papa II. *factus: mox à Callisto* II. *Presbyter Cardinalis S. Mariæ*

riæ Trans Tyberim, Tituli Callisti: postremò mortuo Honorio Papa II. in schismate contra Innocentium II. die 13. Calendas Martii, anno 1130. paulò post creationem præfati Papæ Innocentii II. à nonnullis Cardinalibus Romanus Pontifex renunciatus, non longè post consecrationis, & coronationis insignia suscepit, & Anacletus II. appellatus est. Sedit in schismate contra Innocentium II. annos 7. Menses 9. & dies aliquot. Et Cardinalibus nonnullis aliquot Ordinationibus creatis, Obijt anno Domini 1138. Mense Nouembris, Romæ, ibidemque in Basilica Lateranensi sepultus est. Panuinus, Sigonius, & alij multi.

Ioannes Petrusleo, Petrileonis filius, cuius nomen accepimus ex instrumento anti quo Cameræ Apostolicæ, viuebat anno 1152. Romanorum Consul.

Gratianus Petrusleo, Petrileonis filius, cuius meminit Dodechinus Abbas in appendice ad Marianum Scotum, vt videre est in eius verbis, quæ ad Petrumleonem adduximus.

Obicio, vt instrumentum Cameræ Apostolicæ habet, siue Vizo, vt legit Dodechinus, Romanorum Consul, viuebat anno 1152. Filium reliquit Gratianum.

N. Sororis Petrileonis filius, qui memoratur à Dodechino loco citato.

Hoc

Hoc tempore clari erant Romæ, Oddo Frangepanis, Cencius, & Ioannes filius eius, Romanorum Consules, ex Perleonum familia originis lineam trahentes, de quibus etiam memoria extat in illis duobus antiquis instrumentis, quorum copia subsequitur. Et primum quidem extractum ex quodam antiquo uolumine Cameræ Apostolicæ, edito a Centio Camerario S. R. E. qui postea Papa creatus Honorius III. dictus est quod adhuc in Bibliotheca Palatina seruatur est huiusmodi.

In nomine Domini, Anno Dom. Incarnat. MCLII. anno 4. Domini Eugenij Papæ iij. Ind. Et. I. mensis Iulij die XXVII. Ego quidem Rainerius, licet indignus, Abbas venerabilis Monasterij Beati Saluatoris de Monte Annato, &c. Et infra circa finem: *Quam scribendam rogaui Andream Scriniarium S. R. E. in mense, & Indictione suprascritta prima. Signum manus suprascripti Domini Eugenij Summi, & Venerabilis Pontificis, & in sacratissima sede B. Petri Apostoli PP. iij. conductoris huius PP. rog.*

Cencius Fraiapanis egregius Romanorum Consul.

Oddo Fraiapanis, Serenissimus Romanorum Consul.

Ioannes Fraiapanis, filius Domini Cencij, Rom. Consul.

Stephanus de Thebaldo: Iacintus Domini Papæ dapifer:

Ioannes, Petri Leonis egregius Romanorum Consul.

Gratianus, filius Obicionis, Petri de Leone, Romanorum Consul.

Petrus, Leonis, Petri de Leone, Romanorum Consul.

Obicio, Leonis, Petri de Leone, Romanorum Consul.

Stephanus infans filius Stephani de Theobaldo, & alij quamplurimi testes subscripti sunt, quos breuitatis causa subtiteo. Ex quibus instrumentis apertissimè colligere licet prædictos omnes Perleones, aut fratrem suum Anacletum II. Antipapam contra Innocentium Papam II. non secutos, aut certè statim ab eius morte eidem Innocentio reconciliatos fuisse, cum ei tamen familiariter adhærerent. Obijt hic Leo III. de Maximis cognominatus, Anno Domini 1162. die 23. Aprilis.

Secundum vero ex archiuio Monasterij S. Gregorij in Vrbe extractum sic habet:

In nomine Domini, Anno Dom. Incarn. M. C. XXXIX. Anno vero Pontificatus Innocentij II. Nono, Indict. ij. Mensis Aprilis, die quarta. Ego Petrus Monasterij Sancti Andreæ Apostoli, & Sanctissimi Gregorij Confessoris, in cliuo Scauri, humilis Abbas, prædecessorum meorum. Venerabilium Abbatum prudentiam sequens, in Concilio Lateranensi, in Ecclesia S. Saluatoris solenniter habito, præsidente Domino Nostro Papa Innocentio, & consedentibus Cardinalibus & cum lateralibus Episcopis, tribus quoque Patriarchis, Antiocheno, Aquilienſi, atque Gradensi; Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus in magno numero congregatis, Canonicam, & Legalem feci querelam super Oddone de Polo, qui uiolenter, & sacrilegè inuaserat castra monasterij, & detinebat ipsum, uidelicet Polo, Iustinianum & Guadauiolum uiuum, quia Dominus Papa multis & grauibus extraneorum qui conuenerant, impeditus erat negotijs. Causa ista post Conciliũ est dilata. Vnde ego non modicum solicitus, cum prædictus Oddo, etiam ab Vrbe studiose se subtraheret, postea per Ioannem scriniarium illo præsente, ante eundem Pontificem præsentibus Cardinalibus, & Episcopis, præsente quoque Theobaldo præfecto, & nobilibus uiris Vrbis Cencio, & Odone Fraiepane, Leone Petri Leonis, cum fratribus suis Centio, Guidone &c.

STIR-

STIRPIS ANICIAE:

Stemma Quintum.

HABSBVRGIVM.

§. xiij.

Gradus I. Qui est Anicianus XXXV.



Petrus, Petrusleo, Leonis Petrileonis filius, montis Auentini Comes, vir nobiliſſimus, et inter Vrbis primates præcipuus, in Senatorio ordine præſtantiſſimus ſemper habitus, ob Vrbanas ſeditiones in Germaniam vna cum fratre Rodulpho ſecedens, à clariſſimis maioribus ſuis degenerare noluit, nam iuxta Lucernæ lacum in Ergouia prædia ac terras mercatus, caſtrum in eo loco munitiſſimum excitauit, quod, ſiue ob memoriam accipitris in eo loco inuenti, vt vult Volaterranus, Abec enim lingua Germanica Accipitrem ſignificat; vel alterius caſtri prioribus temporibus, vt ferunt, in eodem loco à Rapatone Auendi caſtri Romarici montis Comite ædificati; aut certè, quod ego magis approbo, ab Auentino dominatu, cuius hic Petrus Comes erat, Auenburgum, quaſi Auentini Burgum nuncupauit. A quo caſtro poſtmodum omnes eius poſteros, tam qui hodie nunc viuunt, quàm

qui superioribus seculis fuisse memorantur, denominationem habuisse constat. Inter denominationes namque, quæ in Vrbe olim ex diuersis euentibus fieri solebant, non inusitata fuit consuetudo illa, qua à Ciuitatibus, & populis sæpissime nominum mutationes fiebant; vt videre est in Normandis, qui à Ciuitate Placentia Placentini denominati sunt: et in illis qui uocabantur Massæ, qui nunc in Vrbe Roma, ab oppido Gallesio, Gallesii dicuntur: item & in Illustriss. Marchionibus Estensibus, qui cum prius Actij vocarentur, ab Estensis munitionis dominio Estenses vocati sunt. Ita quoque à simili euentu qui olim Petrileones, à Castro Auenburgo, siue Habsburgo, Habsburgij: & postremò ab Austriæ dominatu, Austriaci, siue Austrij dicti sunt, vt in sequentibus videbitur. Huius Petri nomen quod reticet Volaterranus, dederunt nobis instrumentum illud antiquum supracitatum cameræ Apostolicæ, & Lazius commentar. in familiam Austriacam, lib. primo, capit. primo, & nonnulli suorum sequacium.

Ad Lazii uerba, quibus eodem lib. 1. c. 1. Volaterranum, & alios carpit, quod hanc splendidam Austriacorum familiam, ab hoc Petro homine exule deriuare faciant, non est quod multum immoremur, cum in eo quo alios reprehendere nititur, ipse maxime erraſſe conuincatur: nam Sigebertum suum, una cum Trittemio & aliis, semper & ubique Sigebertum exulem appellat. Exilium autem nihil de gloria natalium auferre, maxime cum exilii causa ignoratur, vt contigit in hoc Petro, qui ob seditionem Vrbe pulsus dicitur: imo magis aliquando maiorem splendorem familiis Illustribus & Catholicis conferre, cum illud ex pia causa & iusta suscipitur, ut de hoc Petro, & tota eius familia credendum est, omnibus adeo notũ est,

est, ut superfluum videatur super hac re uelle uerba facere. Cum enim illo tempore Adriano IIII. & Alexandro III. Pontificibus, non adeo morem gereret Fridericus I. Imperator, qui sibi iura Pontificia contra ius fasq; arrogabat, & nonnnullis eidem Imperatori, & suo idolo Octauiano Antipapæ adhærentibus, aliis uero, quibus mens sanior erat, inter quos erant Frangipanii & Perleones nobilissimi ciues Romani, uerum Pontificem sequentibus, omnino ueri simile uidetur, ut propter eiusmodi piam seditionem pro defensione Christi in terra Vicarii, contra Imperatorem, Antipapam, & eorum sequaces, a Frangipaniis Perleonibus motam, ab ipso Friderico Imperatore, qui eorum potentiam uerebatur, in Germaniam hi duo fratres, qui plus aliis posse uidebantur, relegati fuerint, ubi postmodum in eam, quam nunc uidemus, creuerunt potentiam; hoc bene iustitia Diuina disponente, ut sicut pro defendenda Ecclesia sua, extorres a patria facti fuerant: ita quoque pro condigna remuneratione (nullum enim bonum, etiam in hoc seculo patitur iustissimus cęli arbiter Deus irremuneratum iri) non solum amplis facultatibus, & Dominiis ditarentur; uerum etiam illius pię familię auctores existerent, quæ postmodum Imperii dignitate (qua prioribus temporibus condecorata fuerat) iterum exornata, murum se pro ea protegenda, contra eius quoscunque hostes, uiriliter opponerent. Frangipanios uero & Perleones, Alexandro Pontifici adhæsisse etsi in superioribus ostensum, ubi dictum est, quod *Oddo Fregepanis, tanquam deuotissimus Ecclesiæ Romanæ filius, cum suis fautoribus, contra Octauianum, Alexandro uero Papæ adhęsit:* Videntur nihilominus etiam ad hoc nostrum propositum confirmandum multum facere illa, quæ de eisdem, refert idem Alexander Papa in suis datis Anagniæ ad fratres monasterii de Marmuloso, supra castro Tiberiæ, vbi sic loquitur. *Alexander Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilectis filij Annoni, & uniuersis fratribus monasterij de Marmuloso salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum ex iniuncto nobis officio, singulorum iura defendere debeamus, illis præsertim cogimur suas iustitias conseruare, quos habitus honestatis exornat, & cultus reddit sacræ religionis insignes. Nos si quidem dilectis filiis nostris, nobilibus ciuibus Ioanni, & Petro, & Leoni, filiis quondam bonæ memoriæ, Centij Frangepanis, castrum Tiberiæ, &c.*

His igitur consideratis multo gloriosius reputamus, ex Romana familia antiquissima, illustrissima, & quod maius est Christianissima (quam, vt loquitur Pontifex, cultus sacræ religionis insignem reddit) utpote quæ fidem Catholicam, prima omnium familiarum Se-

natorĭarum,uti ſupra diximus,amplexa ſit,naſci: quã ex patricidis, fratricidis,aut ſpuriis, ut erant illi Sigebertus exul, & pater eius Theodopertus,qui ſtatim ut regno inauguratus eſt,arma in patruelem ſuum Clotarium II.primũ;deinde in Theodoricum fratrem,impiè mouit:cuius impietatis poſtmodum pœnas debitas exoluit,a fratre ſuo Theodorico cum tota ſua familia deletus. Vtrunq; etiã ſpurium fuiſſe docet ipſe Lazius ex Gregorio ſuo falſo Turonenſi, & Trittemio, ut Illuſtriores progenitores, ſcilicet, quam erant Anicii Perleones Romani,Auſtriacos Principes habuiſſe oſtenderet. At ſicut in hoc etiam falſitatis arguitur,cum omnes hiſtorici rerum Gallicarum,& precipue Belforeſtius in mag.annal.Franc.li.1.c.28.& 29. qui Trittemiũ reprehendit, eos legitimos faciant:ita & in eo quod Volaterranum primum huius opinionis auctorem facit, indiligẽtis, & inconſiderati nomen a poſteris promeruit.Nam quo pacto Volaterranus eius primus auctor eſſe potuit, qui ferè ducentis annis poſterior fuit Alberto Argentinenſi, & centum & amplius Pio II. Papæ, quos inconſiderate nimis Volaterranum ſequi ait Lazius, cũ è contrario dicere debuiſſet.Sed moleſtum erat Lazio,quod ut temporis,ita & perſonæ ratione, Albertus Argentinenſis eius intentioni repugnaret;ideoq; eum aliquoties callidè diſſimulauit, ut ex eius libris commentar.manifeſte colligitur, cum alioquin eum & recenſere debuerit.Pius etiam ſecundus quem allegat, nihil de Auſtriaca familia Perleonia lib.2.comment.loquitur.Sed de Petro,contra Lazium ſatis dictum ſit, qui ut Habsburgi Comes factus eſt, relictis auitis Perleonum inſigniis, Leone uidelicet Frãgipanato,ac faſciis, ſolum Leonem aureum ad dextram inſilientem,in umbone cæruleo pro nouo ſtemmate ſumpſit, quod uſque ad hæc noſtra tempora Habsburgi Comitibus fuit proprium.

Hugo Petrusleo,Leonis Petrileonis,S.R.E.Diac.Card.tit.S.Angeli,creatus ab Alex.PP.III.ann.Do.1171.deinde ab eodem an.1178. factus presbyter Card.tit.S.Euſtachii iuxta templum Agrippæ, cuius meminit Panuinus in Epit.in 4.ad Lucium PP.III. ſic. Hugo Petrileonis S.Euſtachii, legatione functus eſt in Angliam ad Henricũ Regem in cauſa S.Tho.ut annotatum reliquerũt Matthæus.Vueſtm ad ann.1175.& Matthæus Patris ad eundem annum, & 1176.

Obicio Petrusleo, Leonis Petrileonis filius, Illuſtris Romanorum Conſul, vt ex inſtrumento Cameræ Apoſtolicæ ſumus edocti, lineam Perleoniam, quæ Romæ ad

hæc

hæc vsque nostra tempora mansit, post fratrum ex Vrbe discessum, propagasse dicitur.

Rodulphus Petrusleo, Leonis Petrileonis filius, vna cum fratre suo Petro Vrbe egressus, postmodum eiusdem fauore, & non ita canonicè Episcopus LVI. Argentinensis creatus anno Domini 1161. cum in eo honore annos 18. consumpsisset, ab Alexandro Papa III. eo quod non legitimè creatus videretur anno 1179. depositus, & in ordinem redactus, vitæ reliquum apud fratrem egit.

De eius Episcopatu agunt Volaterranus antropol. lib. 23. in fine. Antonius Vacca I.C. Romanus, & nonnulli alij recentiorum, tacito tamen nomine: quod nobis communicauit R. Bardi. Creationem illegitimam prodit Ant. Demochares de sacrif. Missæ Tomo 2. c. 35.

Gradus II. Anicianus XXXVI.

Albertus Habsburgius, Petri quondam Petrileonis filius, Comes Habsburgi & Ergouiæ secundus, vir prudens consilioque pollens, vnde & SAPIENS, dictus est. In vita maximè delectatus exercitio rerum bellicarum, vbi in ijs iamdiù dexterrimè esset versatus, irrepente tandem senio, Sepulchrum Domini inuisende desiderio captus, castra secutus est Friderici II. Imperatoris in Palestinam: vbi sub anni 1238. initium, naturæ concessit, in Accarone sepultus. Vxor eius Heduigis Simonis Comitis Alsatiæ filia, & hæres, ex qua su-

scepti filij nouem : Rodulphus, Albertus, Carolus, Martha, Albertus Iunior, Henricus, Hermannus, Heduigis, & Elisabeth.

De Alberti patre contendunt Germani, Lazium secuti, qui Diuitem Albertum agnoscunt; nos quid sentiamus diximus in præcedentibus: nè quid tamen in tactu reliquisse videamur pauca quædam subiungemus. A Pierleonibus Habsburgios processisse, confirmat Albertus Argentinensis, ut supra diximus, sic sententiam suam exordiens, *Rudolphus Comes de Habsburg, ex antiquis progenitoribus ab Vrbe Roma traxit originem:* sic autem finiens; *Ex quibus duobus fratribus omnes de Habesburg postea processerunt.* Huius opinionem constabiliunt multi, inter quos ut alios omittam, primus occurrit Volaterranus lib. 23. in fine sic inquiens, *Ex altero qui nobilem in ea regione duxit vxorem, natus est Albertus, qui Albertum, & Rodulphum Imperatorem, primum ex Comitibus Abesburgensibus genuit.* Hunc sequitur Franciscus Belforestius in magnis annalibus Franciæ, lib. 1. c. 29. his Gallicis verbis. *Rapoton engendra Vuarengier, & celuy Othon: duquel yssit Vuernhier, qui eut pour filz Albert surnomme le Riche, ayant cestuy pour filz Albert second du nom, (Conte de Habsbourg, & Landgraue de Elsace, qu'aucuns estiment estre d'un autre estoc, que des Merouinges) d'Albert fut successeur Rodolphe Roy des Romains.* &c. id est: *Rapoto genuit Berengerium, & ille Othonem: ex quo genitus Vuarnerus, qui filium habuit Albertum, cognomento Diuitem: habuit iste filium Albertum secundum huius nominis (Comitem Habsburgi & Alsatiæ Landgrauium, quem alij alterius stemmatis, quam Merouingorum existimant) Alberti successor fuit Rodulpus Rex Romanorum*, &c. Accedit & tertius Franciscus Rosierius Tomo 5. stemmatum Lotharingiæ historia capitali LXXIX. cuius uerba sunt: *A quo Rapotone hi filij & nepotes exierunt, Varangerus, Otho Verutherus, Albertus cognomento Diues, Albertus II. omnes Habsburgenses Comites; quorum nouissimum plerique à Petro Leone Romano descendisse tradunt.* Hæc ille, ex aliorum sententia, quorum, & præcedentium omnium in superiori §. VI. citatorum, opiniones, si non utique Historicorum Germanorum fictionibus quadrant, uideat lector, an decipiatur documentorum priscorum antiquitate, an rei veritas auctorum negligentia tenebris obducta sit. Num Austriacos Principes, qui ante erant Habsburgii ex hac Perleonia Frangi-

pania

pania originem duxisse egregie docent Lucas Contilis in epistola sua dedicatoria, & R P.F. Onuphrius Pãuinus in duobus antiquis instrumentis, quæ ex MSS. adfert lib. 3. de gente Frangipania, cap. 7.

Gradus III. Anicianus XXXVII.

Rodulphus Habsburgius, Alberti Sapientis filius, Comes Habsburgi, & Ergouiæ III. in quo vetustissima, & nobilissima Aniciorum domus, Imperialibus, & Regalibus fascijs est restituta: natus est in oppido Habsburgo, anno Domini 1218. Calendis Maij, & post longam Imperij vacationem, Francofurti ex Comite III. Habsburgensi, & Alsatiæ Landgrauio, quarto Idus Octobr. anno 1273. Rex Romanorum appellatus, coronatus est Aquisgrani à Sigefrido Colonienſi Archiepiscopo octauo Idus Ianuarij an. 1274. Regnauit annos 17. Menses 11. & dies 19. Obijt prope Spiram Germetsheimæ ad Rheni ripam, pridie Calendas Octobris, & Spiræ sepultus est iuxta Philippum Sueuum, an. 1291. cum hac inscript.

ANNO DOMINI MCCLXXXXI.
PRIDIE CALENDAS
OCTOBRIS,
OBIIT RODVLPHVS REX.

Ex quo elogio erroris arguuntur qui Idibus Quintilibus mortuum volunt. Vixit annos 73. Menses 5. Duxit vxores duas, harum prima fuit Anna, Comitis

Ho-

Hohemburgensis ad Nicrum filia, quæ cum ei tredecim filios peperisset, obijt anno Domini 1281. duodecimo Cal. Octobris, & Basileæ in summo Templo sepulta est. Secunda fuit Elisabetha, siue Agnes, Othonis Ducis Burgundiæ filia, ducta anno 1284. cum esset annorum quatuordecim tantum, ex qua prolem non suscepit.

Ab hoc Rodulpho & deinceps, prolixitate vitanda, quod ab eo adusque Philippum, & Rodulphum, secundos, familia Habsburgica Austriaca, fusissimè in omnium manibus versetur; stemmatis Austriaci propagatores breuiter tantum dabimus, reliquos vtriusque sexus nominetenus in Arbore Aniciana generali daturi.


STIRPIS ANICIAE,

Stemma Sextum.

AVSTRIVM.

§. xiiij.

Gradus I. Anicianus XXXVIII.



Albertus Habsburgius, Rodulphi Imperatoris filius, à genitore alteris ad Augustam Vindelicorum Comitijs, in frequenti Principum corona, cum Ducatu Styriæ, atq; Carniolæ AUSTRIAE EXARCHATUM, vxoris Elisabethæ, Menardi Comitis Tyrolis

rolis filiæ intuitu, consequutus, HABSBVRGIVM nomen, in AVSTRIVM, ab eius dominatu, transmutauit, quod vsque ad hæc nostra tempora fœlicissimum semper, glorioſissimum, & victorioſissimum, in eius familia, & posteris permansit. Electorum suffragijs contra Adolphum Imp. Cæsar designatus, eodemq; in agro Vuormatiensi cruento prelio cæso, vigesimosexto ab hinc die, sexto Calen. Augusti, an. 1298. Francofurti denuo inauguratus, & inunctus est. Cognomentum victorioſi tulit, & tandem nefarie à Ioanne ex fratre nepote iugulatus est 8. Cal. Maij, an. 1308. cum imperasset à prima electione an. 10. duobus demptis mensibus. Sepultus est in monasterio Regio campi ordinis Franciscanorum, quod in eodem loco in quo occisus est splēdido apparatu construi fecit uxor eius Elisabeth; quæ ibidem, post eius mortem, sanctissimam vitam Monasticam egit, obijtq; an. 1314. sexennio post viri mortem, ex cuius amplexibus, vnum, & viginti liberos susceperat, quorum omnium Albertus stemma propagauit.

Hic Albertus I. Imperator; antequam Imperium adeptus esset, à patre Imperatore, & Imperio concessa noua vsurpauit insignia: sectionem videlicet, siue fasciam argenteam, in rubro. Hoc autem insigne tribuitur à Lazio lib. 3. comment. cap. ij. Lupoldo VII. Marchioni Austriæ, quem ipse non rectè quintum appellat, qui Grazij in Stiria obijt anno 1193. addens & de stemmatis origine causam, videlicet quod in expugnatione Ptolemaidis, adeo totus suffusus sanguine fuerit, cingulotenus dunta-

xat

xat (quod album corpus interſecabat) à cruore immunis, vt ob eius rei euentum, ad perpetuam memoriam, hoc ipſe ſibi inſigne, & poſteris ſuis omnibus promeruerit. Sed hæc eius ſunt commentitia, cum de hoc ſtemmate à Leopoldo excogitato nihil in hiſtoricis, & genealogicis legatur, præterquam in nonnullis ſuis ſequacibus, qui hoc factum Leopoldo VII. tribuunt, contra aliorum hiſtoricorum fidem, vno conſenſu aſſerentium, Alberto eius nominis primo, hoc ſtemma, à patre Rodulpho Imp. conceſſum, & non Leopoldo, hoc ideo quod in bello contra Ottocarum Boiemiæ Regem geſto, totus ipſe ſanguine maduerit, vt rei monumentum Viennæ, inter domus Auſtriacæ picturas, etiamnum edocet. At hæc licet aliquo veritatis colore veſtiri videantur, magis tamen ego illis acquieſco, qui dicunt Albertum hoc nouum Auſtriacæ domus ſtemma excogitaſſe, duplici ex cauſa, cùm ne Perleoniæ Auorum domus memoria interiret: tum etiam vt Frangipaniæ familiæ priſcum caritatis monumentum renouaretur: ad illam namque conſeruandam, (ſicut proauus eius Petrus, primus Habsburgi Comes, Leonem Perleonium, diuerſum tamen in coloribus, ſibi retinuerat, faſcijs rubris, & argenteis omnino relictis) faſciam vnam argenteam in rubro, ſibi & poſteris reſeruauit: quæ & ad iſtam renouandam ſeruiens, fractionis panum (vnde familiæ Frangipaniæ nomen) per albam ſectionem, quæ rubrum ſcutum diuidit, typum, poſteris repreſentari voluit.

Gra-

Gradus II. Anicianus XXXIX.

Albertus II. Archidux Austriæ, Comes Habsburgius, uulgò Sapiens, & Contractus cognominatus, Alberti I. Imp. filius, uxorem duxit Ioannam, Vlrici Phyretarum ultimi Comitis filiam, ex qua sex liberos genuit, Leopoldo stemma propagante. Obiit anno 1358. die 13. Cal. Augusti. & Gemnicii ad Cartusianos, quos ipse condiderat, sepultus est.

Gradus III. Anicianus XL.

Leopoldus, cognomento Probus, & militiæ decus, Alberti II. filius, Archidux Austriæ, ducta Viride Barnabonis Mediolanensium Ducis filia, ex ea multa prole auctus est, eorumque Ernestus stemmatis propagator exstitit. Tandem ad Sempachum magna strage suorum victus, fortiter pugnans cecidit, 7. Id. Quinctiles, 1386. & Regiocampi sepultus est.

Gradus IIII. Anicianus XLI.

Ernestus Archidux Austriæ, à corporis robore Ferreus cognominatus, Leopoldi filius, uxores duas habuit primam Margaretam filiam Bugslaui Pomeraniæ Ducis, quæ sine liberis mortua est: Secundam Zinburgam, siue Cunbarcam, Ziemouiti Ducis Mosauiæ filiam, quæ ei decem liberos peperit, & inter eos sextum Friderí-

cum

cum stemmatis propagatorem. Obiit anno 1435. *& sepultus est in cœnobio Rhayn.*

Gradus V. Anicianus LXII.

Fridericus Archidux Austriæ, Ernesti filius, natus anno Domini 1415. *die* 11. *Cal. Octobris; Francofurti Rex Romanorum appellatus, Calendis Ianuarij anno* 1440. *coronatus est Aquisgrani* 8. *Idus Ianuarij; & Romæ Rex Lõbardiæ, & Imp. Fridericus III. dictus est: una cum uxore sua Leonora Eduardi, Regis Portugalliæ filia, à Nicolao Papa V.* 16. *Calend. Aprilis, anno* 1451. *Imperauit & regnauit annos* 53. *Menses* 4. *dies* 20. *Vixit annos* 78. *paulò minus, & plenus dierum obijt anno* 1493. *die* 14. *Cal. Septembris, in Templo S. Stephani sepultus. Filij eius feruntur quinque, & omnibus ferè in pueritia extinctis, solus Maximilianus stemmatis propagator relictus est.*

Gradus VI. Anicianus XLIII.

Maximilianus Archidux Austriæ, Friderici III. Imp. filius, natus Neapoli, anno 1459. *die* 12. *Calend. Aprilis, Rex Romanorum, procurante patre, Aquisgrani creatus est* 14. *Cal. Martij, anno* 1486. *& ibidem coronatus ab Archiepiscopo Colonienſi* 4. *Idus, Aprilis; regnauit annos* 22. *Menses* 10. *dies* 28. *Vixit annos* 59. *Menses* 9. *dies* 23. *Obijt apud Vuelsam superioris*

ris Austriæ oppidum, pridie Idus Ianuarij, anno 1519. & sepultus est Viennæ cum patre. Fuit in eius connubio primum Maria Caroli Ducis Burgundiæ filia, & complurium principatuum hæres vnica, quæ inter venandum equo excussa, eo casu extincta est 6. Nonas Martij, anno 1482. relictis liberis quatuor. Post hanc Anna, Francisci Britanniæ Ducis filia ei desponsata fuit, sed non nupta. Deinde duxit Blancam Mariam, Galeatij Mariæ Sfortiæ Mediolanensium Ducis filiam, quæ sine liberis mortua est.

Gradus VII. Anicianus XLIIII.

Philippus Maximiliani filius, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, qui ab insigni bonitate, & alijs agnatis virtutibus, quæ Principibus Austrijs ceu gentilitiæ dotes sunt, quibus emicuit & eluxit, Amor ac delicium generis humani, dictus est; acceptâ in vxorem Ioanna, Ferdinandi Catholici Hispaniæ Regis secundogenita, eius ergò dotalitia Regna Hispaniæ, Siculum item, & Neapolitanum, domui Austriacæ acquisiuit. Ad quæ possidenda ex Belgio crebris procerum litteris euocatus, morbo ex aeris illius insueti grauitate contracto; cito decessit 7. Cal. Octobris, an. 1506. ætatis suæ anno 28. & Granatæ sepultus est, liberis sex relictis, quorum Stemmatis propagatores fuerunt duo præcipui, Carolus & Ferdinandus.

Gra-

Carolus V. Philippi filius, Rex Hiſpaniæ, & Archidux Auſtriæ, natus Gandaui in Belgio, anno 1500. die 6. Calend. Martij, Feſto S. Matthiæ: Rex Romanorum Francofurti abſens ab Septemuiris appellatus eſt, quarto Calend. Iulij, anno 1519. Coronatus Aquiſgrani anno ſequenti, quarto Idus Nouembris: & item Bononiæ à Clemente Papa VII. in Templo S. Petronij, 6. Calend. Martij, die natali ſuo, anno 1530. Regnauit, & Imperauit annos 39. Vxor eius fuit Iſabella, Emanuelis Regis Luſitaniæ filia, quæ Toleti in puerperio deceſſit quadragenaria, Calend. Maij, anno 1539. cum peperiſſet viro ſuo liberos quatuor. Carolus autem ſeipſum vltro Imperio, & omnibus Regnis abdicans, in monaſterium Vallis Toletanæ in Hiſpania ſe abdidit, Deo vacaturus, anno 1556. in quo diem ſupremum clauſit xi. Cal. Octobris, anno 1558. ætatis ſuæ 58. & Granatæ cum vxore ſepultus eſt, Philippo II. ſtemmatis propagatore relicto.

Ferdinandus, Philippi filius, Caroli V. frater, natus in Hiſpania anno 1503. Rex Romanorum appellatus eſt, procurante Carolo fratre, Nonis Ianuarii, anno 1531. & Cæſar creatus eſt Francofurti, anno 1558. Imperauit ſolus annos ſex. Fuit ei vxor Anna, Ladislai Regis Boiemiæ, et Vngariæ filia, quæ poſtquam 14. liberos peperiſſet, obiit in puerperio 6. Cal. Februarij,

anno

anno 1547. ætatis suæ 43. Ferdinandus autem iam ætate grauis, naturæ debitum persoluit 8. Cal. Augusti, ætatis suæ 61. & Viennæ sepultus est, cui successit filius Maximilianus.

Gradus IX. Anicianus XLVI.

Philippus, huius nominis II. Caroli V. Imp. filius, Hispaniarũ Rex potentissimus, & Catholicus, ac utriusque Siciliæ, Neapolis, Hierosolymæ: Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Brabantiæ, & Mediolani: Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, &c. Omnium Regnorum, & Prouinciarum Paternarum, ac Noui Orbis, hæres vnicus; natus in Valle Toleti xij. Calendas Iunij, Anno Domini 1527. hora 4. min. 15. post meridiem. Princeps multis bellis clarus, quæ, vel ipsemet, vel per suos Duces, Albanum, Austriacum, Parmensem, & alios passim administrauit in Gallia, Anglia, Belgio, & Lusitania: condidit Academiam Duacensem (quæ Vrbs me gremio suo suscepit anno Domini 1554. die 15. Maij, post noctis medium) in Belgio, anno 1569. In eius vixere matrimonio primum Maria, Ioannis III. Regis Portugalliæ filia, quæ Carolum peperit: Deinde Maria Angliæ Regina, ducta anno 1554. 8. Calend. Augusti, quæ sine liberis obijt. Tertia, Isabella Valesia, Henrici II. Franciæ Regis filia, ex qua Isabella, & Catarina procreatæ. Quarta, Anna, Maximiliani II. Imper. filia, quæ defuncta est

anno 1580. die 8. Cal. Nouembris, eum peperisset liberos quinque, Ferdinandum, Iacobum, Carolus Laurentius, Mariam, & Philippum.

Maximilianus II. Ferdinandi Imp. filius, Archidux Austriæ, & Rom. Rex, & Imp. Vngariæ, & Boiemiæ Rex, natus Viennæ anno 1527. Calend. Augusti, patri in Imperio, cæterisque Regnis successit. Imperauit annos amplius duodecim. Tandem Ratisponæ fatis concessit anno 1576. die 4. Idus Octobris, ætatis suæ 49. & Lincij sepultus est. Vxor eius fuit Maria, Caroli V. Imp. filia, ex qua quindecim liberos procreauit, quorum Maximus, Rodulphus Imperator.

Gradus X. Anicianus XLVII.

Carolus, Cognomento Dentatus Philippi II. Hispaniarum Regis, ex prima vxore filius, natus in Valle Oletana Idus Iulij, anno 1545. in ipso ætatis flore extinctus est nono Calendas Augusti, anno 1568.

Isabella, Clara, Eugenia, Philippi II. ex Isabella Franca, cuius nomen ex eius memoria gessit, vxore tertia filia, nata in Segobiæ silua, an. 1566. die Sanctæ Claræ xi. Augusti, ideoque Clara vocata; Eugenia vero ob deuotionem patris ad S. Eugenium, nouiter ex Parisijs ad Hispanias translatum, nunc viuit Hispaniæ infans.

Ca-

Catharina Franca Austria, Isabella ex eadem matre soror, nata x. Octobris Madridij anno 1567. Venere, baptizata 19. eiusdem Mensis, nupsit Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ, anno 1586. cui aliquot filios peperit.

Ferdinandus Philippi II. ex Anna Austriaca vxore quarta filius, natus 1571. pridie Nonas Decembris, infans extinctus est.

Iacobus, siue Didacus, Ferdinandi frater vterinus nouennis obijt anno 1582. xi. Calend. Decembris.

Carolus Laurentius, eorum frater infans defunctus est.

Maria, earum soror, septennis obijt.

Philippus III. infans Hispaniæ, natus anno Domini 1578. nunc regnat, qui vt fœlicissimè (vnà cum patre Philippo II. Hispaniarum Rege potentissimo, ac verè Catholico) viuat, ac Regia sua Maiestate, ad gloriam Dei, Ecclesiæ, Reique publicæ salutem utatur, ardentibus & intimis precamur, & optamus votis.

Rudolphus II. Maximiliain II. Imp. filius, natus Viennæ 15. Calen. Augusti, anno 1552. Rex Vngariæ, & Boiemiæ: anno 1576. Calendis Nouembris


Rathisbonæ Romanorum Rex consecratus, successione patris excepit Imperium. Viuit adhuc cœlebs.

De fratribus, & sororibus agemus in Arbore subsequente.

Adiungatur in Gradu IIII. Aniciano X X. immediate ante Boetiorum gentem.

Flauius Anicius Felix, Anicij Felicij II. alias III. Papæ filius, cuius mentio extat in duobus antiquis instrumentis Montis Casini: quorum vnum excusum est post finem Chronici Casinensis fol. 197. alterum inferius subijciemus ex MSS. Vxor ei fuit Thransilla Romana, ex nobilissima Octauiorum Familia, ex qua genitus filius Anicius Gordianus.

Finis Tractatus.



ARBOR ANICIA, PROBA, OLYBRIA, PERLEONIA, FRANGIPANIA, HABSBVRGIA, AVSTRIA.

GENS MAXIMA ANICIA.

N. Anicius Maximus.

Anicius Traherus Maximus. Britanniæ Reges. — Anicius Marinus Maximus. — Anicius Ioelinus seu Leoninus Maximus — Vxor Romana

N. Anicius Maxima. — Coyllus Rex Britanniæ

Octanius Rex. — S. Helena — Imp. Constantius Augusta — Imp. Fl. Constantinus primus Christianus.

Flauius Anicius Magnentius Maximus, Rex & Imp. — N. Filia.

Imp. Flauius Anicius Victor Maximus. — Maximus Anicius

N. N. N.
Omnes filii Maximi ex quorum vno genitus.

Flauius Anicius Maximus Cos — Vxor Gotha Regij Sanguinis.

GENS BOETIA, ET SYMMACHA ANICIÆ.

Anicius Manlius Seuerinus Boetius Torquatus, Cos. — Quintus Aurelius Anicius Symmachus.

Elpis Sicula — Anicius Manlius Seuerinus Boetius Torquatus Cos. — Rusticiana Anicia — N. Anicius duo Filii. — N. Anicius. — S. Galla Anicia monialis.

Anicius Boetius. — Anicius Symmachus.

1. QVINTVS ANICIVS Præneſtinus.
2. MARCVS Anicius.
3. LVCIVS Anicius.
4. LVCIVS Anicius Gallus.
5. LVCIVS Anicius Gallus.
6. N. Anicius.
7. N. Anicius.
8. N. Anicius.
9. LVCIVS Anicius, Cerealis, Gallus.
10. LVCIVS, Tutius, Anicius, Cerealis.
11. Anicius TVTIVS.
12. Anicius TVTIVS Vitrasius, Pollio.
13. N. Anicius Cerealis.
14. SERGIVS Anicius BALISTA.
15. N. Anicius IVLIANVS.
16. Sextus Anicius

GENS PAVLLINA ANICIA.

Quintus Anicius Paullinus.
N. Anicius Paullinus.
N. Anicius Faustus Paullinus.
Marcus Iunius, Cæsonius, Nicomachus, Anicius, Faustus, Paullinus.
Anicius Paulinus Iunior.
S. Anicius Pontius Paullinus, Episcopus Nolanus — Tarasia.
N. Anicia.

GENS BASSA ANICIA.

Anicius Bassus.
Anicius Bassus.

GENS FAVSTA ANICIA.

Anicius Acilius Glabrio Faustus.
Anienus Anicius Faustus iunior.

1. Sextus Anicius PETRONIVS PROBVS — Anicia Faltonia Proba

1. Anicius TERTVLLVS.

1. Sextus Anicius HERMOGENIANVS Olybrius — Furia Camilla
Sextus Anicius Probinus
Anicia Iuliana — Clodius Hermogenianus Olybrius
2. Sextus Anicius, PETRONIVS PROBVS, iunior — N. Vxor anonyma

2. Fl. Anicius FELIX S.R.E. Card.

1. N. anonyma — 2. Imp. Flauius Anicius OLYBRIVS — 2. Placidia Filia Imp. Valentiani III. — S. Demetrias virgo Sanctimonialis — N. Anicius Probus.

3. Anicius IVSTINIANVS Probus — N. Vxor

3. Fl. Anicius FELIX Papa III. dictus II.

3. Flauius Anicius OLYBRIVS — N. Vxor
N. Soror Anastasij Imperatoris — Anicius Probinus.

4. Anicius EVPROFIVS Probus, Riguardatus — Abundantia Riguardata

4. Anicius GERMANVS Probus — N. soror Iustini Anicij Imp. Senioris.

4. Flauius Anicius PROBVS TERTVLLVS.

4. Flauius Anicius FELIX — Transilla Octauia.

4. Flauius Anicius OLYBRIVS TERTVLLVS iunior — Flauia Leonicas
Flauia Tertia
Flauia Anicia N.
Anicius Hypatius
Anicius Probus
Anicius Æquitius Probus — Iulia

S. P. BENEDICTVS Anicius, Probus, Abb.
3. Scholastica Anicia, Proba.
Flauius VITALIANVS Anicius, Probus.
1 Anicius N.N. — GERMANVS Probus — Matasuenta Amala
Flauius Anicius IVSTINIANVS Probus, Imp. — Theodora Aug.
Anicius Dorotheus.
Anicia Blicla — tia Proba.
Flauius Anicius PROBVS TERTVLLVS iunior — Faustina
5. Anicius GORDIANVS — Silvia

5. Flauius Anicius OLYBRIVS, LEONICVS, Antonius, Celphius, — Flauia Anicia, Leonica, Gordiana, Celphia.

6. S. Anicius MAVRVS Probus, Abbas.

T. Annij Placidi F.
Paulina Anicia — Perānius Martius.
Octauia
6. Anicius GREGORIVS

6. Flauius Anicius, LEO, CELPHIVS, Olybrius.

Flauius Anicius VITALIANVS Probus. — N. Anicia Proba
Flauius Iustinus Anicius Probus Imp.
Flauius Iustinianus Anicius Probus Imp.
Flauius Anicius GERMANVS probus. — Charito — F. Tiberij Imp.
N. Anicia Proba. — Anicius Germanus. — Anicia Princeps, bis nupta.
SS. PLACIDVS, Victorinus, Eucosius, & Flauia, Anicij, Probi, Fœmul marmio coronati.
Silvia Anicia proba. — Ildouinus Martius
7. GORDIANVS Anicius
S. Tarsilla S. Æmiliana Gordiana Aniciæ moniales

1. Anicius PETRVSLEO.

2. Magnus Flauius, Anicius PETRVSLEO, GORDIANVS — Flauia Anicia Gordiana.

S. Anicius FELICISSIMVS Probus, monachus Casinensis.

Flauius Anicius IVSTINVS II. iunior, Probus, Imp.
Flauius Anicius Biduarius, Probus.
Theodosius Anicius — N. filia Mauricij Imp.
N. filia Anicia, Theodosij Imp. vxor.
Siluia Anicia — Martius
Octauia
8. S. GREGORIVS I.

3. Flauius Anicius FRANGEPANIS PETRVSLEO. — FRANGIPANII Secundæ Lineæ.

Annianus Maius: prius conditor Familiæ Malapinæ
Alfutoda Martia Baioariorū Regina.
Magnus, Anicius, Papa.

4. STEPHANVS Anicius Frangepanis, Petrusleo. — 1. Leo II. Iunior, Anicius Frangepanis Familiæ Frangepaniæ auctor.

Elyscus Frangepanis, Elyscorum Florentinorum conditor, anno Domini 800:

5. MAXIMVS Petrusleo, Frangepanis, Anicius, Tenulius, Gordianus.
Blanda Perleonis — Paulus Trauersarius.
2. Antonius Frangepanis.
3.

Tres Fratres Angelus Michael, Frangepanis Machaeliorum Veneetorum conditor.
Frangepanj Vrbe egressi Nicolaus Frangepanis, Comitum Signiæ & Frangipanorum Hungarorum, ac Forojulienium propagator.
anno 851. Hugo Frangepanis, Comitum de Aquino, & Dominorum de Astura, & Tolfa conditor.

6. LEO II. Petrusleo Anicius.
Maxima Anicia — Lucius Statius, Diodorus, seu Heliodorus, Frangepanis.
Perleonia

7. MAXIMVS II. Petrusleo Anicius.
4. Petrus Frangepanis princeps, ut mea est coniectura, qui sepultus est Pisis, dicitur enim defecendisse a Leone II.

8. STEPHANVS II.
Petrus Petrusleo
5. Leo III. Frangepanis, de quo Panuinus, lib. 3. c. 3. Fam. Frangipanię, quem Petri filium, ex temporum ratione ficio.


9. LEO III. Petrusleo.
Ioannes Gratianus Petrusleo, post Papa Gregorius VI.
6. Centius Frangepanis — N. vxor.

10. PETRVS II. Petrusleo.
N. filia Perleonis. habuit uirum, & filium.
Leo Frangepanis. De Leone, & Centio, Platina, & alii.
7. Centius II. Frangepanis.
Oddo Frangepanis. De hoc Alex. III. Papa.


11. LEO IIII. Petrusleo
Centius
Guido
Iordanes
Petrus, S.R.E. Card. post Anacletus II.
Ioannes
Gratianus
Obicio seu Vizo
8. Petrus Frangepanis.
Ioann Frangepanis.
Leo Frangepanis.

Hanc Frangipaniam lineam, ideo ab Arbore Anicia abesse voluimus, quod tres illæ generationes a Lucio Statio, ad Centium II. ex coniectura tantum nostra verisimili, sine alia historicorum auctoritate, a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



D. GERMANO DELL'VVA,

Capoano, Monaco Casinense,

All'Autore.

DAL ceppo d'alti Eroi, di Regi Illustri
D'Alessandro, di Cesare, ò Marcello,
In tela, in carte, hor questo ramo, hor quello
Mostrar souente à noi Pittori industri.
Ma questo che'n sì vago ordin di lustri
Sacra Istoria dipinge Arbor nouello
Auanza ogn'altro tratto di pennello
Onde è che'l fece, e tu Cassin t'illustri.
ARNOLDO questi fù, che del gran Padre
BENEDETTO, ogni foglio, e colto germe
Con viue linee di pittura espresse;
Staran mille anni, e mille al mondo ferme
Contra morte di lui l'opre leggiadre,
A cui por mano, amor santo l'elesse.

PER L'ARBORE MONASTICO
& Opera del P. D. Arnoldo Vuion Fiamengo.

QVESTO ſuperbo Tronco,
Che i ſacri rami ſuoi
Sparge coprendo i gran confini Eoi,
Da BENEDETTA, hum il, caſta radice
Surſe ſempre felice.
S'auuolſe ne l'oſcura
Notte di lui, che la memoria fura.
ARNOLDO indi l'elice: e con fatale
Penna ci pinge il bel LEGNO VITALE.

Don Honorato Longhena Breſciano,
Monaco di S. Benedetto.

IN ANICIAM FAMILIAM
Carmen.

TElluris medium latè complexa, virebat
ARBOR, et ingentes tollebat ad æthera ramos,
Hæc rutilis diffuſa comis, diffuſa uenuſtis
Fructibus, à toto viſa eſt ſplendeſcere mundo.
Firma erat, & foliis ſtabat bene fulta ſerenis,
Et brutis ſua quæque feris habitacula præſtans,
Necnon cuncta ſuo paſcens animalia fructu,
Et dulces pauidæ nidos præbere volucri

Gaudens:

Gaudens : interea Cœli demissus ab axe,
En vigil, & Sanctus, dictis qui talibus infit :
ARBOR amœna nimis valida collisa bipenni
Concidat, excutite & folium, dispergite fructus,
Quasque tegit fugiantque feræ, fugiantq; uolucres.
At sinite illæsum germen succrescere terra,
Fortia ferratis cui nectite vincla catenis;
Tingatur tum rore poli, tum corde ferino,
Viuat, eumque super mutentur tempora septem;
Donec adesse Deum, Diuum contentor, & æqui
Discat, & excelsum toto dominarier orbe,
Qui potis est cuicumque velit diadema coruscum
Tradere, & auratis humiles extollere sceptris.
ARBOR dicta fuit Rex quondam diuite cultu
Assyriæ, inuiso quem vana superbia flatu
Sustulit elatum, memorandum dedecus orbi.
Nescius ille Dei sic sensit vindicis iram,
Nam quadrupes inter syluas obiectus opacas
Nudus, inops, Aquilarum, et factus crinibus instar,
Septem continuos reptauit deuius annos.
AST subtili quæ mente Deũ, STIRPS inclyta nouit
Virtutisque petit sectari castra serenæ;
Indubiè ista suo transcribet clara nepoti
Stemmata, nec dira recidet curuata securi,
Perpetuum sed fronde virens, ceu florida palma,
Termine multiplici cedro assimilata vigebit.
ITALICO producta solo sic plurima secla
Inter progenies veteri, quæ stemmate clarent

Floruit, atque etiam nunc ARBOR Anicia ſplendet
Virginis ante ſacrum ducens hæc ſtemmata partum
Viribus, ac opibus, virtutibus atque trophæis.
Romulidum proceres inter, patresque togatos
Emicuit; iam tum duodenis faſcibus aucta,
Iam tum magnifico necnon decorata triumpho
Robore ab inuicto cognomen ANICIA ſumpſit.
Inde vbi cœlipotens humanos induit artus,
Iam titulis bene nota ſuis, illuſtris auorum
Faſcibus, ipſa prior faſces ſubmittere Chriſto
Orſa, prior titulo Chriſti amplificata refulget
Progenies inter cunctas quæ Conſule gaudent.
Queis prior vt titulo, nulli ſic laude ſecunda
Nomina cum rebus ſocians virtute coruſcat,
Namque tulit celebrem nulllo non tempore prolem
Quam vel magnanimus Mauors, aut Palladis artes
Vel toga condecorat, pietas quoque ſancta perornat.

D. Paulus Malaſſis, Brugenſis,
Monachus S. Iuſtinæ.

D. LVDOVICVS MALOMBRA
Venetus, S. Georgij Maioris Venetiarum
Monachus, amicitiæ ergò Donno
Arnoldo Flandro.

Progenies ueterum illustres effingere Pictor
Si quis pertentet; sit facilisque manus.
Id genus AEacidum, aut Priami numerosa propago,
Siue sit Aeneæ stirps generosa pij:
Herculis aut nati, Diuum proles ve Parentis,
Splendidaque his addat stemmata Roma tua.
Quis neget Aeterno sonitu per sæcula famæ
Illius egregiæ cuncta sonare tubam?
Attamen impigris axem lustrabit Olympi
Ocyor hæc alis, quam paris ipse tibi.
Nam magni sobolem BENEDICTI ARNOLDE recenses,
Atque redit Monachis gloria prisca bonis.
Hinc patet astriferas sedes tenuere beatas
Quot Cœli, & stola quot sanguine tincta tegit.
Quot REGES pro sceptra nigro liquere cucullo:
Quot solium, & curas obtinuere Petri.
Quarè age ne finem cesses imponere cæptis:
Nam tibi perpetui splendor honoris erit;
Debebitq; sacrum BENEDICTI germen, et orbis.
Præmia Doctorum laus tibi, & Astra manent.

D. CON-

D. CONSTANTINI CAIETANI,
Siculi Siracusani, Monachi Catanensis
S. Nicolai de Arenis, Congreg.
Casinensis.

In Auctoris, Operisque commendationem,
Carmen.

Florentem ITALIAE sobolem, & monumenta vetusti
Ordinis, egregiosque ausus, ARNOLDE, subauras
Profer age, & pulchras cœli spirabilis oras.
Nec patere eximiorum operum, & decora alta parẽtum
Nocte premi, angustivè arceri finibus orbis.
Canitie reuerenda sua quod nostra precatur
Religio supplex, alacri transmittere cursu
Trans Indos, transatque Noui spatia vltima mundi
Aggredere auspicijs Aquilæ, dextroque PHILIPPO.
Quod latè imperium Sol lustrat, et AVSTRIA proles
Iustitia frænat nostram toto ordine gentem,
Illustresque animas recolat, quas ITALA tellus
Heroum fœcunda parens, Europaque tota
Flos orbis dedit in lucem. Instaurata tuorum,
Eruerat quæ longa dies, agnosce trophæa,
O cœpti, BENEDICTE, O Sanguis ANICIVS auctor.
Vt pulchram ad laudem patriæ virtutis amore,
Macte nouis ARNOLDE animis, generosa tuorum
Pectora succendes, siue hi cunabula gentis,

Et

Et laetos incrementis felicibus ausus,
Seu quos insignis pietas, & nobilis oti
Extulit in Cœlos studium, seu purpura PETRI
Picta auro, & permagnarum moderamina rerum
Ore legant auidi, tacitoque in pectore voluant.
Has olim illustres inter celebrabere palmas,
Care ARNOLDE, mihi sancto quem fœdere iunxit
Militiæ communis amor, laudataque vita;
Ac nomen ventura tuum venerabitur ætas,
Insignis quod iam bello, & pietate PHILIPPVS
Terrarum Imperijs, tua virtus terminat Astris.

Eiusdem ad Librum Epigramma.

SI quid abire valet tutum quocunque volumen
Ne quis obesse patri Zoilus ore queat;
Tu bone terrarum securius, atque locorum,
Omnibus esse potes gratus vbique liber:
Namq; Patrum memoranda tenes, Regumque, uirumq;,
Ac Diuum peperit quos sacra Relligio:
Quæ pius instituit BENEDICTVS, quæ sacer ordo
Eius habet, docta concinis arte codex;
Perpetuo superis acceptus habeberis æuo;
Nædum sub cœlo, sic vbi proficies;
Exigitur, cunctis placeas, nullumque verère,
Archilocum temnas, qui benedicta referes;
I cito, pande melos, suauem diffunde liquorem;
Quem Pater ARNOLDVS legit ad instar apis.

Ad Arnum Fluuium.

D. PAVLVS SYLVANO BALNENSIS Monachus Camaldulenſis.

Madrigal Primo.

ARNO'L DOtto tuo figlio,
Qual partorì la limpida Sequana,
Fuggì con lieto ciglio
La gent'empia, e profana
Fra ſpechi al Caſſin Monte,
Tenendo anco'l tuo nome,
Odi pur, ch'à cantar io m'inuio come
Il bel retto ſentiero
D'Eroi celebri ne ſegue primiero,
La Piantalo dimoſtra, e intona l'opra
Delli Stellati, acciò più fama ſcopra.

Madrigal II. Acroſtico.

A *Arbor' Illuſtre, e chiaro,*
R *Ricco di frond'e frugi, Alto, e ſublime,*
N *Non ti ſdegnar ſe con mie rauche rime*
O *Ordiſco lodi à' tuoi pregiati Rami;*
L *Lieto ogn'vn dico ch'ami*
D *Di cuor la tua dolc'ombra;*
O *Onde il ben ſi raccoglie, il mal ſi ſgombra.*

SONETTO DEL MEDESIMO,

All Autore.

Rriga l'Arno i vaghi Toschi campi
Con abondanti, e liquidi cristalli;
Da fuor' ARNOLDO per solinghe valli,
L'onde, ch'al ben oprar fanno s'auampi:
Spiegat'hà il vessil chiaro, e i spessi lampi
Lustrano già li tenebrosi calli
Di nostra mente ogn'hor procliue à falli
Fra tante squadre acciò ch'ella s'accampi:
Quiui al Santo NORSIN si scorge in fronte
vna Corona di dodici Stelle,
Che mostrano la via del sagro Monte,
Doue soggiornan l'Alme saggie, e belle
Il Santo Sabaoth à lodar pronte,
D'Amor ardendo via più, che facelle.

AL M.R. PADRE D. ARNOLDO.

D. BIANCA GONZAGA.

Degg'io forse tacer tuoi maggior pregi
Spirto gentil d'ogni virtude adorno?
A cui Pallade, e Apollo ogn'hor d'intorno
S'aggira, e aggiunge illustre fregio à fregi;
Anzi darti fra spirti al mondo egregi
Eterne lodi, al Tempo ingiuria, e scorno,
Discesa à noi da l'aureo alto soggiorno
Alma gradita al sommo Rè de' Regi,
Degno per ciò di più sublimi honori
In terra sei, mentre nel Ciel di Stelle
Corona t'è da gli Angeli contesta,
Ch'à gli alti oggetti, à l'opre illustri, e belle
Sempre hai la mente pronta, hai la man presta
Spargendo in carte perle, e gemme, e fiori.

IN MARTYROLOGIVM MONASticum D. ARNOLDI Flandri.

Martyrium deflet ARNOLDI hæc pagina passos
Iam Monachos, effert, quos pius elogio.
Hic CHRISTVM fassi, qui, toto sanguine fuso
Celsa tenent læti, præmia summa ferunt.
Hic iter, id spectans, sibi munit ad æthera cultu,
Et pietatis honos, quove fruatur erit.

Antonius Beffa Negrinus.

AL M. R. P. DON ARNOLDO VVION, FIAMENGO;

Inuentore, & Scrittore dell'Arbore, & Martirologio Benedettino.

BONIFACIO ZANETTI.

ATE fian Zeusi, e Apelle inferiori,
Polignoti, Protogeni, e Timanti,
Che non sculpiro, ò fero simiglianti
In bronzi, in marmi, ò in lini Imperatori;
ARNOLDO hor t'apparecchia à graui honori,
Che sculpi, pingi, scriui, e suegli quanti
Eroici gesti già fecer' i SANTI
Di tua RELIGION almi splendori;
E mentre al BENEDETTO Tronco santo
Vai collocando quelli, quasi Fregi,
T'acquisti Ciel, Corona, Palma, e Manto.
Hor godi lieto, che gli ANICII Regi
Saran quai sempre furo, ed altretanto
Grati, benigni, pij, giusti, & egregi.

INDEX PRIMVS CAPITVLORVM, Primæ Partis. LIGNI VITAE.

Capitula Libri Primi.

DE *Sanctiſs. Patre* BENEDICTO, *totius Ord. Monaſtici in Occidente Patriarcha, & Inſtitutore, ac Sacratiſſimi iſtius Ligni Radice. Caput Primum.* pag. 1

Abbates Caſinenſes cur appoſiti. Cap. II. 9

Catalogus Abbatum Sacri Montis Caſini. cap. III. 10

*Abbates Caſinenſes, in Lateranenſi Monaſterio Romæ præſidentes. cap.*IIII. 12

*Abbates Caſinenſes ſecundo. cap.*V. 13

*Abbates Caſinenſes Teani reſidentes.cap.*VI 16

*Abbates Caſinenſes Capuæ reſidentes.cap.*VII 16

*Abbates Caſinenſes tertio.c.*VIII. 17

*Abbates Caſinenſes Ordinis Cęleſtinorum.cap.*IX 23

*Abbates Caſinenſes quarto. c.*X. 24

*Adminiſtratores Caſinenſes. cap.*XI. *pag.* 25

*Epiſcopi Caſinenſes. cap.*XII. 25

*Abbates Caſinēſes quinto. cap.*XIII. *pag.* 26

*Cōmendatarij Caſinenſes. cap.*XIIII. *pag.* 27

Aggregatio Monaſterij Caſinenſis ad Congregationem S. Iuſtinæ. cap. XV. 28

*Abbates Quinquennales Montis Caſini, ſub Congregatione Caſinenſi, aliàs S.Iuſtinæ de Padua. cap.*XVI. 29

Quomodo Stellati Spiritualium Ordinum

dinum fundatores ad dexteram S. P. Benedicti collocantur. cap. XVII. 33
De primo Stellato S. Romualdo, Monachorum Ordinis Camaldulensis fundatore. cap. XVIII. 34
Priores perpetui Sacræ Eremi tantum. cap. XIX. 35
Priores Generales perpetui totius Ordinis. cap. XX 36
Generales annui Ordinis Camaldulensis. cap XXI. 39
Summi Pontifices Ordinis Camaldulensis. cap. XXII. 40
Cardinales Ordinis Camaldulensis, duo. cap. XXIII. 41
Archiepiscopi Ordinis Camaldulensis. cap. XXIIII. 42
Episcopi Ordinis Camaldulensis. cap. XXV. 42
Sancti, & Beati, Ordinis Camaldulensis, quorum dies mortis ignoratur, ordine Alphabetico. cap. XXVI. 43
Alij Sancti & Viri Illustres, qui putantur Ordinis Camaldulensis. cap. XXVII. 46
Ecclesiastici Scriptores Ordinis Camaldulensis. cap. XXVIII. 47
Comites Ordinis Camaldulensis. cap. XXIX. 49
De origine Congregationis Eremitarum S. Romualdi, qui aliter Grotani, siue Montis Coronæ Eremitę vocantur. cap. XXX. 50
Præcedentis Congregationis Scriptores. cap. XXXI. 50
Nota quod hic numerus. c. XXXII. deest.
De secundo Stellato, S. Ioanne Gualberto Florentino, fundatore Monachorum Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XXXIII. 51
Generales perpetui Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XXXIIII. 52
Præsidentes triennales Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XXXV. 56
Cardinales S. R. E. Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XXXVI. 57
Episcopi Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XXXVII. 58
Episcopi, qui relicto episcopatu facti sunt Monachi Vallis Vmbrosæ. cap. XXXVIII. 59
De Sanctis Ordinis Vallis Vmbrosę, quorum dies Natalicij ignorantur. cap. XXXIX. 59
Scriptores Ecclesiastici Ordinis Vallis Vmbrosæ. cap. XL. 60
De Domno Syluestro, institutore Monachorum Syluestrinorum, sub Ordine Vallis Vmbrosæ. c. XLI. 60
De tertio Stellato S. Roberto Abbate Molismense, fundatore Monachorum Ordinis Cistertiensis. cap. XLII. 61
Summi Pontifices Ordinis Cistertiensis. cap. XLIII. 62
Cardinales Ordinis Cistertiensis. cap. XLIIII. 67
Archiepiscopi Ordinis Cistertiensis. cap. XLV. 72
Episcopi Ordinis Cistercienses. cap. XLVI. 74
Sancti, quorum dies Natalicij ignorantur, Ordinis Cistertiensis. cap. XLVII. 77
Scriptores ecclesiastici Ordinis Cistertien-

Reges, & filij Regum facti Monachi, Ordinis Cistertiensis. cap. XLVIII. 77
cap. XLIX. 81
De alijs Ordinibus sub institutis Cistertiensium militantibus. c. L. 82
De quarto Stellato S. Gulielmo Vercellensi, fundatore Monachorum montis Virginis. cap. LI. 83
Generales Abbates Ordinis Montis Virginis. cap. LII. 84
Vicarij generales, & Abbates commendatarij, Montis Virginis. cap. LIII. 86
Rectores Annunciatæ Neapolitanæ, Monasterij Montis Virginis moderatores. cap. LIIII. 87
Generales Montis Virginis Triennales. cap. LV. 87
Episcopi Ordinis Montis Virginis. cap. LVI. 88
Sancti, & Beati, Ordinis Montis Virginis. cap. LVII. 88
Scriptores Ecclesiastici, Ordinis Mõtis Virginis. cap. LVIII. 88
Item de quarto Stellato S. Ioanne Meda Comensi, fundatore Monachorum, Ordinis Humiliatorum. cap. LIX. 89
Præpositi generales Ordinis Humiliatorum. cap. LX. 90
Cardinales Ordinis Humiliatorum. cap. LXI. 92
Episcopi Ordinis Humiliatorum. cap. LXII. 93
Sancti, & Beati, Ordinis Humiliatorum. cap. LXIII. 93
De quinto Stellato S. Petro Cælestino V. Papa, fundatore Monachorum Cælestinorum. c. LXIIII. 94
Cardinales Ordinis Cælestinorum. cap. LXV. 98
Scriptores Ecclesiastici Ordinis Cælestinorum. cap. LXVI. 99
De sexto Stellato S. Bernardo Ptolomæo Senensi, fundatore Monachorum Montis Oliueti. cap. LXVII. 100
Cardinales, & Episcopi Ordinis Mõtis Oliuetti. cap. LXVIII. 101
De Sanctis Ordinis Montis Oliueti. cap. LXIX. 102
De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis Montis Oliueti. c. LXX. 102
De reliquis Ordinibus qui sub regula S. P. N. Benedicti militare noscuntur. cap. LXXI. 103
De Ordinibus Militaribus Equitum, qui militant sub Regula S. P. N. Benedicti. cap. LXXII. 107
De Alphonso primo Lusitaniæ Rege, fundatore Militum Ordinis de Auis. cap. LXXIII. 108
De filijs Regum Ordinis Militum de Auis. cap. LXXIIII. 108
De S. Raymundo Abbate, & Sancio Rege, fundatoribus Militum Ord. Calatranæ. cap. LXXV. 109
Magistri generales Ordinis Militum de Calatraua. cap. LXXVI. pag. 111
Administratores perpetui Ordinis Militum de Calatraua. cap. LXXVII. 112
Capitula, siue Comitia generalia Ordinis Calatranę. cap. LXXVIII. pag. 112
Scriptores Ordinis Militum de Calatraua.

latraua.cap.LXXIX. 113
De Gometio Equite, fundatore Militum Ordinis de Alcantara. cap. LXXX. 113
Magistri generales Ordinis Militū de Alcantara.cap.LXXXI. 115
Administratores perpetui Ordinis Militum de Alcantara.c.LXXXII. pag. 119
Cardinales & Archiepiscopi Ordinis Militum de Alcantara . cap. LXXXIII. 119
Scriptores Ordinis Militum de Alcantara.cap.LXXXIIII. 120
Filij Regum Ordinis Militum de Alcantara. cap.LXXXV. 120
De Iacobo primo, Aragoniæ Rege, fundatore Militum Ordinis S. Mariæ de Mercede, & Redemptione captiuorum. cap. LXXXVI. pag. 120
Cardinales, & Sancti, Ordinis Militum S. Mariæ de Mercede, & Redemptione captiuorum. cap. LXXXVII. 122
De Gulielmo Erilio Equite, fundatore Militum Ordinis de Montesia.cap.LXXXVIII. 123
Filij Regum, Ordinis Militum de Montesia.cap.LXXXIX. 124
Scriptores Ordinis Militum de Montesia.cap.XC. 124
De Dionysio Perioca, Portugalliæ Rege, fundatore Militum Ordinis Iesu Christi, aliàs de Portugallo.cap. XCI. 124
Filij Regum, Ordinis Militum Iesu Christi.cap.XCII. 125
De Cosmo Mediceo, Magno Hetruriæ Duce, Ordinis Militum S. Stephani P.P. fundatore.c.XCIII. 125
Magistri perpetui Militum S. Stephani.cap.XCIIII. 126
Cardinales & Archiepiscopi, Ordinis Militum S. Stephani. ca.XCV. pag. 126
De aliis Militarium Ordinibus, qui sub Regula S.P.N. Benedicti militasse dicuntur.cap.XCVI. 126
Cur non omnes viri illustres, & Sancti, huic præsenti libro appositi. cap.XCVII. 129

Finis Indicis Capitulorum Libri primi.

INDEX
CAPITVLORVM
LIBRI SECVNDI.

ARgumentum. pag. 130
De Summis Pontificibus S.R.E. Ordinis S. Benedicti, Nigrorum, quorum locus professionis constat. Cap. I. 133
De aliis Summis Pontificibus Ordinis S. Benedicti, Nigrorum, quorum professionis locus ignoratur. cap. II. 161
De aliis Pontificibus, qui Monachi fuisse referuntur, dubia tamen fide. cap. III. 164
De aliis nonnullis Pontificibus, qui Ordinis Monastici fuisse putantur, & non sunt. cap. IIII. 168
De Monachis, qui ad Pontificatum euecti, non recte pro Pontificibus se gessere. cap. V. 169
De Pontificibus Schismaticis, qui a sede suadeiecti, Ordinem Monasticum Benedictinum profiteri coacti sunt. cap. VI. 172
De S. R. E. Cardinalibus Ordinis S. Benedicti Nigrorum. c. VII. 174
Cardinales incertæ quodāmodo creationis. cap. VIII. 175
Cardinales a Leone Papa Nono creati, ideſt, a certo Pontifice. cap. IX. pag. 179
Cardinales nonnulli S.R.E. Monachorum Nigrorum, quorum tempus creationis, & a quibus Pontificibus promoti fuerint ignoratur, ordine alphabetico digesti. cap. X. pag. 216
Cardinales Oblati facti, sub Ordine S. Benedicti. cap. XI. 218
Monachi Ordinis S. Benedicti Nigrorum, qui permissione tantum Cardinalitia fungebantur dignitate. cap. XII. 218
De Cardinalibus qui Monachi fuisse feruntur, dubia tamen fide. cap. XIII. 219
De Archiepiscopis Ordinis S. Benedicti Nigrorum. cap. XIIII. 220
Episcopi S.R.E. Cardinales, & primū Ostienses. cap. XV. 221
Patriarchæ Antiocheni. cap. XVI. pag. 224
Patriarchæ Constantinopolitani. cap. XVII. 224
Patriarchæ Hierosolimitani, ex Latinis. cap. XVIII. 227
Archiepiscopatus incipientes ab littera A. cap. XIX. 227
Archiepiscopatus de littera B. cap. XX. 228
Archiepiscopatus de littera C. cap. XXI. 232
Archiepiscopatus de littera D. cap. XXII. 240
Archiepiscopatus de littera E. cap. XXIII. 241

Archiepiscopatus de littera G. cap. XXIIII. 243
Archiepiscopatus de littera H. cap. XXV. 244
Archiepiscopatus de littera L. cap. XXVI. 245
Archiepiscopatus de littera M. cap. XXVII. 249
Archiepiscopatus de littera N. cap. XXXVIII. 255
Archiepiscopatus de littera P. cap. XXIX. 255
Archiepiscopatus de littera R. cap. XXX. 256
Archiepiscopatus de littera S. cap. XXXI. 262
Archiepiscopatus de littera T. cap. XXXII. 267
Archiepiscopatus de littera V. cap. XXXIII. 271
De quibusdam Archiepiscopis, qui Archiepiscopatu relicto Ordinem Diui Benedicti Nigrorum ingressi sunt. cap. XXXIIII. 271
Nonnulli Archiepiscopi, qui ex Monachis Metropolitæ facti, iterum dignitate abdicata, ad Monasterium redierunt. cap. XXXV. 272
De Episcopis Ordinis S. Benedicti Nigrorum. cap. XXXVI. 273
Episcopatus incipientes a littera A. c. XXXVII. 275
Episcopatus de littera B. ca. XXXVIII. *pag.* 289
Episcopatus de littera C. cap. XXXIX. *pag.* 393
Episcopatus de littera D. cap. XL. 305
Episcopatus de littera E. cap. XLI. 311
Episcopatus de littera F. c. XLII. 313
Episcopatus de littera G. c. XLIII. 316
Episcopatus de littera H. cap. XLIIII. *pag.* 318
Episcopatus de littera I. ca. XLV. 323
Episcopatus de littera L. cap. XLVI. *pag.* 324
Episcopatus de littera M. cap. XLVII. *pag.* 335
Episcopatus de littera N. ca. XLVIII. *pag.* 341
Episcopatus de littera O. cap. XLIX. *pag.* 344
Episcopatus de littera P. cap. L. 344
Episcopatus de littera Q. cap. LI. 349
Episcopatus de littera R. c. LII. 349
Episcopatus de littera S. c. LIII. 351
Episcopatus de littera T. cap. LIIII. *pag.* 359
Episcopatus de littera V. cap. LV. 367
Episcopatus de littera Z. cap. LVI. *pag.* 379
De quibusdam Episcopis incertæ sedis, ex grege Nigrorum Monachorum assumptis. cap. LVII. 379
De nonnullis episcopis, qui Episcopatu abdicato, Odinem Monasticum ingressi sunt. cap. LVIII. 381
De Episcopis aliquot, qui ex Monachis Episcopi, ex Episcopis deinde Monachi facti sunt. cap. LIX. *pag.* 386
Quod non omnes positi sint Episcopi Benedictini in præsenti tractatu. cap. LX. 387
De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis S. Benedicti Nigrorum. cap. LXI. 389
Scriptores Ecclesiastici incipientes ab littera A. cap. LXII. 396

Scri-

Scriptores de littera B. cap. LXIII. *pag.* 405
Scriptores de littera C. cap. LXIIII. *pag.* 409
Scriptores de littera D. cap. LXV. *pag.* 412
Scriptores de littera E. cap. LXVI. *pag.* 412
Scriptores de littera F. cap. LXVII. *pag.* 416
Scriptores de littera G. cap. LXVIII. *pag.* 418
Scriptores de littera H. cap. LXIX. *pag.* 423
Sciptores de littera I. cap. LXX. *pag.* 428
Scriptores de littera L. cap. LXXI. *pag.* 433
Scriptores de littera M. cap. LXXII. *pag.* 435
Scriptores de littera N. cap. LXXIII. *pag.* 442
Scriptores de littera O. cap. LXXIIII. *pag.* 443
Scriptores de littera P. cap. LXXV. *pag.* 445
Scriptores de littera R. cap. LXXVI. *pag.* 454
Scriptores de littera S. cap. LXXVII. *pag.* 459
Scriptores de littera T. cap. LXXVIII. *pag.* 462
Scriptores de littera V. cap. LXXIX. *pag.* 468
Scriptores de littera Z. cap. LXXX. *pag.* 471

Finis Indicis Capitulorum Libri Secundi.

INDEX SECVNDVS PRIMÆ PARTIS

Ligni Vitæ.

Continens aliquos, ex præcipuis, uiros illustres, qui Alphabeticò ordine, sicut cęteri, non sunt descripti.

Cum omnia quæ in hac Prima Parte exposita sunt, eo ordine uideantur dispositа, ut sine Indice, aut saltem ex Indice Capitulorum, facilè possint reperiri: adiunximus nihilominus, quasi appendicis loco lectoris commodis, hunc paruum Indicem, ne in aliquo nostra diligentia desideretur. Signum P. numeris præpositum, significat id quærendum in prætermissis, post finem Libri Quinti.

ABBATES.

Abbates S. Sixti Placentiæ. 199
Abbatissę S. Sixti Placętię. 198

CARDINALES.

Abbates Cluniacenses. 218
Abbates Vendomenses. 219
Adeodatus, post Papa. 176
Adinalfus Abbas Farfæ. 192
Agatho, post Papa. 176
Albericus Casinas. 183
Albertus Beluacensis. 192
Albertus, post Gregorius VIII. PP. pag. 219
Aldemarius Casinas. 186
Alphonsus Hispanus. 216
Amicus Abbas S. Vincentii. 188
Anastasius, post AntiPP. Scrip. 178
Anastasius Bibliothecarius, Scriptor. pag. 177
Andreas de Espinay. 214
Andreas Hispanus, Scriptor. 216
Androinus de Rupe. 206
Anglicus, seu Angelus. 207
Antonius Bohier. 215
Arator Poeta, Scriptor. 175
Armanus Abbas Fuldæ. 204
Bernardus Abb. Casini, Scriptor. 217
Bernardus Abbas Massiliæ. 185
Bernardus Gallus. 211
Bonifacius, post Papa IIII. 176
Conrados, post Anastasius IIII. PP. pag. 191
Cosmus Vrsinus Abbas Farfæ. 214
Cuno de Vrach. 189
Dauferius, post Victor III. PP. 180
Deodatus de Canilhaco. 205
Drogo Abbas Lauduni, Scriptor. 218
Edoardus Sabaudus 216
Ernandus Hispanus. 212
Franciscus Gallus. 211
Fridericus post Stephanus IX. PP. Scriptor. 180
Galfridus Monemuthensis. P. 871
Gandulphus Abbas S. Sixti. 198
Gebizo Abbas. 186
Gerardus Gallus. 184

Gerar-

Gerardus Loy. 209
Gregorius Anicius post PP.I. 176
Gregorius Sabellus, post PP.II. Scriptor. 176
Gregorius Græcus, post PP.IIII. Scriptor. 219
Gregorius Romanus, post PP. IIII. pag. 178
Gregorius Corteſius, Scriptor. 215
Gregorius Abbas S. Gregorij. 188
Gregorius Abbas Sublaci. 188
Gulielmus Abbas S. Facundi. 202
Gulielmus de Agrifolio. 206
Gulielmus de Conaco. 208
Gulielmus Curti de Diuano. 205
Gulielmus de Eſtonteuilla. 211
Gulielmus Papienſis. 196
Hamularius Fortunatus. 178
Henricus Siculus. 189
Hildebrandus, post Gregorius VII. PP. 179. P. 871
Hugo de Folietto. Scriptor. 194
Hugo Rogerii. 205
Humbertus Tullenſis, Scriptor. 180
Iacobus. 202
Imarus Gallus. 193
Ioannes Godefridus Balues. 213
Ioannes Caietanus, post Gelaſius. II. PP. 188
Ioannes Cauenſis. 217. P. 872
Ioannes de Creſſy, Scriptor. 203
Ioannes Abbas S. Dionyſii. 215
Ioannes Dolenſis. 186
Ioannes Dolenſis. 196
Ioannes Francioigia, Scriptos. pag. 201
Ioannes de Grangia. 208
Ioannes Hungarus, post Paſchalis. III. Antipapa. 196
Ioannes Lofredi. 212
Ioannes Tiburtinus, post Ioannes PP.IX. 179
Ioannes, post Ioãnes Papa XIX. 179
Ioannes, post Benedictus. X. 180
Ioannes Siculus. 211
Ioannes Sublacenſis Abbas. 187
Ioannes de Turre. 208
Leo, post Leo III. PP. 219
Leo, post Leo IIII. PP. 179
Leo Caſinas. 189
Leo Marſicanus, Scriptor. 187
Ludouicus de Fliſco. 218
Ludouicus de Varambone. 212
Manfredus. 196
Matthæus Gallus. 191
Nicolaus Anglus, post Hadrianus IIII. PP. 194
N. Hiſpanus. 210
Nicolaus Abbas Sancti Pancratii. pag. 187
Nicolaus Abbas Sancti Syluestri. pag. 187
Nicolaus de Tedeſchis, Siculus, Scriptor. 212
Oderiſius Abbas Caſini, Scriptor. pag. 184
Oderiſius II. Abbas Caſini, Scriptor. pag. 189
Otho, post Vrbanus II. PP. 186
Pandulphus Caſinas. 190
Paſchalis, post Paſchalis PP. I. 177
Pelagius. 199
Petrus Amelii. 210
Petrus de Aquila. 203
Petrus Arnaldi. 204
Petrus Abbas Caſini. 200
Petrus Caſinas. 183
Petrus Caſinas. 217

Petrus

Petrus Cauensis, scriptor. 217. P. 872.
Petrus Damianus, scriptor. 181
Petrus Diaconus. 176
Petrus Duacensis. 200
Petrus de la Foresta. 206
Petrus Padolyronius. 197
Petrus Pisanus. 192
Petrus Abbas S. Seueri. 204
Petrus Rogerij, post Clemens VI. PP. 204
Petrus de Stagno. 208
Petrus de Tartaris. 209
Philippus post Antipapa. 177
Philippus della Camera. 215
Pontius Abbas Cluniaci. 191
Rainaldus Calamentanus. 192
Rainaldus Abbas Casini, scriptor. pag. 193
Rainaldus post Alexander IIII. PP. pag. 202
Reginerius, post Paschalis II. PP. pag. 186
Ricardus Abbas Casini. 202
Ricardus Abbas Marsiliæ. 185
Roffredus Abbas Casini. 199
Rolandus Dolensis. 197
Roscemanus Cauensis. 217. P. 872
Roscimanus Casinas. 189
Sergius, post Sergius. I. PP. scriptor. pag. 219
Simon Gallus. 203
Simon de Langham. 207
Simon Abbas Sublaci. 196
Sinibaldus, post Innocentius IIII. PP. 202
Stephanus Casinas. 180
Stephanus, post Stephanus. II. PP. seu. III. 176
Stephanus, post Stephanus. IIII. & III. PP. 177
Syluester Abbas Sublaci. 196
Theobaldus Cluniacensis. 197
Theodaldus Casinas. 179
Theodinus Casinas. 186
Theodinus Padolyronius. 197
Theodoricus, post Antipapa Syluester. III. 187
Thomas de Casaco. 210
Valentinus, post Papa. 219
Zacharias post Papa. 176

ORDINES.

Ordo S.P.N. Benedicti. 1
Ordo S. Burgę Viduę. 104
Ordo Camaldulensis. 34
Ordo Carthusiensis. 103
Ordo Cistertiensis. 61
Ordo Cistertiensis S. Bernardi reformatus. 82
Ordo Cęlestinorum. 94
Ordo Eremitarũ S. Hieronymi. 106
Ordo Fontis Ebrandi. 104
Ordo Gilbertinorum de Sempinghã uirorum & mulierum. 106
Ordo Grotanorum, siue Montis Coronæ. 50
Ordo Humiliatorum. 89
Ordo Montis Oliueti. 104
Ordo Montis Virginis. 83
Ordo S. Pauli primi Eremitę. 104
Ordo Pręmonstratensis. 105
Ordo Sclauorum. 104
Ordo Syluestrinorum. 60
Ordo Vallis collium. 82
Ordo Vallis Scholarium. 104
Ordo Vallis Vmbrosę. 51
Ordo S. Vuilielmi. 104
Militum de Alcantara. 113

Militum

Militum de Auis. 108
Militum de Calatraua. 109
Militum S. Georgii 128
Militum Iesu Christi, aliàs de Portugallo. 104
Militum S. Ioannis. 126
Militum S. Mariæ de Mercede, & redemptione captiuorum. 120
Militum Montesiæ. 123
Militum S. Stephani Papæ. 125
Militum Templariorum. 128

PAPAE.

Adeodatus. 135
Agatho. 135
Albertus. 173
Alexander II. 168
Alexander IIII. 163
Anastasius III. *Antipapa.* 170
Anastasius IIII. 153
Benedictus I. 164
Benedictus II. 165
Benedictus V. 172
Benedictus IX. *dictus* X. *Antipapa.* 170
Benedictus XII. *Scriptor.* 63
Benedictus XIII. *Antipapa.* 168
Bonifacius IIII. 134
Callistus II. 152
Christophorus. 172
Clemens III. 168
Clemens VI. 158
Cœlestinus V. *Scriptor.* 94
Constantinus II. *Antipapa.* 172
Eugenius III. 62
Gelasius II. *Scriptor.* 151. *P.* 871
Gregorius I. 133
Gregorius II. *Scriptor.* 161
Gregorius III. *Scriptor.* 166
Gregorius IIII. 178
Gregorius V. *P.* 868
Gregorius VII. 148
Gregorius VIII. *Antipapa.* 173
Gregorius VIII. 161
Gregorius IX. *Scriptor* 40
Gregorius XII. 168
Hadrianus IIII. 155
Ioannes VI. 166
Ioannes IX. 140
Ioannes XIX. 144
Innocentius IIII. 157
Innocentius VI. 168
Leo III. 167
Leo IIII. 139
Leo V. 140
Leo IX. *Scriptor.* 145
Maginulphus. 173
Paschalis I. 178
Paschalis II. *Scriptor.* 151
Paschalis III. *Antipapa.* 171
Paulus IIII. 168
Pelagius II. 164
Philippus Antipapa. 169
Sergius I. *Scriptor.* 165
Sergius IIII. 162
Stephanus III. *dictus* II. 136
Stephanus IIII. *dictus* III. 137
Stephanus VII. *dictus* VI. 139
Stephanus X. *dictus* IX. 146
Sylvester II. 141
Sylvester III. *Antipapa.* 170
Valentinus. 167
Victor III. 147
Vrbanus II. 149
Vrbanus IIII. 168
Vrbanus V. 159
Zacharias, Scriptor. 161

REGES.

Iacobus fortunatus Aragoniæ. 61

Ioan-

Ioannes Portugalliæ. 108

REGVM FILII.

Ferdinandus Aragoniæ Regis. 82
S. Ferdinandus Portugalliæ Regis. pag. 109
Georgius Portugalliæ Regis. 109
Henricus Franciæ Regis. 82
Henricus Portugalliæ Regis. 125
Iacobus Aragoniæ Regis. 124
Sanctus Aragoniæ Regis. 120

SCHISMATA.

Alcantaræ.I. 116
Alcantaræ.II. 117
Alcantaræ.III. 118
Alcantaræ.IIII. 119
Calatrauæ. 112
Casinense.I. 17
Casinense.II. 17
Casinense.III. 21
Casinense.IIII. 21

SCRIPTORES EXTRA ordinem Alphabeticum positi.

Adelbaudus Episcopus 364
Aedelmus Episcopus. 354
Alphanus Archiepiscopus. 262
Amatus Episcopus. 379
Angelus Sangrinus Abbas Casini. 31.P. 861
Anselmus Episcopus. 381
Ansgarius Archiepiscopus. 231
Authbertus Abbas Casini. 14
Bassacius Abbas Casini. 15
S.P.N.BENEDICTVS ABBAS. 1.& 10.P. 861
Benedictus Episcopus. 373
Bernardus Abbas Casini. 23
Bertharius Abbas Casini. 15
Brunus, seu Bruno Abbas Casini. 19
Desiderius Abbas Casini. 19
Drogo Episcopus. 341
Dunstanus Archiepiscopus. 235
Eupropius Episcopus. 368
Freculphus episcopus. 327
Fredericus Abbas Casini. 18
Gabriel Monachus Fontis Ebrandi. 104
Gregorius Turonensis Episcopus. 367
Herrandus, siue Stephanus Episcopus. 319
Hincmarus Archiepiscopus. 258
Ignatius Abbas Casini. 29.30
Ioannes Gerundensis Episcopus. 317
Ioannes Abbas Casini. 16
Iornandes Gothorum Episcopus. 317
Isidorus Clarius Episcopus. 315
Isidorius Hispalensis Episcopus. 244
Ludgerus Episcopus. 340
Malachias Episcopus. 307
Oderisius.I. Abbas Casini. 19
Oderisius.II. Abbas Casini. 20
Otho Episcopus Cameraci. 294
Paterius Episcopus Brixiæ. 292
Radbodus Episcopus. 363
Romualdus Abbas Camalduli. 35
Simplicius Abbas Casini. 10

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PROLOGVS VNIVERSALIS Totius Operis.

IN Ecclesia DEI, quæ circumamicta varietatibus, sicut castrorum acies ordinata suas semper habuit, tanquam subsidiarias copias, varios Ordines Religiosorum semper extitisse, ijs notum est, qui vel maiorum suorum gesta legerunt, vel scripta aliorum piorum etiam vix attigerunt. At eos sicut Diuinitus institutos, ita & ad fidem, pietatemque propagandam, & rerum publicarum, bonorumque communium conseruationem perneccessarios fuisse, extra omnem controuersiam est. Quibus enim in locis esse desierunt, fidem quoque, & Religionem ipsam à cordibus fidelium exulasse, non ita forsitan omnibus manifestum. Quod enim fuit aliquando seculum, quo non pauci inuenti sint, qui

vt propius Deo adhærerent, fortiusque tam insigne vitæ propositum retinere possent, sese, aut à cæterorum hominum instituto non separauerint, aut specialis alicuius noti vinculo, & arctiore erga Deum obsequio sponte obligauerint? Insitum enim à natura, vt nonnisi res eæ vim legis obtineant, quæ aliquo particulari, & solenni iureiurando, & fide sanciuntur. His connubia mutua rata sunt: his, firmantur contractus: his denique Milites in officio continentur. Eiusmodi autem vitæ genus, & in Veteri Testamento adumbratum, & in Lege Noua expressum, atq; ab initio Christianismi, vsque ad præsens tempus, in Ecclesia Christi comprobatum, vehementer doctissimorum Auctorum scriptis commendatum fuit. Etenim, quid aliud erant: Enoch, qui ita ambulauit, vt Deus eum transtulerit: Elias, à Deo ita probatus, vt in curru igneo ad Cælum rapi visus sit: Elisæus, Diuino numini carus: Filij Ionadab & Rechab, Dei voce laudati: Filij Prophetarum, à Scriptura celebrati. Iudith ieiunijs, & cilicio carnem macerans: Virgines quæ temporibus: Machabæorum septa, Templi Salomonici habitasse feruntur: Anna Phanuelis filia, die, noctuque orationibus vacans, nec à Templo discedens: Ioannes denique Baptista, Prophetarum omnium eximius, & CHRISTI Saluatoris Præcursor; quam Monachorum nostrorum præuia quædam vmbra, atque figura? At hi nonne simulachra quædam, & imagines viuæ erant Monachatus

Gen. 5. 4. Reg. 2. 4. Reg. 6. Iudit. 8. 2. Machab. 3. Lucæ 2. Lucæ 1.

tus noſtri? Quid? nonne fuerunt quaſi Duces, & præcipui principes diuinæ iſtius, de qua nunc agitur Philoſophiæ? Adeo enim hoc vitæ genus, omnibus ſæculis pietatem ſectantibus commendatum fuit, eò ſtudio cultum, vt non à viris modo, ſed & ab imbecillioris Veteris Teſtamenti ſexu, ſi, non ad viuum expreſſum, adumbratum tamen Monachorum inſtitutum reperiatur. In horum figura loquebatur Moyſes Pharaoni, cum dicebat: Ibimus, inquit, viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro: Exod. 3

De his prædixerat Propheta Regius, dicens: Ecce quã bonũ, & quam iucundum habitare fratres in vnũ. Pſ. 132.

Quæ verba Auguſt. exponens ait: Iſta, inquit, verba, Pſalterij iſte dulcis ſonus, iſta ſuauis melodia tã in cantico, quàm in intellectu Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt fratres qui habitare in vnum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum, quæ ſonuit per orbem terrarum, & qui diuiſi erant congregati ſunt in vnum. Ac ne quis ollas carnium deſiderans corde in Aegyptum rediret, & adpoſita ad aratrum Domini manu, aſpiciendi retro caperet occaſionem, quaſi hominibus non liceret imitari, quod à nullo antea fuerat obſeruatum; protinus ipſa Dei Patris ſapientia IESVS Chriſtus Dominus noſter, ſuo exemplo viam nobis Religionis demonſtrauit, Virgo enim natus è Virgine, virginitatem, vt ait S. Auguſtinus, vouit, & paupertatem, atque obedientiam, vſque ad mortem (mortem au-

tem (crucis) consecrauit in seipso, & variis rationibus allectos, ad optimum illud vitæ genus Discipulos confirmauit. Ad quid enim aliud spectant tam sæpe in Euangelijs repetitæ sententiæ: Qui potest capere capiat:
Mat.19. *&* Si vis vitam ingredi serua mandata. *Illudque:*
Mat.10. Qui non baiulat Crucem suam, & sequitur me,
Ioan.6. non est me dignus. *Quia, vt dicit:* Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Pa-
Mat.19. tris: *Item*, Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. *Cumque apud*
Luc.14. *Lucam clara voce loquitur:* Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: *Ad quid dico spectant hæ voces, quid aliud significant, quid innuunt, nisi perfectius quoddam institutum sequendum, & non communem Christianorum vitam, quæ omnibus præcipitur? Perfectos enim vocat Dominus, eos scilicet, qui sese religioni arctius obstringunt, & per viam mandatorum Dei recta ad brauium currunt, abstinentque ab omnibus, non iam coactè, sed spontè: Siquidem, vt ait Ambrosius, consilium inuitat voluntarios, præceptum verò astringit etiam inuitos; Vbi præceptum est, ibi lex: Vbi consilium, ibi gratia. Præceptum, vt ad naturam reuocet, consilium, vt ad gratiam prouocet. Hoc igitur Magistri exemplo, quasi classico excitati Apostoli, talium perfectorum, & Religiosorum hominum familiam primum Hierosolymis*

mis collegerunt, de quibus Lucas narrat in Actis, quod illis erat cor vnum, & anima vna, & nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, & diuidebatur singulis prout cuique opus erat. Atque hi, qui perfectius istud vitæ institutum sequi proponebant, vt perfectionis viam omnibus suo demonstrarent exemplo assiduè corpus ieiunijs, vigilijs, et laboribus macerabant: animum verò continuis precibus, hymnis, & cantibus spiritualibus, & rerum Cœlestium meditationibus ad conspectum diuinæ charitatis excitabant, & humanam voluntatem cum diuina consociare studebant. Tales, Monachi uocabantur, uel quod solitudinem amantes soli demorarentur, vel, quod rebus omnibus huius seculi contemptis, & abiectis soli Deo, arctissimo amoris vinculo adhærere viderentur. Apostolos secutus est Marcus Euangelista, qui vtriusque sexus infinita multitudine in ordinem redacta, vt scriptum reliquit Philo Iudæus, qui eorum mores, & ritus sub Iessæorum, id est contemplatiouorum, nomine, peculiari libro descripsit, certas Monasticæ vitæ leges introduxit, quæ, quasi e Paradiso deriuata fluenta, totum Orbem irrigarunt, & ab Apostolorum temporibus Monasticæ vitæ genus inchoatum, vsque ad Pauli, & Antonij ætatem perduxerunt. Hi, quantum in Monasticæ vitæ genere excelluerint, ostendunt, qui de eorum rebus præclarè gestis à Diuis Hieronymo, & Athanasio, conscripti sunt libri. Notum, & in Niceno Concilio, Monachorum Act. 4.

statum approbatum, in eoque de cœnobijs, de vita, de moribus, de habitatione & habitu eorum, de Prælatorum electione, de receptione Nouitiorum, & alijs huiusmodi varia præcepta data. Et cum huius instituti professores, doctrina, & sanctitate maxime clari essent, tantum cœpit Monachatus incrementum, adeoque dilatatus, & auctus, vt breui tempore, Thraciam, Illyricum, Italiam, Galliam, Germaniam, Persidem, & Aegyptum, Monachis, & Monasterijs repleuerit, vt scriptum reliquerunt, Hieronymus, Sozomenus, Nicephorus, Theodoretus, Palladius, Seuerus, Sulpitius, Gregorius Turonensis, Cassianus, Euagrius, & alij infiniti. In tantum igitur splendorem perductus Monachatus, & in dies magis, magisque pietate in Deum crescens, quibusdam tum nobilissimis, tum doctissimis ad hoc Sanctum vitæ genus sese conferentibus, factum est, vt multi, ijdemque pientissimi, & doctissimi viri, sanctissimis legibus Religiosos communierint, & Monasticæ vitæ formam, seu Regulam præscripserint. Ex Græcis, Basilius ille Magnus; & postquam lux Euangelica in Occidentem illata, Aphricæ, & Europæ caliginem discussisset, ad Basilium ad hoc sanctissimum vitæ institutum annumerati, ex Latinis, Hieronymus, Augustinus, & Sanctissimus Pater noster BENEDICTVS. Hi quamuis diuersis vitæ institutis vti viderentur, & suis, vt vterentur, præscriberent, eundem tamen Dei cultum, eandem fœlicitatem,

& uitæ finem asseuerabant, et diuersis semitis, ad viam, quæ Christus est, singuli ingrediebantur. Harum autem veterum Religionum magna gloria: magna item Institutorum, qui eas condiderunt sapientia. Sed ex omnib. tamen Religionibus, quarum Scriptores sacri prodidere memoriã, BENEDICTINA ita prolixè eorum nobilitata est commendatione, vt reliquas vna facilè laudibus superarit. Nam de ea omnes ita ferè prædicant, vnóque quasi ore hoc eius asserunt decus, quod sinceros virtutis alumnos illa eduxerit, aut Religio nulla. Fuit enim sacratissima hæc Religio, Principibus huius sæculi, ac vniuersis Populis, sua sanctitate semper venerabilis, sua doctrina admirabilis, auctoritate sua formidabilis: fuit in Diuinorum Officiorum augmento sollicita, in Festorum, & solemnitatum institutione deuota, in nouorum vtilium adinuentione prompta, in sacrorum voluminum expositione pia, in librorum compositione continua, in monimentorum, & antiquitatum conseruatione incorrupta, in Historiarum relatione fidelis, in gentium conuersione infatigabilis, in Hæreticorum oppugnatione inuincibilis, in Romani Pontificis defendenda auctoritate, potestate, & prioratu, vnica, & terribilis: fuit humilitate pacifica, charitate feruida, eleemosynis larga, abstinentia & auctoritate non imitabilis, & demum ea, cui quicquid Sancta Mater Ecclesia, decoris, honoris, & diuitiarum possidere videtur, hoc totum (si ita dicere licet) acceptum ferre tenetur.

Eccl. 24 *Hæc est illa sacratissima Planta, quæ* quasi Vitis fructificauit suauitatem odoris, & flores illius fructus honoris & honestatis: *quæ ut ait D. Greg. quot*
Exod. 3. *Sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hæc est illa Domus Israel, vinea Domini Sabaoth, quæ exiens de Aegypto huius sæculi, & ambulans per solitudinis viam trium dierum, per vota, scilicet, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ: castra metata est in illa Helim planicie, in qua quasi deficiens (sic enim interpretatur Helim) præ siti, non aquæ, sed audiendi verbi Dei, inuenit duodecim Fontes aquarum (id est duodecim Fundatores Religionum, iugo Regulæ Sanctissimi Patris Nostri Benedicti colla submittentes) fluentes Lac, & Mel: & vnius quidem, Lactis scilicet doctrinæ potu resocillata, alterius vero, Mellis dulcedinis sapore refecta, fortis & robusta (secundum alias nominis Helim Etymologias) facta est, donec ad montem con-*
Apoc. 22. *templationis Sinai perueniret. Hoc est illud Lignum vitæ, quod Diuinus vidit Ioannes, plantatum ex utraque parte fluminis, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia Ligni ad sanitatem gentium. Cuius Ligni, id est sacratissimæ huius Religionis, virtutem, cupiens ego omnibus notam esse, operæprecium me facturum existimaui, si hanc Sanctissimi Patris Nostri* BENEDICTI, *necnon totius Religionis Monasticæ* ARBOREM *depictam, & æneis typis incisam, euulgarem in publicum;*

blicum; quo vel sic ex huius Arboris lectione, (Pictura enim pijs, & simplicioribus, pro libris est) Lectores intelligant, quam vanum sit eorum commentum, qui in hoc suam ponunt sanctitatem, vt sancta quæque, ac Religiosa contemnant, qui tum demum se sapere putant, si nil, quod alijs placuit, ab ipsis probetur: quique Sanctissima Monachorum instituta, mandata & doctrinas hominum solent appellare, eoque nomine, tanquam Pharisaicos ritus, Christi Doctrinæ contrarios, reijcere, & contemnere. In hac autem (vt verum fateor) non omnes Ordinis BENEDICTINI Sanctos, ac viros Illustres (quorum multitudo tanta est, vt sola nomina non paruum volumen implerent) sed paucos admodum, & illos tantummodo, in RAMIS præsertim, à quibus certò cognoui, decoris aliquid, aut honoris, siue ex Doctrina, siue ex Sanctitate, aut Miraculorum gloria, siue demum ex Prædicationibus assiduis, aut nouorum vtilium adinuentionibus, vel alijs quibuscumque pijs ex causis, Sanctæ DEI ECCLESIAE accessisse, posui. In qua apertissimè videbitur, nil ferè in ea benè institutum, quod ab isto Sacratissimo ORDINE non processerit: ita quod ex Illustrium gestorum magnitudine, alios omnes Ordines (vt cum Trittemio, absque inuidia tamen loquar) multis parasangis, hic Sacratissimus Ordo antecedat. Protulit enim (incertos namque relinquo) Romanos Pontifices certos

tos viginti, et octo: Antistites punicei pilei ducentos & amplius: Nigri, mille sexcentos: Viridis, quatuor millia: Abbates, eruditione, & scriptis celebres, quindecim millia, & septingentos: In Sanctorum numero relatos, quindecim millia, quingentos, quinquaginta nouem, qui à nonnullis etiam duplicantur, ab aliis triplicantur: à quibus per diuersa tempora Sancta Dei Ecclesia maximum robur, & incrementum, accepit. Vnde versus: Qui de S.P. BENEDICTO loquuntur.

Papæ sunt bis duodeni; Cardinales bis centeni,
in Mundi Hierarchia.

Archiepiscopi dati, mille sexcenti creati, in Fide Catholica.

Quatuor millia digni, pietateque benigni, scribuntur Episcopi.

Ac milleni quinque deni, Abbates septuageni,
cum quaterno numero.

O quam plures sine Mitra, refulsere inde citra,
Prælati Ecclesiæ.

Quotquot Sanctæ Moniales, Consorores & Sodales, degunt socialiter.

Non est nostræ facultatis, compensare dicta factis, ac stylo differere.

Sed

Sed quis alter Confessorum, secum ducit talem Chorum, per Cœli Palatia ?

Quæ autem à nobis fusè hic commemorantur, duabus potissimum de causis facta sunt. Prima est, quod cum in omnibus alijs Ordinibus magnalia, fortia, ac memoranda facta Patrum suorum, scriptis, marmoribus, æneis ac ligneis tabulis, & picturis commendata cernerem, in solo Ordine nostro, qui cæteros antiquitate, & dignitate præcellit, hæc laus deesse videbatur, & nihil, vel certè parum, singulariter noscebatur esse conscriptum. Secunda, vt Auorum, & parentum spiritualium nostrorum beata recordatio iugiter in mentibus filiorum remaneret, ut eorum memoria, virtutem æmularentur. Incredibile enim quantum iuniorum, ac tyronum animos ad priorum Patrum sequenda vestigia prouocent, tum illustrium uirorum catalogi, tum Sanctorum gesta conscripta suorum. Quorum notitia, quantum infirmioribus fratribus conferat, nemo expertus, qui dubitet. Gloria enim parentum, vt ait Plato in Menexeno, natis præclarus est, magnificusque thesaurus. Ad fortitudinem enim animi in heroicis naturis, & ad res præclaras natis excitandam, confirmandamque, momenti plurimum habent egregia facta, & virtutum quasi Imagines, in ijs viris qui præclarè fortiterque rebus gestis æternam sibi nominis gloriam compararunt. Quidni etiam iuniorum, ac literatorum animos accendi putandum est, cum uident

quam

quam nullis laboribus, vigilijs nullis, pepercerunt omnibus seculis viri sanctissimi, & doctissimi, sed in hoc unũ incubuerint, vt doctrina veræ pietatis sacrosancta, de ECCLESIA DEI, & de tota posteritate, quam optimè mererentur? Horum æmulari sanctitatem, imitari studium, & propositum honestissimum, pulchra profectò est, & laude digna contentio. Ad hanc virtutis æmulationem, & contentionem hortabatur filios
1. Mach. 2. *suos legis zelator ille Matthathias, his exemplis priorum Patrum eorum animos prouocabat, vt sine vlla trepidatione, pro lege, pro aris, pro patria, animas suas morti addicere non dubitarent, inde illis gloriam immortalem, inde nomen pollicebatur æternum. Est enim aliquid, clarus maiorum splendor virtute partus, dummodo illo tanquam calcari, ad eiusdem studium posteri incitentur: cum more maiorum suorum videntur quotidie ad honesta concitari, sordibus non delectari, & vt generosum, & pium animum decet, sanctitatem, & sapientiam, cunctis opibus preciosissimis meliores, amare, persequi & complecti. Etenim ille sanctus, ille doctus, ille clarus, ille nobilis, ille sublimis, qui Deo inseruierit, quique dedignabitur inseruire vitijs, & ab eis superari, tantumque quis sanctior, nobilior, & doctior, quantum pietate, & virtute reluxerit. Nobilitas, quidem est, & gloria, Maiorum quædam claritas honorabilis, gloria virtutis, rerumque gestarum celebris; qua si destituitur posteritas, non sanctitas non pietas, non*

diui-

diuitiarum contemptus, nec clarum nomen Auorum, eam celebriorem, sed obscuriorem reddent: Vnde illa sunt apud Poetam:

Tota licet veteres exornent vndiqúe ceræ
Atria, Nobilitas sola est atque vnica virtus.

His rationibus impulsus, iuuante Deo Opt. Max. institutum hoc nostrum absoluimus, & in Quinque Libros distinximus: In quorum primo:

De Sanctissimo Patre Nostro BENEDICTO, Ordinis Monastici, Nigrorum, in Occidente institutore: deque alijs Religionum fundatoribus, qui sub eius Regula, & magisterio militare noscuntur, agitur.

In secundo de Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, ex Monastico Nigrorum Ordine, ad regimen Ecclesiarum assumptis; deque Catholicæ Ecclesiæ Doctoribus, & Scriptoribus Monachis Nigris, qui uerbo, et doctrina eam illustrarũt, tractatur.

In tertio Monachi, & sanctimoniales, cum Nigri maximè, tum etiam alterius coloris, in numerum Sanctorum relati, sub Martyrologij forma, recensentur.

In quarto, utriusque sexus Principes Viri, qui pompis, & Regnis huius seculi contemptis, religiosam in Monasterijs Nigrorum vitam amplexi sunt, cõmemorantur.

In quinto quidam fructus selecti ex tanta multitudine, qui suis adinuentionibus Sacrosanctam Dei Ecclesiam gloriosam, & admirabilem reddiderunt, in duodecim Ramos distincti, ante oculos omnium ponuntur.

Argu-

Argumentum Operis ex Esdra desumptum, qui libro quarto, capite secundo huius LIGNI VITAE, *figuram ad viuum expressit, quod viro iusto in odorem suauitatis futurum pollicetur, sic ex persona Dei loquens:*

Mittam tibi adiutorium pueros meos Esaiam, & Hieremiam, ad quorum consilium, sanctificaui, & paraui tibi Arbores duodecim, grauatas varijs fructibus: & totidem fontes fluentes lac, & mel: & Montes immensos septem, habentes Rosam, & Lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

Quæ verba spiritualiter intellecta, Sanctæ Matris Ecclesiæ, duodecim Apostolorum, & Articulorum Fidei, necnon Sacramentorum septem figuram gerere, extra omnem controuersiam est, ijs qui sensum suum intellectui sacræ Scripturæ subijciunt. At de quouis alio viro iusto intelligi, & Sanctissimo Patri nostro BENEDICTO *maximè, posse accommodari, nemo est qui ambigat. Ab Esaia enim, & Hieremia Prophetis (qui supra caput eius tabulas lapideas tenentes, & ab inferiori parte nube tecti conspiciuntur) multis ante sæculis prænunciatus, & ab Oriente, vt ait Esaias, adductus, & vocatus, per obseruationem scilicet, Regulæ Diui Basilij, quæ originem habebat Orientalem, in Occidente Ordinem, & Congregationem suam plantauit, radicibusq; iuxta præterfluentes cœlestis doctrinæ aquas, fixis, et radicatis*

dicatis, tanto gratiæ Diuinæ humore irroratus est, ut cum iam penè totus Oriens, & Occidens, sua doctrina repletus esset, ad Meridiem quoque Orientis dextram, & Occidentis læuam Aquilonem penetrauerit, & palmitibus (Monasterijs videlicet, non secus, ac ex angustijs ripis excrescens amnis in patentes campos latè diffunditur) à mari vsque ad mare extensis, & propagatis, fructus inde protulerit optimos, & suauissimos, viros sanctitate, & scientia præclarissimos, qui in diuersis Sanctæ ECCLESIAE laboribus, æstus temporalium persecutionum non metuentes, tanquam bases, & columnæ solidissimæ eam sustentarunt: doctrina sua, quasi propugnacula, & propugnatores acerrimi eam defenderunt: multitudine, quasi muri pacis impenetrabiles, eam sepserunt: fortitudine, quasi turres firmissimæ, eam munierunt: ac demum, seu machinis, & instrumentis bellicis in Hæreticos, aliosque hostes, siccitate diuinæ gratiæ exarescentes, sua solertia irruerunt, eorumque dogmata, vel conatus ad nihilum redegerunt: & ornamentum viriditatis foliorum, operum suorum scilicet, reportantes, Ordinem suum honoratum reddiderunt, fructificare in Ecclesia Dei nunquam desierunt, & sibi ipsis, ac toti Ordini Monastico decus immortale, ac nomen æternum SEMINIS BENEDICTORVM DOMINI pepererunt: vt manifestissimum apparet in Vaticinijs prædictorum duorum Prophetarum, quæ ita clara sunt, vt de nemine

alio

alio quam de Sanctissimo Patre N. BENEDICTO dicta videantur, sunt enim eiusmodi:

AB ORIENTE adducam SEMEN tuum, & ab OCCIDENTE congregabo te. Effundam SPIRITVM meum super SEMEN tuum, & BENEDICTIONEM meam super STIRPEM tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis, & SEMEN tuum gentes hæreditabit, & Ciuitates desertas inhabitabit. Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filijs tuis. Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione, quia SEMEN BENEDICTORVM DOMINI est, & NEPOTES eorum cum eis.

Esaias Capp. 43. 44. 54. & 65.

BENEDICTVS vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit tanquam LIGNVM, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit FOLIVM eius VIRIDE, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando DESINET FACERE FRVCTVM.

Hieremias cap. 13.

His

His Oraculis præfiguratus S. P. N. BENEDICTVS, vt primum Abbas constitutus est duodecim Monasteria, vnumquodque duodenis repletum Monachis, quasi tot Arbores (Ordines) varijs grauatas fructibus, construxit, quorum hi referuntur Tituli:

Sancta Maria in Primerana: hodie, Sanctus Laurentius.
Vita æterna.
Sanctus Michael Archangelus.
Sanctus Archangelus.
Sanctus Angelus.
Sanctus Angelus de Treni.
Sanctus Ioannes Baptista.
Sanctus Clemens Papa.
Sanctus Blasius: hodie, Sanctus Romanus.
Sanctus Donatus.
Sancti Cosmas, & Damianus: hodie, Sancta Scholastica.
Sanctus Hieronimus.

Horum verò Cœnobiorum Tribus titulis mutatis, alij adiuncti sunt, quia Ordinibus Gilbertinorum de Sempingham, Virorum ac Mulierum in Anglia: Humiliatorum, in Italia: & Auisiorum Militum in Lusitania, deficientibus; tres alij Ordines surrexerunt, qui ad nouem adiuncti, Duodenarium numerum à S. P. N. diuinitus institutum, perfectum semper reddiderunt. Sanctissimus autem Pater, per verba SANCTIFI-

CAVI, & PARAVI (Sanctificantur enim ad Sacrificium offerendum Sacerdotes, per quos Ordines spirituales; ad bellum parantur Milites, per quos Ordines militares) intellectos duodecim Fontes, diuersorum Ordinum sub diuerso habitu sub eius Regula incedentium, Fundatores, lactis abundantia, & mellis dulcedine plenos, ex horum Monasteriorum figura scaturire faciens, tanta per eos lactis, Doctrinæ scilicet, & Prædicationis, exemplo illius qui potum lac ouibus suis dabat non escam, mellisque dulcedinis mandatorum Dei, quæ dulciora sunt super mel & fauum, fluenta in cordibus mortalium effudit; vt demum septem immensis Montibus, Ordinis sui Reformatoribus, qui lilio puritatis virginalis, & rosa intemerati cruoris ornati leguntur, sibi præparatis, filios suos accepti, & reportati talenti gaudio repleuerit. Qui hoc ordine disponuntur.

Primo pro LIGNI, siue ARBORIS radice, S. P. N. BENEDICTVS, Abbatis considentis habitu, corona duodecim Stellarum redimiti, dextra Regulam, gladium læua gestantis, conspicitur: sub cuius pedibus Prophetia illa apposita, quæ eius Natali die pro Epistola in Missa legitur, in qua duodecim assimilatus Mysterijs, circumcirca Montem refiguratis (quæ quomodo viro iusto conueniant, alius erit dicendi locus) tandem quasi Cedrus in Monte Libano, corona Fratrum, circa illum quasi Rami Palmæ circumstantium, circumcinctus dicitur: de quo rectè, sicut & frequenter Ecclesia sancta

canit:

canit: Iustus, vt Palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur. *Sicut enim Palma æstate, ac hyeme viret, fructum habet suauissimum, & oneribus impositis non cædit, sed magis contranititur, ita & iusti diuino cultui intendentes, nec in prosperis, nec in aduersis, à bono opere cessant, producuntque fructus suauissimos, bonarum virtutum operationes, nec tentationum, vel affectionum pondere deprimuntur, sed magis victores euadunt, quemadmodum nobilis quædam Palma varijs calamitatibus commemoratis patenti voce clamat:* In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. *Cedro autem bene iustus comparatur, quia sicut Cedrus bonum ex se odorem emittit, & incorruptibilem materiam habet, Ramorum etiam copia abundat, ac proinde vmbra sua multa complectitur, ita & vir sanctus bono virtutum odore plenus est, nec viciorum tabe corrumpitur, multorumque indigentium efficitur protector. Multiplicatur autem sicut Cedrus dupliciter, robore, scilicet, & numero: Robore quidem, siue perfectione, quando de virtute in virtutem quotidianis gressibus pergit: Numero vero, dum partim verbo salutaris doctrinæ, partim luce bonæ conuersationis, partim feruore assiduæ orationis: plurimos ad iustitiam conuertit, peccatores iterum parturiens donec formetur Christus in eis. Vaticinium verò illud est huiusmodi:* Psal. 91. Gal. 4. Rom. 8.

Ecce Confessor magnus: Qui quasi STELLA matutina in medio nebulæ: & quasi LVNA plena in diebus suis lucet: & quasi SOL refulgens, sic iste effulsit in Templo Dei. Quasi ARCVS refulgens inter nebulas gloriæ; & quasi FLOS ROSARVM in diebus vernis; & quasi LILIA, quę sunt in transitu aquę: & quasi THVS redolens, in diebus æstatis: quasi IGNIS effulgens: quasi THVS ARDENS in igne: quasi VAS AVRI, solidum, ornatum omni lapide precioso: quasi OLIVA pullulans: & quasi CYPRESSVS in altitudinem se extollens. Circa illum corona Fratrum, & quasi plantatio CEDRI in Monte Libano. Sic circa illum steterunt, quasi Rami palmæ, & omnes filij eius in gloria sua. *Ecclesiastici, cap. 50.*

Ad dextram eius, sex Fundatores diuersorum Ordinum spiritualium cucullo Monastico induti, & in fronte Stella ornati, ex eius manu Regulam sumentes, positi sunt.

Ad lævam, totidem Ordinum Militarium Fundatores, eodem habitu, qui Stellas pariter in fronte micantes gestant, & gladium de manu eius sumunt, reponuntur.

Montem circundant duodecim Ordines personarum, quorum sex in dextra, sex in sinistra depinguntur.

In

In dextra, primo Summi Pontifices Ordinis Monastici procedunt: sequuntur Cardinales: deinde Archiepiscopi: mox Episcopi: exinde Doctores, & Scriptores Ecclesiastici: postremò Monachi in Sanctorum numerum relati.

In sinistra, primi videntur Imperatores, & Imperatrices, qui vestem Monasticam Imperiali prætulerunt: Secundi Reges, & Reginæ: Tertij filij, & filiæ Imperatorum: Quarti filij, & filiæ Regum: Quinti Venetum Duces: Sexti, & vltimi multitudo cæterorum Ducum, Comitum, & aliorum Nobilium, qui ad numerum aliorum adiuncti, quasi quadam Fratrum corona illum circundare videntur.

Ex Radice pullulat sanctissimi istius LIGNI *truncus, ex quo, tanquam ex nauis alicuius malo, excrescunt septem illi Montes immensi, Ordinis Monastici reformatores, qui nonnunquam incuruante Arbore, & à primo Ordinis feruore defluente, illi præsto fuerunt, & bonis institutis, ac exemplis, Monasticum Ordinem informantes, Arborem ipsam erexerunt, & rumpi, vel ad terram vsque incuruari non permiserunt:*

Huic Trunco duodecim coniunguntur RAMI, *secundum dictum Apostoli Pauli diuisi, qui tres diuisiones per Spiritum fieri testatur,* 1. *ad Cor.* 12. *Diuisiones scilicet* GRATIARVM, *Diuisiones* OPERATIONVM, *& Diuisiones* MINISTRATIO-

NVM. GRATIARVM, qua quis sine præcedente aliquo suo merito, sed sola Dei gratia præueniente, aliqua particulari gratia donatur præter cæteros homines: OPERATIONVM, qua mediante, operatur quis magna & stupenda, præter cæteros homines: MINISTRATIONVM, qua permittente, ad ministerium aliquod Ecclesiasticum quis vocatur, præter cæteros homines. Factæ autem referuntur non simpliciter, sed ad vtilitatem, quæ quidem in Monachis fuit tanta, & ad Ecclesiæ culturam, dignitatem, & propugnationem tantopere contulerunt, vt fructum in tempore suo referentes, & multitudine sua copiosam eam reddiderint, & adinuentionibus suis ædificationem CORPORIS CHRISTI mystici, gloriosam perfecerint.

Secundum igitur hanc Diui Apostoli diuisionem. RAMOS duodecim qui in hac sacra ARBORE conspiciuntur, in tres Ordines distinximus.

In Ordinem GRATIARVM, sub quo Pastores, & Doctores: Interpretatio sermonum; Sermo scientiæ; & Discretio spirituum.

In Ordinem OPERATIONVM, sub quo Fides; Apostoli, *siue* Operatio virtutum; Gratia sanitatum, *vel* Curationum: *&* Prophetia.

In Ordinē MINISTRATIONVM, sub quo Opitulationes; Genera linguarum; Euangelistæ; & Gubernationes: *quæ diuisiones, rectè sub* Sermone

sapien-

sapientiæ *compræh enduntur, quia omnes, finem, Diui-narum rerum contemplationem, respiciunt, & habent: ad quem finem* Ordo Diui P. N. BENEDICTI *præcipuè noscitur institutus & fundatus. Verba autem Pauli Apostoli postquam de diuisionibus egit, hæc sunt:*

Vnicuique autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per spiritum datur SERMO SAPIENTIÆ: alij autem SERMO SCIENTIÆ secundum eundem spiritum: alteri FIDES in eodem spiritu: alij GRATIA SANITATVM, in vno spiritu: alij OPERATIO VIRTVTVM: alij PROPHETIA: alij DISCRETIO SPIRITVVM: alij GENERA LINGVARVM: alij INTERPRETATIO SERMONVM: & quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum APOSTOLOS, secundo PROPHETAS, tertio DOCTORES, deinde VIRTVTES, exinde GRATIAS CVRATIONVM, OPITVLATIONES, GVBERNATIONES, GENERA LINGVARVM, INTERPRETATIO SERMONVM. 1. *ad Corin. cap.* 12. Et ipse dedit quosdam quidem APOSTOLOS; quosdam verò PROPHETAS; alios verò EVANGELISTAS; alios autem PA-

STO-

STORES, & DOCTORES, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem CORPORIS CHRISTI.

Ephes. cap. 4.

His ita constitutis, & Arbore hac tota adamussim discussa, ne quis operam in re non admodum vtili posuisse me causetur, paucis declarandum putaui, quanta mihi necessitas huius tractandæ materiæ visa sit, præcipuè propter exteras Religiones, quibus res à Monachis BENEDICTINIS gestæ, scriptorum inopia hactenus sunt incognitæ. Accedit his quod de Sanctis BENEDICTINIS, de scriptoribus primarijs, de Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & Principibus viris vtriusque sexus, ac de alijs multis memoratu dignis, nemo satis hactenus pro dignitate tractauit. Proinde necessarium mihi visum est, excussis diligenter omne genus Scriptoribus, præsentes tractatus edere, in quibus nihil eorum quæ reperire possem, prætermitterem. Quod si tantum apud alios inuenerit gratiæ, quantum mihi præbuit laboris & molestiæ, non erit cur me vigiliarum mearum pœniteat. Quas eo libentius sustinui, ne tam numerosus Sanctorum Monachorum BENEDICTINORVM Catalogus, tot Præsules sanctissimi, viri eruditissimi, & in omni scientiarum genere percelebres, tot res ab eis domi forisque præclarè

gestæ,

gestis, diutius in obscuro essent. In rebus tamen eorum gestis explicandis, vbi necessitas non exigebat, parce admodum, ne volumen in immensum cresceret; in nominibus vero proprijs exprimendis, monachismo comprobando, temporibus quibus floruerunt designandis, & controuersijs, si quas reperissem, dirimendis, fusè & ad superstitionem vsque sæpissimè sudatum est: idque, vt spero, non sine fructu. Compertum enim est res maximas, & quæstiones grauissimas, ex temporis, loci, vel personæ obseruatione potuisse decidi, & dijudicari. Magni enim interest, & discentium & docentium, vt tempora rerum, atque personarum nobis sint cognita, atque perspecta. Cuius obseruatio lucem adfert doctrinæ, iudicium, de rebus bene, aut perperam dictis informat, res implicitas, & obscuras, euoluit & declarat.

Veritatis imprimis, quæ prima historiæ lex est, cura maxima est habita, certa pro certis, dubia pro dubijs referendo. Ideoque nihil me in hoc libro dixisse profiteor, cui non continuo nomen auctoris adiungerem, neque id inconsulto feciſſe, ne quis tanquam re parum necessaria offendatur.

Cum enim multa essent ponenda, quæ alij omiserunt, multa etiam aliter, quam alij hactenus dixissent, referenda, necessariò ita faciendum putaui, ut in sublato scrupulo, certior esset dictis meis fides. Si cubi tamen lapsus fuero (quis enim tam Lynceus, vt non aliquando cæcutiat? humanum enim est errare) præsertim in tanta

sen-

sententiarum varietate, & obscuritate, certiora edoctus libenter sententiam commutabo. Dicendi arte, & elegantia potiores multos esse non ambigo: qui res nostras norint, quique excellentiore methodo enarrare eas possint, occurrunt in Monasterijs nostris passim: at qui ad vtriusque rei nonnullam cognitionem, bonam voluntatem adiunxerit, & studium maximos labores tolerandi, quales ab Historico subeundi sunt, fortasse nullus reperietur. Nostræ Religionis & ætatis Scriptoribus quibusdam æquiparari nec cupimus, nec desideramus: adiutos ab ijs esse in his lucubrationibus perficiendis, quasi parata materiâ, ad structuram faciliorem, non denegamus tamen; cum ingenui animi sit fateri per quos profeceris: & equidem accepisse dicendum est, ne silentio surripuisse videamur. Exemplo namq; Diuorum Hieronymi, Bedæ, Haymonis, & nonnullorum recentiorum, qui ex aliorum scriptis in suos libros multa transfuderunt, & ad vitandum Lectoris tædium, loca ex quibus ea desumpserant tacuerunt, sat esse reputantes in præfatione sua id semel innuisse: ingenuè fateor Doctorum aliquorum Scriptorum verba, sensu tamen alio dicta, Apis more nonnunquam decerpsisse, & sensui meo ita concinnatè accommodasse, vt iam non eorum, sed meus labor reputetur. Qua de re vix credo aliquem iuste conqueri posse, nemo enim scienter gloria sua priuatus est, sed de omnibus honorifica mentio facta est, à quo aliquid ad nos boni accesserit. In aliorum reprehen-

sione

sione, ea modestia vsi sumus, quæ Monachum, & Religiosum decet, & si aliquando dictante æquitate, quod duobus tantum in locis feciſſe me recolo, duriuscule aliquantulum in quendam animaduertimus, hoc non odij, sed veritatis elucidandæ studi factum est. Quæ cum ita se habeant obsecro te humanissimè Lector, ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum, Nec illus velis imitari, qui de librorum præstantia iudicium facere consueuerunt, cum tamen ipsos non legerint, nec ferè si legissent intelligere potuisse videntur. Quibus sæpe accidit, quod ijs, qui Tabernis Librarijs præsunt euenire solet, qui vt plerumque rudes, & idiotæ, & earum rerum imperiti, quæ libris tractantur, ex librorum venditione, de ipsis libris sæpenumero non recte iudicare solent, ut qui vendibiliores existunt, hi meliores, etiamsi Aesopi fabulas, aut eiusmodi res prophanas contineant: qui verò minus vendibiles, licet Augustini, uel Hieronymi scripta, non tam boni existimentur.

In Templo DEI, vt ait Diuus Hieronymus, offert vnusquisque, quod potest, alij aurum, & argentum, & lapides precioſos, alij byssum, & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum; nobiscum bene agetur si obtulerimus pelles, & caprarum pilos.

Tenuitas enim ingenij nostri, imbecillitasque nobis nota: & quam difficile sit Historias scribere si in principio ignorauimus, vsus, & tempus docuit.

Nobis

Nobis cæpisse sufficit, alijsque præbuisse, si non copiam satietatis (fateor enim me nec reperisse cuncta, quæ dilucidare cupiui, nec cuncta posuisse, quæ reperi, cum, & rerum magnitudo, & argumenti nobilitas sciendi cupiditatem succenderet, & diuersitatum confusio fastidij nimietatem præberet) qua delectentur, qualemcunque tamen causam inquisitionis, qua melius exerceantur. Vale, & quod ex nobis defuit, vt Deus Opt. Max. meritis Sanctissimi Patris Nostri BENEDICTI, & Sanctorum Monachorum precibus, sua benignitate suppleat, roga.

FINIS.

LIGNI VITAE
LIBER PRIMVS.

DONNO ARNOLDO VVION
Belga Duacensi, & Monacho Casinensi,
AVCTORE.

De Sanctissimo Patre Benedicto totius Ordinis Monastici in Occidente Patriarcha, & Institutore, ac Sacratissimi istius Ligni Radice:
qui

Doctrinam, sapientiæ, & disciplinæ scripsit in codice suo: & quasi Terebinthus extendit ramos suos, & rami eius honoris, & gratiæ.
Ecclesiast. 24. & 50. Caput Primum.

IGNI Vitæ ex vtraque fluminis parte plantati, quòd vidit Ioannes in Apocalypsi sua, cuius folia ad sanitatem gẽtium erant, fructos aliquos maturos selecturi, operæpretiũ duximus ab illo loquendi initium sumere, qui huius Ligni Radix, Basis, & Fundamentum esse dignoscitur: Sanctissimus, videlicet Pater noster Benedictus: Cuius imago considentis habitu, monastica veste, Librum legis suæ dextra, gladium districtum sinistra tenentis, capite corona duodecim stellarum redimita, conspicitur, totius Ordinis Monastici in Occidente institutor, Dux & Pater monachorum, à quo Benedictionis nomen hæreditamus, Apoc. 22

Benedictionem (enim) dabit Legislator. *Psal. 84.*

IS ex antiquissimo & Imperatorio Aniciorum sanguine, patre Eutropio, Iustiniani, Patricij Romani filio, matre Abundantia, Nursiæ in Vmbria vno cum sorore Scholastica partu editus anno Christi quadringentesimooctogesimo: à parentibus Romam liberalibus studijs erudiendus missus, multos per abrupta viciorum in mortem

A ire

ire cernens, repente in alium virum mutatus, & tædio omnis mundanæ philosophiæ, ac gloriæ affectus, soli Deo seruire cupiens, ad monastica exercitia colenda se contulit Anno ætatis suæ quartodecimo, Christi Domini quadringentesimo nonagesimoquarto: & sola nutrice Cyrilla comitatus, Effide primum, ubi initium sanctitatis suæ in capisterij confracti reparatione demonstrauit; eaque relicta, sublacum deinde solitudinem famosissimam, quadraginta passuum millibus ab Vrbe distantem, soli Romano Monacho, qui ei habitum sanctæ Religionis tradiderat, cognitus, triennio inhabitauit. A Pastoribus postmodum, diuino, vt creditur, nutu, agnitus, Anno 497. & à Florentio presbytero, & Monachis quibusdam quibus pater præerat, multis lacessitus iniurijs ad optatam Eremum repedauit, vbi à multis, Romæ præsertim Patricijs, & nobilibus, frequentari cœptus, duodennem ab Aequitio Maurũ, a Tertullo patruele suo: (erat enim Tertulli Eupropij fratris filius) Placidum septennem, Monastica instituendos disciplina suscepit, Anno Domini quingentesimo vigesimotertio. Vbi loci cum duodecim Monasteria exædificasset, & in singulo quoque eorum duodenos Monachos collocasset, sublaco discedens, & paucos secum Fratres assumens, duobus Angelis comitantibus, & tribus Coruis quos nutrire solitus erat consequentibus, per quinquaginta ferè passuum millia Christo iubente peruenit, anno Domini 528. ibique contrito quod ibidem à Rusticis colebatur Apollinis Idolo, subuersa ara, lucroque succiso, sibi Monasterium statuit, & circumquaque manentes populos continuis prædicationibus ad fidem Christi conuertit. Gratia enim, vt ait D. Gregorius, Benedictus & nomine, tanto bonorum operum odore uniuersam condecorauit Ecclesiam, tanta signorum & miraculorum gloria consecrauit, & tanta suis temporibus Religione floruit & doctrina, vt priuatæ laudis (quæ à me exigua afferri potest) nequaquam indigeat. Attamen cum cæterorum Monachorum, Abbatum, Sanctimonialiũ, Præsulum, & Sanctorum Ordinis Monastici, memorias prosequendas suscepi, ita Sanctissimi Patriarchæ nostri felicem uitam, & glorioſum exitum paucis attingam, ut quantum hoc matutinũ sydus, quod post tenebrosam illam noctẽ infidelitatis nobis illuxit ab alijs stellis in claritate differat, qualicunque modo cõtemplari ualeamus. Si quidem totus eius uitæ cursus nihil aliud spirat, quam præclara uirtutum exempla. Quis enim non considerat in ipso ab ineunte ætate fuisse constantissimam in Christo fidem? feruentissimam Dei, & proximi charitatem, in expugnandis erroribus singularem magnanimi-

inimitatem, summumque ad bene merendum de toto humano genere studium, quando relicta in ipso iuuentutis flore Nursia felice patria, in qua natus erat, posthabitaque totius orbis gubernatrice Roma in qua educatus, ad laboriosam Eremũ, pro lucrandis Christo animabus, se conferre dignatus est? In patria felix puerulus bonis omnibus abundabat, in Eremo alieno beneficio illi uiuendum erat. In Roma iucundi amici, docta ingenia, morum ciuilitas: in Eremo atroces Christi inimici Diaboli, nullaque eo tempore erudita ingenia, sed conuersatio omnibus periculis corporis cumulata. Nihilominus ille ingens fidei, & pietatis feruor, qui inuictissimum eius pectus accenderat, nequaquam admittere potuit quod intra patrios lares, & sub modio tam lucens lucerna contineretur. Egrediendum illi erat de terra, & de cognatione sua; obliuioni tradendus erat populus suus, & domus patris sui: superanda erant maris huius magni & spacioſi pericula; eaque omnia, & maiora subeunda, quæ in hoc mundo pro Christo uoluntariè relegati subire solent. Hoc modo electus Dei Benedictus, ad nos Monachos peruenit: nunc quæ in nos beneficia contulerit audiamus. Eramus in fide Christi nouelli, & teneri, hic nos in ipsa solidauit: eramus peccatorũ sordibus inquinati, hic nos ab eorum fœditate ad pia opera reuocauit: eramus diuinarum, & humanarum legum ignari, hic nos, vt legibus, & uirtutibus operam daremus, informauit, quibus ad nostra usque tempora in pace conseruati sumus. Hic est verus ille supplantator videns Deum, cuius erant filij duodecim, qui supplantatore inimico diabolo, paradysi olim habitatore, deuicto, primogenita eius antetulit. Hic est verus Ismael exauditus à Deo, patris credentium filius, qui exauditione Dei assumpta, (ab illa enim Regulam suam inchoauit sic inquiens, Ausculta, o fili præcepta magistri) Duodecim duces generauit uiros utique præstantes, sanctitate claros, & omnis generis laude venerabiles, qui in capite eius, tãquam Corona duodecim stellarum relucentes, in duos ordines Spiritualium, videlicet, & Militarium, diuiduntur. Sed qua generatione? Metaphorica, quæ & ipsa generatio dicitur, & triplex enumeratur. Prima est qua Deus generat sibi filios per gratiam, de qua Sanctus Petrus ait; *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 1.Pet.2. Secunda est, qua dæmon procreat filios suos per peccatum quatenus se ducem, & præceptorem ad peccandum præbet, & peccatorũ causas suggerit, unde aliquando in Sacra Scriptura Pater appellatur. Tertia est, qua homo gignit hominẽ, quãtum ad mores & doctrinã.

Sed ne longior fiam, nihil hic dicam de doctrina Apostolorum, vel seguacium ipsorum, qui in diuersis prouincijs, vel ciuitatibus prima fidei Christianæ fundamenta iecerunt. Omittens etiam hoc loco virulentam doctrinam, quam per ministros suos diabolus sæpenumero disseminat, & disseminauit; Tertiam generationem, eamque duntaxat bonorum, quæ nostro instituto seruit, considero. Huius autem generationis exempla quis requirat, cum vix vllus sit, qui res gestas Sanctorum non legerit, uel audierit? Quæ & si quis forsasse, nec lectione, nec relatu aliorum intellexerit, huiusque rei veritatem ex sanctis antiquioribus, quales fuere Diuus Martinus, Antonius, Augustinus, Basilius, non cognouerit; quis tamen est qui eam clarè non perspiciat in illustribus familijs, quæ à Diuis Romualdo, Ioanne Gualberto, Bernardo, Cælestino, Ioanne Meda, Bernardo Senēsi, Gulielmo Vercellensi, vel alijs propagatæ ad hæc vsque tēpora, magna cum vtilitate Sanctæ Matris Ecclesiæ perdurant? Cæterum inter omnes, qui vitæ alicuius arctioris auctores & duces extiterunt, sanctissimus profectò Pater noster Benedictus, Aniciorum Romanorum, vt diximus, sanguine procreatus, plurimis virtutū insignibus, ac trophæis, & diuinæ gratiæ prærogatiuis, dum adhuc corpore mortali superstes esset, iamque uita functus eximia memoriæ benedictione, atque Ordinis sui incremento, hominumque suæ disciplinæ rebus præclarè gestis, & honoribus amplissimis mirificè est condecoratus. In cuius laudibus duo potissimum mihi uisa sunt, quæ magnam admirationem, & commendationem ad gloriam haberent. Alterum, quod cum uitæ solitariæ semper appetens, hominum consortia libenter euitauerit, & in loca remotiora se abdiderit: uirtutū tamen eius fama adeo percrebuerit, ut inter plurimos, qui ad eum vndique confluebant, etiam Romanæ Vrbis nobiles concurrerent, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos darent; posteaque cō plures auita nobilitate insignes, atque inter eos non pauci, qui in diuersas prouincias Dominationem habebant, uel ij ad quos hæreditas huius gloriæ pertinebat, regno atque principatu posthabito, eius legibus, & institutioni se deuouerent. Alterum, quod cum multos nobiles, ac principes uiros, spretis diuitijs, ac mundi gloria contempta, ex magnis, ac potentibus humiles, ac pauperes effecerit, siue exceperit; ipse uice uersa, ac felici cōmutatione, ex humilibus, & abiectis, plurimos uitæ sanctimonia, atque litterarum scientia claros, ac glorioſos reddiderit. Vt sit igitur hæc permagna Patriarchæ nostri laus, ac tantum non summa, quod tam præstantes filios genuerit;

mea

mea tamen sic opinio est, ut quærendum potius existimem unde, & quibus ex causis illi, tam laudabiles euaserint, quam admirandum quod tales exstiterint. Quod cum haud dubiè, in Regula eius positum fuerit, necesse est eam tanto rectius fuisse constitutam, quanto Benedictini reliquis Religiosis uirtute præstiterunt. Nam inter singularia quæ istius Regulæ fuerunt, duo maxime ei propria, nec in postrema eius laude ponenda hic attingam: Puta, quod nulla pœnarum sanctione, aut suppliciorum metu diligentissime semper à monachis obseruata sit. In ea enim nihil graue, nihil asperum constitutum, sed *Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Gal. 6. Deinde quod exercitia & studia ea, per totã vitam proposuerit, quæ continua virtutis constarent meditatione, nec sinerent animos ad lu- & uoluptates auocari. Nam hisce rationibus assecutum præcipuè arbitror Sanctissimum Patrem nostrum Benedictum, quæ laudabili Reipublicæ proposita bona, idque sine pœnarum metu, & coercitione. Spectauit enim hoc maximè Sanctissimus Legislator, mentionẽ vti nullam pœnarum in legibus suis faceret, ne quis earum contemptu, legum auctoritatem eluderet. Non enim latuit Virum longè Sapientissimum, insitam hominibus plerisque natura esse malignitatẽ, qua proçliuiores multò feruntur ad legum repagula perrumpenda, cum facilè pœnis defungi se posse norint. Atque ideo, in sua constituenda Regula, in primis omnia eo referenda haud dubiè existimauit, vt potius suos bonos faceret, quam malos tolleret: magisque id operam dedit, ut Monachos rectè institutos in virtute exerceret, quam ut improbos factos aboleret. Ad bonorum medicorum exemplum, qui semper (cum res ita sinit) antiquius habent, imminentem antidoto auerruncare Luem, quam grassantem iam in corpora profligare. Ideoque rectam institutionis normam eum tradidisse apparet, ut ab incunabulis eos legum obedientia imbueret, qui idonei eius Reipublicæ Monachi futuri. Qua in re, ut & alijs, sapientiam Sanctissimi Legislatoris Benedicti magnopere admirari est; & eam hoc nomine suspexerunt, quicunque iudicio in literis maximè polluerunt. Itaque & apud quosuis ueterum sanctorum, & scriptorum laudata passim eius instituta, & sententiæ istarum legum; undique in eorum scriptis, & ordinationibus interlucent. Vt uidere est apud diuersorum Ordinum, & Rerum publicarum, fundatores, & constitutores, qui omnes ex hisce fidelijs parietes suos dealbarunt. Atqui ut antiquiores omittã, si nostri seculi exemplum quis expectat, nonne Ignatius Loiola, Patrum Societatis Iesu institutor, in Hispania no-

bilibus parentibus editus, postquam sęculari militia relicta, atque mundi curis abdicatis in Dei militiam se tradidisset, atque ad salutem animarum promouendam totum se contulisset, suos quos condere uolebat, ita ex huius Regulæ institutis informauit (Casini enim positus, montem illum contemplationis aliquot mensibus inhabitauit, ibique uelut alter Moses & Legislator, secundas Religiosarum Legum tabulas, primis non absimiles composuit) vt breuissimo temporis interuallo multiplicatus, factũ inde fuerit, vt eius instituti doctrina & pietate clarissimi uiri totum iam ferè orbem collustrarint? At non sacerdotes tantum, Monachi, Virgines, sapientissimam hanc nostri Legislatoris Regulam; verumetiam militares quoque uiri sequuti sunt. Cum enim ad prælia Domini præliandum, cœlesti fortitudine, armisque solidioribus, quam sint ferrea, opus esse intelligerent, tantum abfuit, ut Religiosorum uitam, & leges, aut sibi noxias aut militaribus expeditionibus impedimento futuras iudicarint, ut uarij militares ordines uoto se, ac Regulis ipsorum, quantum arma tractaturis pro fide Christi sat erat obstrinxerint. Tantum momentum habet ritè susceptа Religio, ut communito uotis animo, & certa professione quasi obsignato, ipsi quoque milites liberiorem uitam cohibeant, & eorum cœlitũ, quos patronos sibi deligunt ductu, summa quæque pericula subeant, imperterritoq; animo difficillima sæpe perrumpant: & sic uerè in legislatore nostro impletum uidemus illud sapientis dicentis, *Videte quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem*. Solicite enim laborauit, nihilq; tam arduum, aut difficile, uel insuperabile ei uidebatur, quod non pro ornanda, extollenda, & amplianda Religione sua aggrederetur; ut ex eius Regula sãctissima uidere est; ex cuius lectione omnis eius conuersatio, cum exterior, tum interior, ad plenum intelligitur. Sanctus enim uir, ut ait diuus Gregorius, nequaquam aliter uiuere potuit, quam suis uiuere præcepit. Hæc est illa cœlestis uitæ forma, & regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius S. P. N. Benedictus, ac seruandam à suis filijs uerbo docuit pariter & exemplo. Hanc manu dextra porrigit, sex ad eius dexteram collocatis uiris sanctis & Religiosis: sinistra uerò totidem alijs uiris clarissimis, & laude perpetua dignis, qui læuam eius ambiunt, gladium præbent: & illi quidem Regula informati & instructi: hi uerò gladio etiam protecti, Ordines suos, sub eius patrocinio fundarunt; ex quibus tantũ fructus Sanctæ Ecclesiæ accessit, ut quidam nostri temporis magnæ auctoritatis scriptor dicere non dubitarit, post sacratissima & sanctissima

Eccl. 24.

ctiſſima Eccleſiæ Sacramenta, nihil ita in Eccleſia utile fuiſſe, ac Sanctorum Monachorum Benedictinorũ ordines, & inſtituta. Nec hoc tantum ex eius ſchola prodijt, verumetiam diſtributio omnis Eccleſiaſtici officij, monaſtici præſertim, & vt horis Canonicis uerſus ille deuotiſſimus, *Deus in adiutorium meum intende*, *Domine ad adiuuandum me feſtina*, adiectis *Gloria Patri, & Sicut erat*, præponeretur, ut ex eius Regulæ c. 9. uidere eſt, ex eius item magiſterio proceſſerunt. Quas uerò Patriarchæ noſtri Benedicti ſanctiſſimi ſemen uberrimas ſegetes, ac pingues fructus in agro Dominico exinde tulerit, ex numero Pontificum, Cardinalium, & reliquorum celeberrimorum uirorum (ut infra annotabimus) Cathalogo ſanctorum adſcriptorum, necnon ex plurimis monachorum Congregationibus, quæ ſub eius Regula, ut mox dicemus, militant, longè perſpicuum eſt. Moritur hic ſanctiſſimus monachorum Pater, & legislator, anno à Chriſto nato 542. vel 543. ætatis ſuæ. 62. Indictionis ſextædecimæ, anno 5. vel 6. die duodecimo Calen. Aprilis, Sabbato Sancto Paſchæ illuceſcente, & in Oratorio Sancti Baptiſtæ Ioannis ſepultus eſt. Pſal. 69.

Inter tot uerò miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque uerbo, ut ait Gregorius, non mediocriter fulſit: ſcripſit enim aperto, & luculento ſermone, Regulam Monachorum, Lib. 1. Auſculta ò fili.

Huius autem Regulæ loca impreſſionis hic non pono, quod centies, & amplius excuſa ſit in diuerſis orbis partibus, tàm græcè, quã Latinè, alijſque idiomatibus ſecundum regionum diuerſitatem, in quibus obſeruatur.

De ordine Monaſterij, qualiter à fratribus religioſè, ac ſtudioſè conuerſari, ac Domino militare oportet. Lib. 1. In primis nocturnis horis.

Hic excuſus eſt, cum Regula eiuſdem Patris, nobis procurantibus, anno 1593. Venetijs, apud Iuntas, in 16.

Ad S. Remigium, Epiſt. 1. Domino Sacerdoti Remigio, quæ excuſa in fine Chronici Caſinenſis, & alibi aliquoties.

Ad S. Maurum, cum ad Gallias renderet, Epiſt. 1. Accipe dilectiſſime. hæc reperitur in uita S. Mauri, à S. Fauſto Monacho conſcripta.

In diſceſſu S. Mauri, Serm. 1. Si triſtandum, dilectiſſimi.

Hunc integrum reperies in Martyrologio noſtro, ad diem 14. Ianuarij.

In paſſione S. Placidi, & ſoc. Serm. 1. Sicut patris eſt gaudere.

Hic excusus est in Epistola Siculorum ad S. Benedictum, quæ est post finem Chronici Casinensis, folio 199.

Alia si quæ scripserit, ut uerisimile est, ad notitiam meam non peruenerunt.

Omittendum hic non uidetur, Oraculum illud celeberrimum, quod diuinitus ad S. P. N. Benedictum factum fuisse perhibetur, ex monimentis Monasterij insulæ Lirinensis: cuius oraculi fama per totum Orbem uagante, Monasticus Ordo non modicum lætificatus est.

Quod Ordo suus uidelicet, usque in finem mundi stabit.

Quod in eius fine, pro Ecclesia Romana stabit fidelissimè, & plurimos in fide confortabit.

Quod nullus in eo morietur, nisi in statu salutis. Et si male incipiet uiuere, & non desistet, uel confundetur, uel ab ordine eijcietur, uel per se egredietur.

Quod omnis qui Ordinem suum persequetur, nisi resipiscat, uita sibi abbreuiabitur, uel mala morte morietur.

Quod omnes qui Ordinem suum diligent, bonum finem habebunt.

Monachi autem qui sub S. P. Benedicti Regula militare noscuntur, triplici ordinis genere distincti sunt, qui uelut fortissimæ illæ amici Dei Iacob, ad suos debellandos hostes, ordine distributæ, omnique ex parte præparatæ turmæ sunt; Alij nempè secundi Ordinis (quos Conuersos appellant) ministerijs domesticis inuigilantes, de quibus ipse cap. 57. suæ regulæ, de artificib. Monasterij: Alij verò sacris initiati, vt semper choro diuinis laudibus celebrandis assistentes, pro quibus præcipuè Regulam suam scripsisse noscitur: Reliqui autem (sed rariores) perpetuò, seu ad tempus, non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, suis in domunculis, ubi easdem laudes decantantes, & uitam ducentes acerrimam, concluſi manent. Illi, sollicitæ Marthæ munus gerunt; Hi verò duo, contemplantis Magdalenæ exercitationi continuè vacant. Sed omnes tamen simul Empyreum cœlum, sedem, Thronumque Dei, vbi Hierarchiæ tres, perpetuis mirabilia opera eius laudibus extollentes, insistunt, sacro suo uiuendi ordine præfigurant.

Abbates

Abbates Casinenses cur appositi. Cap. II.

CVM aliorum Ordinum Generales omnes, quos reperire potui, in præsenti libro apposuerim; omnino necessarium duxi post tractatum de Sanctissimo Patre nostro Benedicto, catalogum Abbatum sacri Monasterij Casinensis hic intexere, cum ob honorem & reuerentiam tanti Patris, cuius uices in terris gesserunt, & gestant; tum etiam ob dignitatem, & præeminentiam, quam super cæteros totius Orbis Abbates, & Prælatos, tanquam omnium Generales, habuisse noscuntur. Quæ auctoritas S. Petronaci Abbati, in omnium persona, à S. Zacharia Papa data, ut ex eius diplomate, quod excusum legitur post finem chronici Casinensis, liquet, non solum ab eius successoribus confirmata, verumetiam mirum in modum aucta legitur. Quantus autem fuerit Sacri Montis Casini Abbas, quam potens, & quam Principibus huius seculi carus & acceptus, inscriptionis eius titulus indicat. Inscribebatur enim,

Patriarcha sacræ Religionis; Abbas sacri Monasterij Casinensis, Dux, & Princeps omnium Abbatu & Religiosorum; Vicecancellarius sacri Imperij per Italiam; Cancellarius Regnorum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, & Hungariæ; Comes, & Rector Campaniæ, Terræ laboris, maritimęque Prouinciæ, Vice Imperator, & Princeps pacis.

Postremus uerò ille titulus ideo illi datus, quod nullus, nisi consentiente Abbate Casinensi, cum Imperio reconciliari, aut pacificari poterat.

Ex ijs autem quæ possidet, eius potentia omnibus erat admirabilis, & tremenda, subiiciebantur enim ei, Episcopatus 4. Principatus 2. Ducatus 2. Comitatus 20. Ciuitates 36. Castella 250. Villæ 440. Curtes 336. Portus maritimi 23. Insulæ 33. Molendina 200. Territoria 300. Ecclesię 1662. Et cum tantus esset in temporalibus, spiritualia etiam minimè neglexit, ut ex eius alumnis uidere est.

Protulit enim sacrum hoc monasterium Romanos Pontifices. 4. Cardinales S. R. E. plures. Archiepiscopos, & Episcopos, quamplurimos: quorum tamen pauci temporum iniuria ad nos peruenerunt; Viros doctrina, & scriptis celebres innumerabiles: Sanctorum catalogo adscriptos, quinquies mille, quingentes, quinqua-

gin-

gintaquinque, unde Versus,

Mitis, & inuicte Christi uerna Benedicte,
In Cœlo sisti, tot fratres promeruisti;
Quingentos quinque quingenos millia quinque,
Ad te translatos, prius omnes canonizatos.

Reges etiam duos, & alios Principes uiros, de quibus in sequentibus agemus. Incipiemus autem catalogum à S. P. N. Benedicto, ut series continuata melius dignoscatur.

Catalogus Abbatum Montis Casini. Cap. III.

SANCTVS Benedictus, natione Romanus, patria Nursinus, Vniuersalis Cœnobitarum in Occidente institutor, & Doctor, ac Casinensis Archisterij primus fundator, claruit miraculis annis 48. Præfuit Monasterio Casinensi annis 14. Obijt anno Domini 542. uel 543. Indictione 5. uel 6. die 25. Mensis Martij Sabbato Sancto Paschæ illucescente, & sepultus est in Oratorio S. Ioannis Baptistæ. Vixit annos 62.

Sanctus Constantinus Sanctissimi P. N. Benedicti discipulus, cuius mentionem facit S. Gregorius Papa Dial. libr. 2. cap. 1. eo enim enarrante uitam tanti Patris se composuisse refert, ob sanctitatis, & sapientiæ meritum dignus iuuentus est, qui Patri suo in Abbatiæ regimine succederet: quo gubernante multa Ordinis Monasteria diuersis in locis, & præcipuè in Hispania, & Gallia per S. Maurum fundata sunt. Vixit ad annum Domini 560.

Sanctus Simplicius, eiusdem Patris discipulus, ac tertius post eũ Casinensis Abbas, regulam, quam suus magister ediderat publicè legendam omnibus Monachis tradidit; & cum esset Poeticæ etiam laude clarus, versus nonnullos de eadem re descripsit; tantusque fuit, ut post mortem Sanctorum catalogo pro meritis, fuerit adscriptus. Obijt circa annum Domini 576. & sepultus est Casini iuxta magistri sui corpus.

Sanctus Vitalis, Abbas Casinensis quartus, floruit anno 580.

Sanctus Bonitus Abbas Casinensis quintus, cuius tempore crudelissimus Beneuentanorum Dux Zotho, noctu Casinum ingressus, locum in prædam & direptionem dedit, & ad solum usque subuertit. Quæ celeberrima monasterij clades illa fuisse uidetur, quam di-

uo

uo Gregorio teste Sanctissimus P. Benedictus futuram prædixit, affirmans uix apud Deum potuisse obtinere, vt ex eo loco sibi animæ concederentur. Dum autem Longobardi prædæ asportandæ essent intenti, Bonitus Abbas cum omnibus Monachis, euasit, textum Regulæ, propria S. P. manu conscriptum, pondus libræ panis, ac uini mensuram, necnon & uestimenta, ac calciamenta eiusdem Patris, ac sororis eius secum ferens, Romam incolumis peruenit: & benignè à Pelagio Papa II. exceptus, ex eiusdem concessione iuxta Lateranense Patriarchium sibi, & Monachis suis monasterium statuit anno Domini 589. & in honorem Sanctorum Ioannis Apostoli & Euãgelistæ, ac Pancratij martyris consecrari fecit; singulo quoque anno Monachos duodecim à Laterano, ad Casinense cœnobium, ad S. P. Benedicti corpus custodiendum transmittens. Habitauerunt autem Monachi Casinenses in Lateranensi Monasterio annis 130. usque ad annũ Domini 719. qui fuit S. Gregorij Papæ II. annus quartus.

ANNOTATIO.

Leo Ostiensis S. R. E. Card. lib. 1. Hist. Casinen. cap. 1. dicit hanc Monasterij destructionem accidisse anno Domini 586. Sed cum postea dicat Romam Monachos fugisse tempore Pelagij Papæ II. & ibidem 130. annos habitasse, vsque ad restaurationem eius, quod capite 4. restauratum refert sub Gregorio Papa III. manifestum est, aut eum errare, aut certe mendum in impressione latere. Pelagius enim secundus non nisi sedere cepit anno Domini 579. seditque vsque ad 591. & vsque ad tempora Gregorij III. qui creatus est anno 731. anni non 130. sed 163. interceserunt. Mendum est, & in quodam veteri MS. Casinensi, vbi sic dicitur: Petronax quidam ciuis Brixianus, Stephani Pont. Ro. suasionibus, B. Benedicti Monasterium Casinense ædificiis, & Monachorum frequentia instaurauit, anno posteaquam à Longobardis destructũ fuerat 112. regnante Anastasio Imp. *hæc ibi: Huius verò scripti opinionem sequi etiam videtur Anastasius bibliothecarius in epitome Chronici Casinensis, siue libello de translatione corporis S. P. Benedicti, at longioris multum temporis interuallum adsignat, videlicet 185. annorum, qui si incipiantur computari ab anno 568. a Leone notato, recte in annum primum Stephani Papæ III. dicti II. qui fuit 752. desinent: at eo tempore Imperabat Constantinus Copronymus eratque Imperij sui annus 12. Anastasius autem Artemius anno 716. Imperij sui secundo, abdicauerat, sedente Romæ Gtegorio Papa II. ad cuius tempora monasterij Casinensis restauratio referenda est, cuius persuasionibus (non autem Gregorij III. ut Leo, aut Stephani, ut Anonymus ille MS. male notarunt) Petronax*

tronax ad monasterij reædificationem se accinxit,& eodem Pontifice,necnon Gregorio III. ac Zacharia iuuantibus, in optimum statum reformauit, ut rectissimè,temporum serie incorrupta vbique seruata, annotauit doctissimus,& diligentissimus Carolus Sigonius de Regno Italiæ, lib.1.ad annos 589.& 719. secundum cuius castigationem præfati tres auctores corrigendi sunt, & eorum errores animaduertendi.

Abbates Casinenses, in Lateranensi Monasterio Romæ præsidentes. Cap. IIII.

SANCTVS Bonitus, quintus Casinensis Abbas, Lateranensis uerò primus, post ædificationem illius Monasterii,præfuit aliquot annis,& sanctitate clarus migrauit in cœlum.

Sanctus Valentinianus, S. P. Benedicti discipulus, secundus Lateranensis Abbas, & unus ex eis qui S. Gregorio vitam S. P. Benedicti narrarunt, quo præsidente ordo monasticus per totam Britanniam,& Scotiam Petro Diacono in catalogo Abbatum monasterij Casinensis referente,dilatatus est,gregem sibi commissum verbo, & exemplo pientissimè rexit,& tempore S.Gregorij I. Papæ ex hac uita migrauit.

ANNOTATIO.

Puto irrepsisse apud Trittemium de vir.ill. Ord. S. Ben. lib.3.cap.9. ut hic S.Valentinianus,præfectus Lateranensi cœnobio dicatur à Sancto Benedicto, pro Bonito: facilis enim est lapsus unius dictionis in aliam: non enim illo tempore uiuebat S. P. Benedictus, nec quicquam de Lateranensi monasterio legitur vsque ad Boniti tempora, qui præfatum S. Valentinianum moriens, in regimine sibi succedere iussit.

Gregorius,tertius Lateranensis Abbas,uixit anno Domini 600.

Sanctus Theodorus, quartus Lateranensis Abbas, & S.P. Benedicti discipulus, uir sanctus, & Deo dilectus, magnæ charitatis,& abstinentiæ fuit. Huius tempore S. Faustus Monachus, peregrinationis S. Mauri in Gallia Comes, ad Lateranense cœnobium rediit, & ibidem uitam eiusdem Sancti Mauri eleganter composuit, quam Bonifacius Papa sua auctoritate comprobauit. Vixit Theodorus anno Domini 608.

Ioannes,quintus Lateranensis Abbas.

Leo,sextus Lat. Abbas.

Vrsus,

Vrsus, septimus Lat. Abbas.
Agapitus, octauus Lat. Abbas.
Leo II. nonus Lat. Abbas.
Ioannes II. ut vult Petrus Diaconus, ab Anastasio uerò Romanus vocatur, Decimus Lat. Abbas.
Theophilus, vndecimus Lat. Abbas.
Adrianus, duodecimus Lateranensis Abbas: de quo, & aliis præcedentibus, nihil adhuc præter nuda nomina reperire potui.

Abbates Casinenses secundò. Cap. V.

SANCTVS Petronax ciuis Brixianus Abbas Casinensis à S. P. Benedicto sextus, Sanctis Gregorio II. & III. & Zacharia Pontificibus hortantibus, cœnobium Casinense in pristinum statum restaurat anno Domini 719. & eidem per annos xxxij. summa cum sanctitate præest. Obiit die vj. Maij, anno Christi 751. & in porticu iuxta Ecclesiam S. Martini, quæ à S. Zacharia Papa Archiepiscopis vndecim, & Episcopis sexaginta octo præsentibus anno 748. fuerat consecrata sepultus est.

Optatus Abbas VII. creatus die 7. Maii anno 751. præfuit annis 9. mensibus 7. diebus 28. Obiit die 4. Ianuarij anno 760. iuxta prę decessorem sepultus.

Hermeus Abbas VIII. creatus die 5. Ianuarij 760. præfuit mensibus 6. diebus 14. obiit eodem anno die 18. Iulii, & apud S. Benedictum Casini sepultus est.

Gratianus, Abbas IX. creatus die 19. Iulii anno 760. præfuit an. 4. mens. 1. dieb. 4. obiit die 22. Augusti anno 764. & in porticu Ecclesiæ S. Martini sepultus est. Vacauit Abbatia, eo mortuo, mẽses 11. & dies 13.

ANNOTATIO.

Leo Ostiensis. lib. 1. c. 10. Chron. Casin. dicit præfuisse ann. 4. mensib. 5. Petrus autem Diaconus in catalogo MS. Abbatum montis Casini, an. 4. mensis 2. cuius supputationem tanquam ueri similiorem libentius sequimur: cum enim dicat idem Leo. c. 19. Gisulfum Abbatẽ à Gratiano IIII. creatum fuisse anno 797. si numeri ab ipso positi ueri sunt, non potuit Gratianus sedisse magis quam ann. 4. mense 1. dies 4. nam si plus sedisset non potuisset creari usque ad 11. cal. Aprilis anni 761. & sic vacasset Abbatia menses octo, & amplius, quod temporum ratio non permittit; Quod autem dicit Petrus præfuisse ann. 4. mens. 2. sic accipiendum puto non quod men-

menses duos integros compleuerit, sed secundum solum attigerit: nam alioquin ea computationis disparitas consequeretur, quàm in Leone esse iam diximus.

Tomichis, Abbas X. creatus nonis Augusti anno 765. præfuit an. 6. mens. 5. dieb. 21. Obijt octauo calendas Februarij ann. 771. & Casini sepultus est, Vacauit Abbatia dies 3.

Poto, Abbas XI. creatus 4. calendas Februarii anno 771. præfuit an. 7. mensib. 5. Obijt die 4. Calendas Iulij, anno 778. & iuxta Ecclesiam S. Benedicti sepultus est.

Theodemar, Abbas XII. creatus die 29. Iunij, anno 778. præfuit annis 18. mensib. 11. dieb. 7. Obijt anno 797. die 5. Iunij, & iuxta Ecclesiam S. Martini sepultus est.

Gisulphus, Abbas XIII. ex nobilissimo Ducum Beneuentanorum sanguine editus, creatus die sexto Iunij, anno 797. præfuit annis 20. mensib. 6. dieb. 18. Obijt anno 817. 9. calendas Ianuarij, ante Capitulum sepultus.

Sanctus Apollinaris, Abbas XIIII. creatus octauo calen. Ianuarij anno 817. præfuit annis 10. mens. 11. dieb. 3. Obijt anno 828. die 27. Nouembris, & ad gradus porticus S. Martini sepultus est.

Sanctus Deus dedit Abbas XV. & martyr, creatus die 28. Nouembris anno 828. præfuit ann. 5. mens. 10. dieb. 12. Martyrio coronatus est anno 834. die nono Octobris.

Ildericus, Abbas XVI. creatus die 10. Octobris anno 834. decimoseptimo creationis suæ die obiit. Fuit B. Pauli Diaconi discipulus, de cuius uita eomposuit uersus non contemnendos, ut refert Petrus Diaconus de script. Cas. cap. 9. Vacauit Abbatia dies aliquot.

Authbertus, siue Authpertus Abbas XVII. creatus die 26. Octobris anno 834. præfuit annis duobus, mensib. 3. dieb. 25. Obiit 10. calen. Martii anno 837. & Casini sepultus est. Scripsit nonnulla opuscula, uidelicet.

De Purificatione S. Mariæ Virginis, Sermonem 1. qui excusus est in homiliario Alcuini, sed diuersus est ab illo qui apud me est MS.

De S. Matthia Apostolo, Serm. 1.

De Assumptione S. Mariæ, Serm. 1. Adest nobis dilectissimi.

De Natiuitate eiusdem, siue sermo communis in eius festiuitatibus: Celebritas hodierna.

ANNOTATIO.

Vocatur hic à Bibliotheca philosophica, & alijs nonnullis Rupertus, uixisseq́, refertur anno Domini 1040. *Errare tamen ex hoc conuincuntur, quod*

quod in toto catalogo Abbatum Casinensium nullus Rupertus inueniatur, et anno 1040. Richerius Abbas Monasterio præsidebat.

Bassacius Abbas XVIII. creatus die 17. Martii anno Domini 837. præfuit annis 19. Ordinem Monasticum aliqua iam ex parte corruptum in Liguria, Burgundia, & Germania, correxit: & nitido satis apertoque sermone quosdam tractatus composuit, ut auctor est Petrus Diac. c. 11. de script. cass. qui tamen sint illi tractatus, aut de qua materia tractent, non explicat. Obiit anno 856. die 16. cal. Aprilis, & in Capitulo Fratrũ sepultus est. Vacauit Abbatia ann. j. et dies 4.

Sanctus Bertharius, natione Gallus, Regii sanguinis, Abbas XIX. creatus die xj. calen. Aprilis, anno 857. præfuit ann. 27. & mensib. 7. quo temporis spatio multas iniurias à Saracenis perpessus est, & per septemdecim annos continuos, Monasterium Casinense, Italiam totam: imò & Christianitatem omnem ab eorum incursionibus & depredationibus defendit acerrimè: quorum tandem gladijs occubuit anno 884. die 11. calendas Nouembris in Ecclesia S. Saluatoris, quæ erat ad Casini montis pedem. Sepulturam accepit primum in Capitulo Fratrum Casini: nunc verò sub altari Capellæ suo nomini dicatę, digno honore reconditur. Vir fuit doctissimus, ut eius opera prodũt. Scripsit enim ante conuersionem suam multa in Medicina, & Grammatica, videlicet,

De innumeris morborum, hinc inde collecta Volumina Duo.

De Grammatica libros aliquot.

Sed studium postea mutans, & animarum medicus constitutus, fecit,

Sententiarum de pluribus ueteris, & noui Testamenti quæstionibus, lib. 1. qui reperitur in bibliotheca Casinensi MS. litteris Longobardicis: intitulatur verò hic liber Anticemenides.

Sermonum & Homiliarum, lib. 1. Horum apud me sunt MSS.

Super Euangelium de decem Virginibus, in die S. Scholasticæ, Hom. 1. quæ sic incipit, Lectio Sancti Euangelii.

De S. Matthæo Apostolo, Serm. 1. Inclytam, & gloriosam.

De S. Romano Abbate, Sermo 1. Adest nobis dies.

Extat, & eiusdem sermo de Sancto Luca Euangelista, in Breuiariis nostris.

Ad Angelbergam Augustam, Versus.

Vitam etiam S. P. N. Benedicti Hexametro & Pentametro versibus descripsit, tali exordio.

O Benedicte Pater cunctis celeberrimè terris,
Qui Confessorum culmen honoris habes.

Quæ

Quæ nobis procurantibus excusa est Romę anno 1590. in tertio pœ matum uolumine D. Prosperi Martinengi monachi Casinēsis, simul, cum aliis duobus Poetis, qui nondum erant impressi.

Abbates Casinenses Teani residentes. Cap. VI.

ANGELARIVS, Abbas Casinensis XX. Teani vbi Monachi Casinenses confugerant post desolationē sui Monasterii, ex Præposito Monasterii creatus anno 884. ibidem primus præfuit annis quinque & menses aliquot: & postmodum Episcopo Teanensi defuncto, Episcopus illius ciuitatis factus, post aliquot annos ibidem obiit nonis Decembris.

Ragēprandus Abbas Teanensis II. Casinensis XXI. creatus annō 890. octauo Idus Ianuarii, præfuit monasterio Teanensi annis nouē, & mensib. 10. Obiit 8. Idus Nouembris anno 900. Vacauit Abbatia menses 2. dies 9. & Teani sepultus est.

Leo, Abbas Teanensis III. Cas. XXII. creatus anno 901. die 17. Ianuarij, præfuit ann. 15. mensibus 7. Obijt anno 916. die 17. Augusti, & Teani sepultus est. Vacauit Abbatia dies 13.

Abbates Casinenses Capuæ residentes. Cap. VII.

SANCTVS Ioannes nobilis Capuanus, ex Archidiacono Capuano ob morum grauitatem pridie ca lend. Septembris anno 916. electus Abbas XXIII. præfuit Capuæ annis 18. & mensibus 7. Obiit ibidē pridie cal. Aprilis, ubi & sepultus est A.C. 934. Scripsit de persecutione cœnobii Casinensis, & miraculis in eo factis historiam breuem, sed utilem.

Adelpertus, Abbas XXIIII. Casinensis, & Capuanus. II. creatus anno 934. dieb. 6. Aprilis, præfuit apud Capuanum cœnobium an. 9. In eodem autem monasterio moriens sepulturam meruit, anno 943.

Balduinus Gallus, Abbas XXV. creatus anno 943. præfuit apud idē Monasterium an. 2. tandem ob insolentiam pulsus est, anno 945.

Maielpotus, Abbas XXVI. creatus ann. 945. præfuit annis 6. Obiit anno 950. & Casini sepultus est.

Abbates

Abbates Casinenses tertiò. Cap. VIII.

ALIGERNVS Neapolitanus, Monachus primum cœnobii S. Pauli Romæ, deinde ex Præposito, Abbas XXVII. Casinensis, electus anno 950. die 9. calendas Decembris, præfuit monasterio, quod à fundamentis secundus restaurauit, ann. 37. Obiit 9. calend. Decemb. 987. Sepultus est iuxta Ecclesiam Sancti Benedicti Casini. Ordinem monasticum per Italiam correxit.

Manso, Abbas XXVIII. creatus anno 987. die octauo calē. Decembris, præfuit ann. 10. mens. 3. dieb. 15. Hic quorundam maleuolentia excæcatus paulo post obiit 8. idus Martii, ac in claustro monasterii sepultus est anno 997. Eo gubernante Monachi Casinenses in Liguria quinque Monasteria construxerunt.

Sanctus Ioannes II. Abbas XXIX. creatus anno 997. die 15. Septembris, præfuit anno 1. Ob senium resignauit, die 15. Septembris, & sanctitate plenus sub Abbate Theobaldo, pridie idus Martii ad cœlestia euolauit.

Ioannes III. Abbas XXX. Principum Beneuentanorum genere ortus, creatus anno 998. die 16. Septembris. præfuit ann. 12. mensib. 6. Obiit Casini 15. calen. Aprilis A. C. 1011. Hic Coloniam monachorum in Illyricum misit, & per prouinciam illam cœnobia construxit.

SCHISMA PRIMVM.

DOcibilis Caietanus contra Ioannem electus, anno 1009. præfuit in schismate mensibus ferè 7. Sed cum Ioannis metu Caietam secontulisset, non ita multo post infirmitate correptus ad monasterium Casinense deferri se postulans, quieto fine defunctus est.

Ioannes IIII. cognomento Rotundulus præfati Ioannis iii. Nepos à Patruo suo iam moriente adhuc Nouitius Abbas fratribus præpositus, anno 1011. paucis post mensibus, ab iisdem, rei indignitate commotis, fugatus Beneuentum fugit, ubi propinquorum patrocinio cœnobii S. Modesti Abbas effectus est.

SCHISMA SECVNDVM.

AThenulfus, Abbas XXXI. Pandulfi Beneuētani principis filius, ex monacho S. Modesti Beneuentani in schismate contra Ioannem Abbas electus anno 1011. eo in Abbatem S. Modesti confirmato, pacificè præfuit annis 11. imperfectis: tandem ob metum Imperatoris

toris Henrici II. Constantinopolim fugiens, cum sociis, & omnibus suis rebus naufragio periit, anno 1022. Monasticum Ordinem per Germaniam reformauit.

Theobaldus Abbas XXXII. creatus anno 1022. pridie cal. Iul. & à Benedicto Papa VIII. Abbas consecratus, præfuit an. 12. mens. 11. diebus 3. Pulsus à Pandulpho principe ad Monasterium S. Liberatoris se contulit, in quo per quinquennium uitam degens 3. nonas Iunii deuotissimè obiit anno Christi 1035. ac ibidem sepultus est. Vacauit Abbatia ann. 1.

Basilius Abbas XXXIII. principis Beneuentani fauore, post annũ uacantis sedis, uidelicet anno 1036. in Abbatem electus, quod male acquisierat, peius administrauit ann. 2. quib. indignissimè præfuit; ab Abbatiæ regimine amotus fuit à Cunrado II. Imperatore. anno Chr. 1038.

Richerius Abbas XXXIIII. natione Baugarius ex Abbate cœnobii S. Benedicti Leonensis, Casinensi omniũ Fratrum concordibus animis præpositus, anno 1038. die 4. Idus Iunij, præfuit an. 17. mens. 6. Obijt Aterni. 3. idus Decembris A. C. 1055. atque in Sepulchro Abbatis Theobaldi in Monasterio S. Liberatoris sepultus est. Hic in Pannonia Ordinem propagauit & fundauit. Vacauit Abbatia dies quindecim.

Sanctus Petrus Abbas XXXV. vir Religiosus & honestus creatus die. 27. Decembris anno 1855. præfuit anno. 1. mensib. quinque, & tædio victus cessit, anno 1057. die. 28. Maij. Obijt miraculis clarus Casini vbi & sepultus est.

Federicus Abbas XXXVI. Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius, abdicante Petro, atque S. Humberto Cardinali Legato Apostolico ac Monacho adhortante, Sexta Feria post Pentecosten Fratribus prælatus, die 4. calendas Iunij, anno 1057. præfuit mens. 10. sequenti, ab eius electione, die, Florentiæ a Victore Papa. II. collegio Cardinalium sub Titulo S. Chrysogoni adiunctus, altero promotionis suæ mense, in eius locum. 4. nonas Augusti Pontifex Summus renunciatus, nec non die sequenti coronatus & consecratus, Stephani nomen sibi aptari voluit. Obiit Florentiæ sanctitate plenus. 4. cal. April. anno 1058. ibidemque in ecclesia Cathedrali sepultus est. Scripsit contra Patriarcham Constantinopolitanum.

De corpore Domini lib. 1.

De eadem materia, contra quendam Monachum lib. 1.

Et alia nonnulla quæ ad notitiam me am non venerunt.

Desi-

Desiderius antea Dauferius uocatus, nobili principum Beneuentanorum sanguine ortus, ex Monacho Sanctæ Trinitatis Cauensis, primum Præpositus, postmodum omnium Monachorum votis die Sancto Paschæ 15. calend. Maii, anno 1058. Abbas XXXVII. Casinensis electus; anno sequenti pridie nonas Martii Auximi in Piceno a Nicolao Papa II. Presbyter Cardinalis T. S. Ceciliæ creatus, ipsis nonis Dominica proxima Abbas Casinensis consecratus est: præfuit annis 29. mensibus 4. diebus 27. Demum mortuo Gregorio Papa. VII. inuitus ac renitens, die. 9. cal. Iunii, anno 1086. Pontifex Maximus renunciatus, ac Victor. III. acclamatus, consecrari minime passus est usque ad 12. cal. April. anni sequentis; sedit in apostolica sede a die creationis, ann. 1. mens. 3. dies. 4. a consecratione verò, menses. 5. dies 27. Obiit in Monasterio Casinensi 16. cal. Octobris, anno 1087. ac in capitulo Fratrum primo sepultus, postmodum ad Capellam S. Bertharij martyris translatus est. Multa dum uixit scripsisse fertur, inter quæ feruntur,

De miraculis quæ a S. Benedicto & alijs Monachis in Monasterio Casinensi facta sunt, lib. 4.

Cantus quosdam de S. Mauro; & alios nonnullos Tractatus, qui ad manus nostras non peruenerunt.

Sanctus Oderisius Marsorum Comitis filius, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, uiuente adhuc Victore Papa. III. 18. cal. Octobris Abbas Casinensis XXXVIII. anno 1087. electus præfuit ann. 18. mensib. 2. dieb. 18. & Sanctis operibus plenus obiit 4. nonas Decembris, anno 1105. sepultus Casini. Plura scripsit dum uixit maximè uersu, quæ iniuria temporis perierunt.

Otto Fundanus, Abbas XXXIX. creatus ipso die depositionis prę decessoris sui an. 1105. præfuit regimini Monasterij an. 1. & mensib. 10. Obijt ipsis cal. Octobris an. 1107. & sepultus est iuxta ecclesiam S. Andreæ in cimiterio Fratrum ad Lęuam. Vacauit Abb. dies. 44.

Sanctus Bruno, siue Brunus, Ligur, ex illustri Astensium sanguine, Episcopus primum Signiensis, deinde abdicato Episcopatu, Monachus Casinensis, postmodum 44. ab Ottonis obitu die, omnium Fratrum concordi uoluntate Abbas XL. anno 1107. Idibus Nouembris electus, præfuit annis. 3. mensib. 10. quibus elapsis a Paschali Papa. II. coactus anno. 1111. Idibus Septembris Abbatiam resignans, ad Episcopatum suum reuersus est; ubi in sancta conuersatione ad finem usque perseuerans, migrauit ad Dominum, pridie calendas Septembris. Eo autem recedente uacauit Abbatia mensem.

sem. 1. & dies. 3. Cum autem non minus doctrina, quam sanctitate polleret, scripsit plura opera, videlicet.

In Genesim. lib. 1.
In Leuiticum, lib. 1.
In Numeros, lib. 1.
In Deuteronom. lib. 1.
In Cantica Canticorum, lib. 1.

Hi tres sunt in Bibliotheca Casinensi MSS.

In Iudicum, lib. 1.
In Psalmos, lib. 1.
In Esaiam, lib. 1.
In Exodum, lib. 1.
In Apocalypsim, lib. 1.

Sententiarum, lib. 1. qui est in Bibliotheca Casinensi MS. in membranis. Sermones 69. de Dominicis, & præcipuis anni festiuitatibus, lib. 4. quorum primus est de laudibus ecclesiæ, habetque Sermones. 9. Secundus, de ornamentis ecclesiæ, continet Sermones. 12. Tertius de nouo mundo, Sermonibus. 10. Quartus, de præcipuis festiuitatibus anni, complectitur Sermones. 36. Hi erant apud me MS. in membranis, sed eos, amicitiæ ergò, dono dedi D. Constantino Siracusano Monacho Catanensi.

Homilias de diuersis 155. quarum apud me sunt subsequentes MSS.

Dominica prima Aduentus, Hom. 1. Duos discipulos.
Dominica. 2. Aduentus, Hom. 1. Quibusdam interrogantibus.
Dominica. 3. Aduentus, Hom. 1. Ioannes Baptista.
Dominica. 4. Aduentus, Hom. 1. Omnes enim existimabant.
Feria. 4. quatuor tempo. Aduentus, Hom. 1. Missus est inquit.
Feria. 6. quatuor temp. Aduentus, Hom. 1. Virgo Deo plena.
In Vigilia Natiu. Domini, Hom. 1. Primum autem quærendũ est.

Et alia nonnulla scripsisse fertur, quæ ad manus nostras non peruenerunt.

Girardus Abbas XLI. nobilissima Marsorum Comitum stirpe progenitus, abdicante S. Brunone, a Fratribus electus est, anno 1111. die. 17. Octobris: eis præfuit an. 11. & mensibus. 3. Obijt die 16. calendas Februarij, anno. 1123. ac sepultus est in capitulo Fratrum.

Oderisius. II. Abbas XLII. Sangrorum Comitum sanguine clarus, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, Girardo substitutus anno 1123. die 18. Ianuarij, præfuit annis. 3. mensibus. 3. diebus. 15. Tandem Calisti Papæ. II. & Monachi, iussu depositus, anno 1126. die. 3. Maij abdicauit. Et non ita multo post, id est, die. 3. mensis Iunij sequentis mortuus est, regiminis sui anno. 3. mense. 4. die. 15. & Casini sepultus. Scripsit dum uiueret.

De festiuitatibus totius anni, Sermonum lib. 1.

SHISMA

SCHISMA TERTIVM.

NIcolaus Tusculanus, Abbas XLIII. in schismate contra Oderisium electus, anno 1126. die. 4. Maij: præfuit anno. 1. mense 1. diebus. 16. Sed ob insufficientiam ab officio remotus est, anno 1127. die. 20. Iunij; quo amoto uacauit Abbatia dies viginti unum.

Senioretus Abbas XLIV. iussu Honorij Papæ II. a Fratribus 4. idus Iulij, electus, anno. 1127. eosdem sanctè & pacifice rexit an. 9. mens. 6. dieb. 19. Obijt plenus dierum Calendis Februarij, anno 1137. Sepultus ad gradus cimiterij Fratrum. Vacauit Abbatia dies 8.

Rainaldus Etruscus, a maiori Fratrum numero, unanimi consensu creatus Abbas, anno 1138. ob aduersarij sui potentiam cuius electionem confirmauerat Anacletus. II. Antipapa, inire non potuit, & ideo ab omnibus inter Abbates Casinenses non numeratur.

SCHISMA QVARTVM.

RAinaldus. II. Abbas XLV. Calimentanus S. R. E. Subdiaconus Cardinalis: electus die S. Scholasticæ an. 1138. a quibusdam in schismate, contra Rainaldum Etruscum, & ab Anacleto Papa. II. confirmatus, præfuit tantum mensib. 4. Ab Innocentio enim Papa. II. mense Septēb. ab administratione semotus, in eius locū creatus est.

Abbas XLVI. Guibaldus, Lotharingus, ex Monacho & Abbate Stabulense iuxta Leodium concordibus animis Fratrum, in Schismate contra Rainaldum electus, die. 11. cal. Octobris, anno 1138. ut erat uir pius & bonus, ob maximas quas a multis patiebatur difficultates, loco cessit. 4. nonas Nouembris; administrationis suæ mense. 1. die. 11. ac ad Monasterium suum rediit, electione libera Fratribus relicta.

Rainaldus. III. Abbas XLVII. Marsorum comitum genere ortus, 13. a discessu Guibaldi die, id est. 17. cal. Decembris, ob morum grauitatem, & singularem doctrinam, Monachis Abbas datus, Monasterio præfuit annis 28. & mensib. octo. Anno autem quarto regiminis sui, Christi Domini 1140. ab Innocentio Papa. II. ob singularem eruditionem, & uitæ meritum, SS. Marcellini & Petri Cardinalis renunciatus, annis plus minus 26. titulum retinuit; & tandem plenus dierum obiit anno 1166. ipsis Idibus Iulii, in Casino ante Capitulum sepultus. Non uacauit sedes.

Theodinus Abbas. 48. creatus anno 1166. præfuit mensibus septem. Obiit peste anno. 1167. mense Februario. Vacauit sedes menses aliquot.

Egidius Venusinus Abbas 49. creatus anno 1167. prefuit annis

tribus, & ab Alexandro Papa III. deponitur, Anno Domini 1170, Vacauit ſedes menſes aliquot.

Dominicus de Sambuceta, Abbas 50. creatus anno 1171. præfuit annis duobus. Obiit anno. 1173. ſeptimo calendas. Maii, & Caſini ſepultus eſt. Non uacauit ſedes.

Petrus de Inſula Abbas. 51. creatus anno. 1173. die obitus ſui præceſſoris, præfuit annis 13. menſ. 2. dieb. 13. Obiit anno 1186. die octauo Idus Iulii, Feria 3. & in Caſino ſepultus eſt. Vacauit ſedes menſes. 7. & dies ſeptem.

Roffredus de Inſula, Abbas. 52. creatus anno. 1187. die 21. Februarii præfuit annis 21. menſib. 3. dieb. ſex. A Clemente Papa III. Cardinalis SS. Marcellini & Petri poſtmodum pronunciatus, in ea dignitate diem obiit Caſini anno 1208. tertio calendas Iunii & ibidem ſepultus eſt. Vacauit ſedes dies uigintitres.

Petrus. II. cognomento Comes, Abbas 53. creatus anno 1208. die 9. cal. Iulii præfuit menſibus ſeptem, diebus quatuor. Fuit & Presbyter Cardinalis factus ab Innocentio Papa. III. Obiit anno. 1210. quinto cal. Februarii, Caſini ſepultus.

Adenulfus, Abbas 54. creatus anno milleſimo ducenteſimo decimo. præfuit annis. 4. & menſibus duobus. Obiit anno 1214. & Caſini ſepultus eſt. Vacauit cœnobium annum unum, & amplius.

Stephanus Marſicanus Abbas 55. creatus anno. 1215. die 2. Auguſti præfuit annis 11. menſib. 11. diebus 20. Obiit Caſini anno 1227. duodecimo calendas Auguſti, ibique ſepultus eſt. Vacauit ſedes menſes quinque.

Landulphus Senebaldus Abbas 56. creatus anno 1227. die 22. Decembris præfuit annis 10. menſibus. 6. diebus 26. Obiit anno 1238. die 18. menſis Iulii, in Caſino ſepultus. Non uacauit Abbatia.

Stephanus. II. Abbas 57. creatus anno. 1238. die. 19. menſis Iulii præfuit annis. 12. menſ. 6. dieb. duobus Obiit anno 1251. duodecimo calendas Februarii, & Caſini ſepultus eſt.

Richardus Hannibaldus, Romanus Cardinalis Tituli Sãcti Cyriaci ſiue S. Angeli, ex Monacho a Gregorio Papa. IX. anno 1240. factus; deinde Abbas 58. creatus anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo præfuit annis 12. Obiit anno milleſimo ducenteſimo. 63. & Caſini ſepultus eſt. Vacauit ſedes menſes aliquot.

Bernardus, Gallus S.R.E. Cardinalis, Monachus primum & Abbas Monaſterii S. Honorati inſulæ Lirinenſis in Gallia, deinde inſtu Vrbani Papæ. IIII. (in locum cuiuſdam Theodini Monachi Caſinenſis

sinensis, Acerrarum Episcopi electi de mandato Manfredi Tarentini Principis) Abbas 59. creatus anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, præfuit annis. 19. Obiit Casini, ubi & sepultus est anno 1282. pridie Nonas Aprilis. Vacauit sedes menses. 2. dies. 14. Scripsit non contemnenda opera, inter quæ, reperiuntur.

Super regulam S.P. Benedicti, lib. 1. qui est Casini, & in S. Benedicto Mantuano, MS.

Speculum Monachorum, lib. 1. excus. Venetijs anno 1520. in 16.

Collationum, Beneficiorum, & Officiorum, montis Casini, Regestum vnum.

Inquisitionum, Iurium, & Bonorum in castris & villis montis Casini, Regestum alterum.

Reperiuntur in archiuio montis Casini manuscripta.

Thomas de Rocca quinque millium, Abbas 60. creatus an. 1281. die 19. Iunij. præfuit annis. 11. mensib. 11. diebus. 18. Obijt, anno 1294. Nonis Iunij, & sepultus est in Casino.

Pontius Catanensis, Abbas 61. creatus anno. 1294. die 6. Iunii, præfuit mensib. quinque. Obijt eodem anno die. 6. Octobris. Vacauit sedes dies aliquot.

Abbates Casinenses Ordinis Cœlestinorum.
Cap. IX.

ANGELARIVS. II. Ordinis Cœlestinorum, Abbas 62. creatus anno. 1394. mense Octobris, præfuit mensibus quinque, & nouem diebus. Obiit anno Domini 1295. mense Martio. Vacauit sedes menses aliquot.

ANNOTATIO.

Quomodo, & quando factus fuerit hic Abbas Montis Casini, exponit Dominus Richardus, Monachus Casinensis, & quondam S. Iustinæ Abbas, super caput, 21. Regulæ S. Benedicti, de Decanis Monasterij, cuius expositio reperitur in Bibliotheca Montis Casini, MS. in Scamno. 12. ad Sinistram, vbi sic ait: In Anno Domini 1294. mense Octobris Indict. 7. Domnus Cælestinus Papa V. qui antea uocatus fuit, Frater Petrus de Murone, homo magnæ sanctitatis, uenit ad Monasterium Casinense; & uolens dictum Monasterium vnire Religioni suæ, induxit Monachos pro maiori parte, vt reciperent suę Religio-

nis habitum. Qui habitus erat coloris Camellini, uilissimi panni: & misit de Monachis suis quasi quinquaginta. Primo nos fueramus Nigri; & mutauit nomen Decani, qui post ipsorum aduentum uocatus est Prior. Adueniente proximo Festo B. Luciæ, renunciauit Papatui in ciuitate Neapoli, cui successit Dominus Bonifacius, qui primo nominatus fuit Dominus Benedictus Caetanus, homo maximæ scientiæ & probitatis de Anania, & reuocauit omnia facta per dictum Cœlestinum, exceptis Cardinalibus, quos idem Cœlestinus fecerat; & ego fui unus de reuocatis, qui fueram effectus Abbas Monasterii Sanctæ Iustinæ de Padua. Hæc Richardus.

Abbates Casinenses quartò. Cap. X.

BERNARDVS II. (siue vt in MSS. alijs legitur, Beraudus) Abbas 63. creatus anno 1295. mense Iunio, præfuit mensib. 4. & diebus 24. Obijt an. 1296. & vacauit sedes dies aliquot.

Bernardus III. primo Monachus Benedictinus, deinde Tripolitanus Episcopus, postremo Abbas 64. creatus anno 1296. die 12. Ianuarij, præfuit mensibus septem, & diebus sex. Obijt Casini eodem anno 1296. die 15. calen. Augusti, ibique sepultus est. Non vacauit sedes.

Galardus, siue Galhardus, Abbas 65. creatus anno 1296. die 19. Augusti: præfuit annis 5. mensibus 6. diebus 20. Obijt anno 1301. die 9. Martij: & Casini sepultus est. Non vacauit sedes.

Thomas, siue Thomasius de quinque millijs, Abbas 66. creatus anno 1301. præfuit annis 2. mensib. 9. dieb. 9. Obijt anno Christi 1304. die 18. Decembris, & Casini sepultus est. Non vacauit sedes.

Marinus Tomacellus, Neapolitanus, Abbas 67. creatus an. 1303. die 19. Decembris. præfuit annis 5. Obijt anno 1308. die 14. calendas Ianuarij, & Casini sepultus est.

Isuardus Abbas 68. creatus anno 1308. mense Ianuario, præfuit annis 10. Obijt anno 1318. & sepultus est in Casino, & vacauit sedes menses aliquot, vsque ad creationem Odonis administratoris, cuius curæ Monasterium commissum est per Ioannem Papam XXII.

Admini-

Administratores Casinenses. Cap. XI.

DOo, ex Archiepiscopo Pisano, Patriarcha Alexandrinus, deinde cœnobii Montis Casini Administrator, & Prælatus 69. creatus anno 1318. mense Iulio, administrauit ann. 5. Obiit anno 1323. 5. nonas Iulii, & sepultus est in Monte Casino. Quo mortuo Monasterium Casinense, erectum est in Ecclesiam Cathedralem, extincto nomine monasterii per præfatum Ioannem Papam XXII. Erunt ergo deinceps.

Episcopi Casinenses. Cap. XII.

RAIMVNDVS, ex Campaniæ, maritimæque Rectore Generali, & Comite, Monachus primum Casinensis, deinde Episcopus Casinensis primus, & Prælatus 70. creatus anno 1323. die 23. vacantis sedis, præfuit annis 15. Obiit anno 1338. 7. calend. Augusti, & Casini sepultus est. Vacauit sedes dies septem.

Guido, Episcopus 2. & Prælatus 71. creatus anno 1338. die 5. Augusti: præfuit anno vno. Obiit anno 1339. die 4. nonas Augusti, & sepultus est in Casino. Sedes non vacauit.

Ratherius, siue Richerius, Episcopus 3. & Prælatus 72. creatus anno 1339. calend. Augusti, duobus diebus ante mortem Guidonis, præfuit anno 1. mens. 6. dieb. 25. Obiit anno 1341. 5. calend. Martii, Casini sepultus. Non vacauit sedes.

Stephanus Episcopus 4. & Prælatus 73. creatus anno 1341. d. 26. mensis Februarii: præfuit annis 6. Et translatus ad Episcopatū Sancti Pontii, Casinum reliquit, anno 1347. mense Februario. Vacauit sedes dies aliquot.

Gulielmus Episcopus 5. & Prælatus 74. creatus anno 1347. mense Martio, præfuit ann. 6. Obiit anno 1353. mense Martio, & Casini sepultus est. Vacauit dies aliquot.

Franciscus Episcopus 6. & Prælatus 75. creatus anno 1353. mense Aprili, præfuit annis duobus. Obiit anno 1355. mense Aprili, & Casini sepultus est. Vacauit sedes duos menses, & dies aliquot.

Frater Angelus de Acarolis Florentinus, Ordinis Prædicatorum. Episco-

Episcopus 7. & Prælatus 76. creatus an. 1355. die 17. mẽsis Iulii, præfuit annis 2. mensib. 3. dieb. 7. Obiit anno 1357. die decimo calend. Nouembris Neapoli, ibiq́ue sepultus est. Vacauit sedes dies aliquot.

Angelus de Pasta, Monachus Benedictinus, Episcopus 8. & Prælatus 77. creatus anno 1357. die 10. Nouembris, præfuit annis tribus, mens. 5. Obiit Casini anno 1361. die 3. Idus Aprilis, & ibidem sepultus est. Hic reædificauit Capitulum, Refectorium, Dormitorium, & Corpus Ecclesiæ. Vacauit sedes mensem vnum, dies 26.

Angelus de Vrsinis, Episcopus 9. & Prælatus 78. creatus ann. 1361. die 8. mensis Iunii, præfuit annis quatuor. Obiit anno 1365. die 7. idus Iunii, & sepultus est in Casino. Vacauit sedes menses aliquot. Quo mortuo considerans Vrbanus Papa V. monasterio Casinensi nó pauca incommoda, ac damna accessisse ob Abbatialẽ dignitatem sublatam, eam iterum in integrum restituit, & Episcopalem prorsus extinxit, anno Domini 1365. Eruht ergo in posterum.

Abbates Casinenses quintò. Cap. XIII.

SANCTVS Vrbanus Papa V. Abbas Casinensis 79. anno Christi 1365. Monasterium Casinense sub tutela, & patrocinio Apostolicæ sedis suscipiens illud per Procuratores suos administrauit an. 5. & mensibus aliquot. Obiit anno 1370. die 14. calen. Ianuarii, & Massiliæ in Monasterio S. Victoris sepultus est. Vacauit sedes menses aliquot.

Bartholomæus Senensis, Abbas 80. creatus anno 1171. eodem anno mortuus est ueneno, cum præfuisset uno mense solo, & sepultus est Casini. Vacauit sedes menses aliquot.

Andreas Fauentinus, Ordinis Montis Oliueti, Abbas 81. creatus anno 1371. die 20. Septemb. præfuit annis tribus. Obiit anno 1374. die 13. calend. Octobris, & in Capitulo Casinensi sepultus est. Hic plantauit Pastinum S. Honophrii, & construxit Ecclesiam Sanctæ Agathæ. Vacauit Monasterium annum 1. dies 3.

Petrus de Tartaris Romanus, Ordinis mõtis Oliueti, deinde Abbas S. Laurentii extra Vrbem, postea S. R. E. Presbyter Cardinalis Reatinus, & Abbas Casinensis 82. a Gregorio Papa XI. creatus, anno 1375. die decimosexto Septemb. præfuit annis 19. mensibus 8. diebus 19. Obiit anno 1395. pridie nonas Iunii: & Casini sepultus est.

Henricus Tomacellus Neapolitanus, olim Abbas S. Saluatoris in Thea-

Theate, Abbas 83. creatus anno 1395. die Nonarum Iunij: præfuit annis 24 plus minus. Obijt anno 1419. apud Spoletum vbi relegatus fuerat, & ibidem sepultus est. Vacauit sedes menses aliquot.

Pyrrhus Tomacellus Neapolitanus, Henrici Abbatis Nepos, Abbas 84. creatus anno 1419. mense Octobris: præfuit annis 18. Paulo ante mortem Abbatia priuatus, obijt apud Pontem S. Angeli, vbi vinctus tenebatur, anno 1437. ipsis calendis Nouembris, & ibidem in ecclesia S. Celsi sepultus est. Vacauit Monasterium, annos octo, menses sex, dies viginti tres. Nam Pyrrho Abbate ab Eugenio Papa. IIII. quod Spoletinam Arcem contra ipsius uoluntatem tenere & occupare presumpserat, anno. 1437. in ordinem redacto, & in carcerem detruso, Monasterium Casinense gubernatum fuit per Priorem, & Subpriorem, annis octo, mensibus sex, diebus 23. vsque ad annum 1446.

Antonius Carafa Neapolitanus, Abbas 85. & ultimus, creatus anno 1446. die uigesimoquinto Maij, præfuit annis octo, mensibus octo, dieb. tribus. Obiit anno 1454. die primo Februarij & Casini sepultus est. Quo ex hac luce subtracto sacrum cœnobium Casinense in Commendam redactum, integro Iubileo in eo statu permansit, donec diuina operante uoluntate Vnioni & Congregationi S. Iustinæ de Padua, aggregatum fuit, vt infra patebit.

Commendatarij Casinenses. *Cap.* XIIII.

RVDOVICVS Scarampus Patauinus, Patriarcha Aquilegiensis, & S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanus, Sacri Montis Casini primus Commendatarius, & Prælatus 86. creatus anno 1454. gubernauit annis plus minus vndecim. Obijt anno 1465. sexto Calendas Aprilis Romę, & in ecclesia S. Laurentij in Damaso sepultus est. Vacauit Monasterium menses duos.

Paulus Papa. II. Barbus Venetus, Commendatarius secundus, & Prælatus 87. incepit, anno 1465. die 28. Maij, & gubernauit per legatos suos annis. 6. & mensibus duobus. Obijt Romæ anno 1471. quinto Calendas Augusti, ad S. Petrum sepultus. Vacauit Monasterium mensem. 1. dies tres.

Ioannes de Aragonia, filius Regis Ferdinandi, Neapolitanus, S. R. E. Presbyter Card. T. S. Sabinæ, Commendatarius tertius, & Prælatus

latus 88. creatus anno 1471. circa calendas Septembris; gubernauit annis 14. mens.1.dieb.19. Obiit Romæ peste anno 1485.die 14.calendas Nouembris,in absida tituli sui sepultus. Factus est autem Commendatarius à Papa Sixto IIII. anno prædicto, cum esset ipse Ioannes Prothonotarius Apostolicus,& Clericus Neapolitanus: Gubernauitque Monasterium per Ludouicum de Borsis Episcopum Aquilanum, qui obiit Casini anno 1485. pridie Idus nouembris. Vacauit Monasterium diebus 25.

Ioannes II.de Medicis, Florentinus, Prothonotarius Apostolicus, deinde S. R. E. Card. S. Mariæ in Dominica, & postmodum Papa Leo X. Commendatarius quartus, & Prælatus 89. incepit anno 1485. die 14. Nouembris: Gubernauit annis 19. diebus octo, & iubente Papa Iulio II. Abbatiam in manus eius resignauit anno Domini 1504.die 10.cal.Decembris.Obiit anno 1521.Romæ,ipsis calendis Decembris,ad S.Mariam super Mineruam sepultus.

Aggregatio monasterij Casinensis ad Congregationem Sanctæ Iustinæ. Cap. XV.

ANNO Dominicæ Natiuitatis 1504.die 22.mensis Nouembris,cum Ioannes de Medices,S.R.E.Cardin.& Commendatarius Casinensis, liberè Commendæ dictæ Abbatiæ cessisset, eodem die Iulius Papa II. Casinense Monasterium unuit Congregationi nostræ S.Iustinæ de Padua; Voluitque supradictus Pontifex, ob honorem tanti monasterii, ut deinceps, Congregatio Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua nuncuparetur. Eius uerò possessionem solenni pompa cœperunt RR. nostræ Congregationis Patres anno sequenti, die 12. Ianuarii: In qua R.P.D.Eusebius de Mutina, Abbas S.Petri de Perusio, dictæ nostræ Congregationis Præsidens:& R.P.D. Ignatius Abbas S. Mariæ Florentiæ, & præfatę Congregationis Visitator, cum Monachis centum affuerunt. Vnionis autem prædictæ Bulla Iulii II. extat cum aliis nonnullis,post finem chronici Casinensis excusa.

Abbates

Abbates Quinquenales Montis Casini, sub Congregatione Casinensi, aliàs S. Iustinæ de Padua.

Cap. XVI.

1505. I. EVSEBIVS Mutinensis, Monachus professus S. Nicolai de Littore Venetiis, primus post dictam Vnionem ex more eiusdem Congregationis nostræ, Abbas creatus est, anno Christi 1505. cùm esset ipsius Congregationis Præsidens, præfuit anno uno, & mensib. 6. Obiit anno .... Mutinæ, & in Monasterio S. Petri de Mutina sepultus est.

1506. 2. Zacharias Patauinus, monachus S. Iustinæ, ann. 3.

1509. 3. Gratianus Mediolanensis, monachus S. Benedicti de Mantua, præfuit anno uno, mens. 6. Obiit Præsidens 1510. & Casini sepultus ste.

1510. 4. Ignatius Florentinus, Squarcialupus, monachus S. Mariæ de Florentia, præfuit prima uice ann. 5. mens. 6.

1516. 5. Vincentius Neapolitanus, de Risiis, monachus S. Seuerini Neapolis, præfuit ann. 2. Obiit Neapoli, & sepultus est in S. Seuerino.

1518. 6. Theophilus Mediolanensis, de familia Placētia, monachus S. Benedicti de Mantua, præfuit ann. 2. Obiit Patauii, & in Monasterio S. Iustinæ sepultus est.

1520. Ignatius Florentinus, iterum & Præsidens, præfuit anno 1. & mens. 6.

1521. 7. Ludouicus Mediolanensis, Triultius, monachus S. Petri Inglassiatæ, præfuit anno uno. Obiit Mediolani, & in S. Simpliciani Cœnobio sepultus est.

1522. 8. Iustinus Hispanus, monachus S. Iustinæ, præfuit ann. 2. moriens in Monasterio S. Iustinæ sepultus est.

1524. Ignatius Florentinus, tertio, Præsidens, præfuit anno uno, mēs. 6. Obiit Florētiæ, & in Monasterio suo sepultus est. Cùm esset in diuinis, & humanis scientiis apprimè eruditus, scripsit Sermonem pulcherrimum in honorem S. P. Benedicti, eumq; coram magno Monachorum & populi cœtu habuit, quando solemniter capta est possessio Monasterii Casinensis anno Domini 1505. uidelicet

De

De S. P. Benedicto Serm. 1. Introibimus in tabernaculum eius.

De apprehensione possessionis Monasterii Casinensis Sermo. 1. Operæpretium duxi.

De visione Illustr. Principis Ferrandi Gonsalui Compendium, Lib. 1. Diuinam Illustris Ferrandi.

De aggregatione Monasteriorum Siciliæ ad Congregationem Casinensem, Serm. 1. Superat uires moles.

Hæc omnia MS. reperiuntur apud D. Constantinum Siracusanum, Monachum Catanensem.

Scripsit & Carmen Sapphicum in honorem Sanctissimæ Trinitatis: &

De S. Berthario Abbate & martyre Hymnos, qui sunt Casini MS. Et alia nonnulla, quæ nondum uidi.

1525. 9. Chrysostomus de Alexandris Neapolitanus, monachus S. Seuerini, præfuit primum ann. 5.

1530. 10. Augustinus de Padua, ex familia Bonfiliorum, monachus S. Iustinæ, præfuit ann. 3. Obiit Brixiæ, & sepultus est in S. Faustino.

1533. Chrysostomus Neapolitanus, secundò, præfuit ann. 5. Obijt Neapoli in Monasterio S. Seuerini sepultus.

1538. 11. Hieronymus de Monte rubeo, Monachus S. Hieronymi de Ceruaria, præfuit anno vno. Obijt Mutinæ, & in Monasterio S. Petri sepultus.

1539. 12. Ignatius de Ianua, Monachus S. Iustinæ, præfuit an. duob. Obijt Patauij, & i Monasterio S. Iustinę sepultus, an. 1552 die 9. cal. Aug. ante altare S. Danielis: cum hoc Epitaphio

Post obitum benefacta manent, æternaq; uirtus,
Non metuit Stygijs, ne rapiatur vndis.

1541. 13. Hieronymus de Placentia, Scrocquettus, Monachus S. Fortunati de Vincentia, præfuit prima vice annis quinque.

1546. 14. Laurentius Zambellus, Mantuanus de vico Gouernolo Monachus S. Mariæ de Pratalea, præfuit annis tribus. Obijt in S. Benedicto de Mantua, ibique sepultus.

1549. Hieronymus de Placentia, secundò, præfuit annis duobus. Obijt Placentiæ, & in Monasterio S. Sixti sepultus est.

1551. 15. Innocentius de Nouaria, Monachus S. Mariæ de Florentia, præfuit annis tribus. Obijt in S. Georgio Venetijs, ibique sepultus est anno. 1557.

Hiero-

1554. 16. Hieronymus de Papia, Monachus S. Saluatoris, præfuit anno vno. Obijt Papiæ sepultus in S. Saluatore.

1555. 17. Isidorus de Placentia, Mantegazzi, Monachus S. Sixti Placentini, præfuit anno vno. Moriens sepultus in S. Sixto Placentiæ.

1556. 18. Ignatius Vicanus, dictus, Meleatius, Neapolitanus, monachus S. Seuerini, præfuit prima vice annis tribus.

1559. 19. Angelus Sangrinus de Faggiis, Monachus Montis Casini, præfuit prima vice annis quinque.

1564. Ignatius Neapolitanus, secundo, præfuit anno uno. Sepultus in S. Iustina.

1565. Angelus Sangrinus iterum, præfuit annis tribus.

1568. 20. Bernardus de familia de Adamo, Auersanus, Monachus Casinensis, præfuit annis duobus. Obiit Cesenæ, sepultus in Monasterio S. Mariæ.

1570. 21. Matthias Mattalei de Lignasco, monachus S. Benedicti de Mantua, præfuit annis duobus. Obiit Papiæ, & sepultus est in S. Saluatore.

1572. Angelus Sangrinus, tertio, præfuit annis tribus. Obiit Casini anno Domini 1593. die 17. Martii hora 16. ætatis suæ. 93. assumptæ Religionis. 74. & ibidem sepultus est. Vir fuit dum vixit Reuerendus, & omni bonitate & Sanctitate redimitus, Religione & conuersatione probatus, & in diuinis scripturis versatissimus, poeta quoque non contemnendus; ut eius opera indicant, quę ut penè sunt innumera, ita & pietatem ubique redolent: Vidi autem subiecta.

De ineffabili Iesu nomine, Carmen heroïcum.

In septem Iesu Christi nouissima uerba, Meditationes septem eodem carmine.

De misericordia, amore, & bonitate Dei erga peccatorem: de spe peccatoris in Deum: speculum peccatoris: parœnes ses sex in hebdomada Sancta: de nominibus Iesu: de contemptu diuitiarum, & uanitate humanæ vitæ; eodem genere carminis.

De Iesu pietate & amore in peccatorem, Elegias duodecim.

Triumphum diuini amoris.

In Natiuitate Domini, & in omnes alias eiusdem festiuitates,

uitates, Carmen Sapphicum.
Epicedium in mortem Domini.
De Iesu beneficiis in hominem.
De laudibus B. Mariæ Virg. diuerso carminis genere, Lib. 1.
Hymnorum diuerso metro de Sanctis diuersis, Lib. 2.
De passione Domini, Elegias duodecim.
Vitam S. P. N. Benedicti, carmine heroico, excusam Romæ 1587. in quarto.
In Psalterium Paraphrasim diuerso carminis genere, quæ excusa est Venetiis, anno 1540. in quarto.
Aureas, diuinasque sententias ex Dauidis Psalmis excerptas, carmine elegiaco.
Vita SS. Benedicti, Mauri, Placidi, & Ioānis Baptistæ, carmine heroico.
Vitam aliam eiusdem P. N. Benedicti, carmine Sapphico, & soluta Oratione moralem expositionem continentem.
Psalterium glorioſæ Virginis Mariæ, carmine Sapphico.
Vitam S. Gulielmi Anachoritæ, versu Sapphico.
De martyrio Monachi, Carmine.
Tractatum quadraginta horarum, impressum Florentiæ, anno 1587. in 12. & Tridenti, atque alibi in 16.
Sermonū, Homiliarū, & Dialogorū soluta Oratione, Lib. 1.
Et alia multa scripsisse fertur, quæ nec vidi, nec legi.

1572. 22. Hieronymus de Cosentia, Monachus Casinensis, præfuit annis duobus. Obijt Parmæ, sepultus in Monasterio Sancti Ioannis Euangelistæ.

1577. 23. Bernardus Ferraiuolus Neapolitanus, Monachus S. Seuerini, præfuit prima vice annis tribus.

1580. 24. Desiderius Brixianus, de Trauagliato, Monachus Casinensis, præfuit annis quinque. Obijt Perusii, & in cœnobio S. Petri sepultus est.

1585. Bernardus Neapolitanus secundo, præfuit annis duobus. Obijt Casini anno 1586. & ibidem sepultus est.

1587. 25. Aegidius Sarniculus à Matelica, monachus Monasterij Sancti Angeli de Caueoso, præfuit annis duobus. Obijt anno 1590. & Caueosi sepultus.

1589. 26. Andreas Suessanus, monachus Montis Casini, præfuit anno vno. Obiit Mutinæ, & in Monasterio S. Petri sepultus est, anno 1590.

Domnus

1590. 27. Domnus Hieronymus Bruggia, Perusinus, monachus Monasterii Sancti Petri de Perusio, nunc præest, agitque regiminis sui annum quartum: cui Deus Opt. Max. addat Nestoreos annos.

Quomodo stellati spiritualiũ Ordinum fundatores ad dexteram S.P. Benedicti collocantur.

Quoniam super stellas fulgebunt facies eorum qui abstinentiam habuerunt. 2. Esdræ 7. Cap. XVII.

CVM quanta in familiam Benedictinam beneficia Deus contulit, attentius animo contemplor, alterum Ioseph, filium videlicet accrescẽtem videre mihi videor, cui Pater cęteris filiis plus dilecto, tunicam fecit polymitam, atque partem unam dedit extra fratres suos, quam tulit de manu Amorrhęi, in gladio & arcu suo: Tunicam nempe polymitam, idest, uersicoloribus filis, pluribusque liciis intextam, nonne rectè dixero, amplissimum illud atq; singulare decus, quod, ex quocumq; tandem instituto, uel facto peti queat, inter omnes alias familias glorioſissimè ac peculiariter est cõsecuta? Pars autem ea qua fratribus suis superiorem eum esse voluit, nunquid non dici potest immortalis illa, propriaque laus & gloria, gladio & arcu comparata, qua præcęteris excellentius, atque singulari modo decorata familia Benedictina refulget? Nam si tropologiam inuestigemus, quid aliud erit cum Amorrhęo, qui rebellis interpretatur, gladio & arcu dimicare, quam cum inimicis Dei, materialibus simul & spiritualibus armis decertare? Porrò de propinquiore loco gladio pugnatur, arcu autem è longinquo in hostes tela coniiciũtur; qui uterque præliandi modus ad progeniem Benedictinam aptissimè refertur.

Illi enim qui ad arma sęcularia tractanda, ex Benedictina familia sunt propagati, cum hostibus Christiani nominis, necnon & aduersarijs Orthodoxæ fidei, sæpissimè cominus tanquam fortissimi milites in acie certarunt, & etiamnum hoc exulceratissimo tempore, se propugnatores acerrimos, & defensores studioſissimos, Christi inimicis opponunt.

Interea verò dum hi fortissimi, atque clarissimi uiri, vitæ suæ periculo, periculum à Christiana Republica depellere, barbarisque, ac hæreticis in eam irruentibus iter corporibus suis occludere, atque illorum temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superare cominus enituntur: Ecce ij, qui à præclarissimo stirpis Benedictinæ germine, Sanctissimo uidelicet Patre Benedicto, generatione Spirituali ad arma Spiritualia tractanda sunt procreati, diuersorum, scilicet Ordinum sub S. P. Regula militantium fundatores, ieiuniis, & vigiliis se affligentes, cum iisdem hostibus supradictis confligunt, atque eminus in eos lachrymarum, & precationum iacula mittunt; suisque votis, & obsecrationibus hostilium gladiorum acumen, telorumque cuspidem retundere, tribulium uerò, atque aliorum propugnatorum suorum dexteras confirmare studeant, quibus sic ad Ecclesiæ defensionem occupatis, & intentis, hi

Una manu faciebant opus. 2. Esdræ 4.

Exo. 17. quemadmodum & Iosue pugnante cum Amalechitis, Moysen pro populo supplices manus ad cœlum tetendisse legimus. Conspiciuntur autem ad dexteram S. P. N. Benedicti isti fortissimi Christi athletæ, & Ecclesiæ Sacrosanctæ defensores, Regulam de eiusdem Patris manu sumentes, Monastico habitu induti, & stella lucidissima in fronte ornati.

De primo Stellato S. Romualdo, Monachorum, Ordinis Camaldulensis fundatore. Cap. XVIII.

QVi primus S. P. N. Benedicti dexteram Abbatis habito, micantem stellam in fronte gerentis, ambire videtur, is est S. Romualdus Abbas, Camaldulensium Monachorum institutor. Hic cum Rauennæ, ex nobili Ducum familia, Patre Sergio ortus, & studiis liberalibus legitimè imbutus fuisset, primum sæculo relicto, Classis, haud procul à Rauenna habitum S. P. Benedicti suscepit, ac tertio post anno Eremum adiens, uitamq; in secessu solitariam ducens, S. P. Benedicti ritus, laxos nimium, pro virili corrigere studuit, quo in uitæ genere, ita profecit, ut antequã de mutatione habitus cogitaret cœnobia centum, tàm in Hetruria, Piceno, Flaminia, quàm in Venetia, & Histria, sub nigro habitu, quem gerebat, & norma eiusdem S. P. Benedicti constituxerit.

Cumque

Cumque sanctitatis eius fama vbique crebresceret. (tam facili enim ductu, & sermone hominum mentes & studia ad Diuinorum cultum trahebat, vt totum Orbem, nisi modum etiam in re optima sibi statuisset, ad Religionem perducere potuerit) in agro Aretino consedit anno 1008. ac cuiusdam Casam Maldi in Eremo incoluit; qui vt fatebatur, per quietem visus est sibi cernere scalas in cælum surrectas, in quibus innumeri mortales candido amictu cœlum scanderent; qua imagine, non minus quam Diuino quodam oraculo motus Romualdus, locum ab hospite & petijt, & impetrauit, an. 1009. oratorium condidit: candidam cucullam, ijs, qui initiandi essent, in argumentum nocturnæ illius imaginis, ferendam dedit (quum antea monachi nigro amicirentur colore) insuper & Camaldulensiũ nomen vocabulo ab hospitis Maldi casa, sumpto, eos ferre præcepit, anno Domini 1012. Quibus peractis, anno vitæ suæ 120. quorum, 20. in sæculo, tres in Classensi cœnobio, reliquos in Eremo consumpserat, Christi 1027. in Monasterio Vallis de Castro Marchiæ Anconitanæ. 13. cal. Iulij diem obijt, inter sanctos relatus; cuius sacri corporis reliquiæ Fabriani in templo S. Blasij digno honore recunduntur. Hic cum doctrinæ laude non mediocriter excelleret ingenij sui clara monimenta reliquit, videlicet.

Expositionem ferè diuinam in omnes psalmos Dauidicos: cuius pars a Psalmo Primo ad Nonagesimum, apud Patres Eremi Camaldulensis, pro reliquiario asseruatur, reliquam temporis iniquitas absumpsit.

Expositionem item in nonnulla Prophetarum Cantica, quæ an extet nescio.

Priores perpetui Sacræ Eremi tantum. *Cap. XIX.*

BEATVS Petrus Dagninus; Primus Eremi Prior perpetuus, a S. P. Romualdo constitutus Anno Christi 1016. præfuit annis 35. Obijt anno 1051. die. 4 Nonas Nouembris.

Albizus, Prior Secundus creatus. A.C. 1051. præfuit an. 11. Obijt anno 1062.

Rusticus Prior III. creatus A.C. 1062. præfuit ann. 20. Obijt anno 1082.

Sanctus Rodulphus Prior IIII. creatus A.C. 1082. præfuit an. 23. Obiit anno 1106. quarto Idus Octobris, Canonizatus permissu Pontificis

tificis Romani a Gregorio Episcopo Aretino.

Martinus, Prior V. creatus A.C. 1106. præfuit an..... Abdicauit anno que 1124. obijt anno.....

Beatus Guido Prior VI. creatus A.C. 11.... præfuit annis.....

Priores Generales perpetui totius ordinis. Cap. XX.

BEATVS Guido, ex Priore Sexto Eremi, totius Ordinis, Generalis Prior creatus est a Paschali PP. II. Anno Chr. 1114. præfuit anno vno & abdicauit. Obijt anno 1128.

Ioannes Generalis. II. Prior autem VII. creatus A. C. 1115. præfuit annis 16. Obiit anno 1130.

Azo, Generalis III. Prior VIII. creatus A. Chr. 1131. præfuit ann. 22. Obiit anno 1153. die decimo octauo calendas Octobris.

Rusticus II. Generalis. IIII. electus, sed post aliquot menses recusauit; anno 1153.

Rodulphus II. Generalis. V. creatus A. Chr. 1154. præfuit ann. 6. Obiit anno 1159.

Gregorius Generalis VI. creatus A.Chr. 1159. præfuit ann. 13. obiit, 1172. idibus Decembris.

Hildebrandus Genera. VII. creatus A.Chr. 1172. præfuit ann. 9. obiit 1181. 10. cal. Decembris.

Placidus Gener. VIII. creatus A. C. 1181. præfuit ann. 18. obiit anno Domini 1199.

Martinus II. Gener. IX. creatus A.Chr. 1199. præfuit ann. 64. obiit, 1205. 8. cal. Aprilis.

Geraldus Gener. X. creatus A.Chr. 1205. præfuit an. 2. obiit 1207. Idibus Augusti.

Guido II. Gene. XI. creatus A.C. 1207. præfuit an. 41. obiit an. 1248.

Beatus Martinus III. Gener. XII. creatus A. C. 1248. præfuit ann. 12. obiit Florentiæ. 1259. Idibus Septembris.

Massarius Gener. XIII. creatus A. Chr. 1259. præfuit annis 4. obiit 1263. 6. Idus Aprilis.

Angelus Gener. XIIII. creatus A.C. 1263. præfuit ann. 5. obiit 1268. 6. nonas Nouembris.

Ioannes II. Gener. XV. creatus A.C. 1268. præfuit ann. 2. obiit mense Octobri. 1270.

Bonifa-

Bonifacius Gener. XVI. creatus A.C.1270. Paulo post creationem suam obiit.

Bartholomæus Gener. XVII. præfuit menses. 2. obiit eodem anno 18. cal. Ianuarii.

Iacobus Gener. XVIII. creatus A.C.1270. præfuit an. fere. 2. obiit. 1272. 11. cal. Augusti.

Bonus Senensis Gener. XIX. creatus A.C.1272. præfuit an. 2. obiit in Concilio Lugdunensi. 1274.

Gerardus. II. Gener. XX. creatus A.C.1274. præfuit ann. 17. obiit. 1291. 6. Idus Aprilis.

Fridianus Gener. XXI. creatus A.C.1291. præfuit an. 6. obiit 1296.

Dauid, Monachus ordinis Cisterciensis Generalis XXII. creatus A.C.1266. Paulo post semotus a Generalatu.

Anselmus Gener. XXIII. creatus A.C.1300. die 6. post creationem suam defunctus est.

Gerardus. III. Foroliuiensis, Gener. XXIIII. creatus A.C.1300. præfuit an. 8. obiit anno 1307. quinto calendas Augusti.

Nicolaus de Soci, ex Priore Maiore Eremi, Gener. XXV. creatus A.C.1307. die. 12. Septembris, præfuit mens. 8. obiit anno 1308. Nonis Maii.

Accursius Castilioneus Aretinus, ex Abbate SS. Iusti, & Clementis Volaterris, Gener. XXVI. creatus A.C.1308. mense Iulio Poplenç, præfuit an. 7. obiit anno 1315. pridie calendas Iulii.

Bonauenturas, Gener. XXVII. creatus A.C.1315. die 16. cal. Augusti, præfuit an. 33. Obiit anno 1348. die octauo Idus Iunii. Fuit ante Prior S. Damiani Bononiæ.

Ioannes. III. ex oppido Burgi S. Sepulchri, Abbas S. Michaelis Pisarum, Gener. XXVIII. creatus A.C.1348. præfuit an. 41. Obiit anno 1387. die 3. Idus Ianuarii ætatis suæ 98.

Hieronymus Lapius, Vzanensis Florentinus. I.V.D. Abbas SS. Angelorum Florentiæ: Gener. XXIX. creatus A.C.1387. præfuit ann. 4. Obiit anno 1390. die 23. Nouembris.

Andreas Fauentinus. I.V.D. ex Priore Bononiensi Gener. XXX. creatus A.C.1390. quinto Septembris; præfuit an. 16. Obiit an. 1408. die 12. cal. Maii, apud Fontem bonum, & sepultus est in Capitulo Eremi.

Raphael Boucianus, Florentinus, Monachus Angelorum, Gener. XXXI. a Summo Pontif. designatus, recusauit, & in eius locum factus est.

Honoſtius, Abbas S. Saluatoris Florentiæ, Gener. XXXI. A.C. creatus 1408. præfuit an. 2. Obiit anno 1410. ſecundo Nonas Octobris, ſepultus in ſacra Eremo.

Antonius Parmenſis, Abbas Vangadiciæ, Gener. XXXII. creatus A.C. 1410. præfuit an. 9. & depoſitus eſt iuſſu Martini Papæ V. anno 1419. ſed poſtea factus eſt Ferrarię Epiſcopus. Scripſit nonnulla opuſcula, ſcilicet.

Sermones de tempore. lib. 1. Cum appropinquaſſet.
Sermones de Sanctis. lib. 1. Sermones quadrageſimales lib. 1.
Quædam etiam alia ad directionem prædicatorum: quæ utrum extent neſcio.

Raphael Boucianus, Florentinus, Prior S. Benedicti extra Florentiam, Gener. XXXIII. creatus A.C. 1419. præfuit an. 3. Obiit an. 1422. die 16. cal. Nouembris, ſepultus Rauennæ in S. Apollinare.

Benedictus Foro Iulienſis, Abbas SS. Iuſti & Clemētis Volaterris Gener. XXXIIII. creatus 1421. præfuit an. 9. Abdicauit anno 1421.

B. Ambroſius, è Porticu oppido Flaminiæ, Generalis XXXV. creatus A.C. 1431. præfuit in omni ſanctitate & doctrina, annis 8. Obiit anno 1439. die 12. calendas Nouembris Florentiæ, non ſine ueneni ſuſpicione: cuius corpus ad ſacram Eremum delatum, in templo ante maiorem Aram honorifice reconditum, ſequenti Bartholomæi Latomi Exaſticho ornatum cernitur:

Qui legis hunc tumulum, legeres ſi ſcripta ſepulti
Poſſent, hic oculis nuda patere tuis:
Quam fluit eloquio, quam dulciter afficit, utque
Nil niſi nectareum quolibet ore ſapit:
Diuinus fieres, nec quamlibet ante ſeiſſes,
Iurares dictum protinus Ambroſium.

Scripſit, ut erat uir omnium ſui temporis doctiſſimus, & in lingua Græca alter quodammodo Homerus,

De Sacramentis, Lib. 1. De Spiritu Sancto, Lib. 1.
Epiſtolarum, Lib. 1. Orationum, Lib. 1. & alia.

Tranſtulit de Græco in Latinum, Dionyſium Areopagitam, elegantiori & faciliori ſtylo: Vitam S. Ioannis Chryſoſtomi: Baſilium de virginitate: Laertium, de vita Philoſophorum: Chryſoſtomum ad Stagyrium monachum: S. Athanaſij quædam: S. Ephrem Syri ſermones aliquot: Ioannem Climacum; & alia multa.

Fuit Nuncius & Orator Eugenii Papæ IIII. ad Concilium Baſilienſe, in quo pro eo ſolemnem orationem ad Patres habuit.

Gome-

Gometius Lusitanus, monachus S. Iustinæ de Padua, & Abbas S. Mariæ de Florentia, Generalis XXXVI. iussu Eugenii Papæ IIII. creatus A.C. 1439. præfuit annis 2.

Eius uitam composuit Thomas Saluetius. I. V.D. quæ asseruatur Florentiæ.

Abdicauit, & in eius locum.

Iacobus Abbas S. Saluatoris Florentiæ usque ad capitulum, Vicarius Generalis substituitur.

Franciscus ex Priore Sancti Benedicti Generalis XXXVII. creatus A. C. 1441. pridie calendas Decembris: præfuit annis 13. Obiit anno 1454. Septimo Idus Septembris, & sepultus est in Sacra Eremo.

Mariotus Aretinus Petri filius, ex Allegria familia, Abbas Diciani, Gener. XXXVIII. creatus A. C. 1454. præfuit ann. 24. Obiit 1478. 4. cal. Octobris. sepultus in ædicula Sacelli sacræ Eremi.

Hieronymus I I. Grifonius Florentinus, DD. Doctor, Generalis XXXIX. electus. 5. id. Nouemb. A. C. 1478. præfuit annis duobus: Obiit Romæ anno 1480. pridie cal. Nouembris, annum agens 52. sepul. in S. Mariæ de Minerua.

Petrus Delphinus Venetus Victoris, & Luciæ Superantiæ, filius, XL. & vltimus Generalis perpetuus; Prior autem 45. creatus A.C. 1480. præfuit annis trigintaquinque plus minus: Hic anno Domini 1515. abdicauit, reseruata sibi in perpetuum pensione aureorum 300. & titulo Generalatus in uita; cui suffectus est, Benedictus a Mandolo sub nomine Vicarii Congregationis: Obiit tandem dictus Petrus Delphinus Venetijs anno 1525. die 17. cal. Februarii, ætatis suæ 81. Scripsit Epistolarum, librum 1. quas Iacobus Prior S. Martini Opitergii suis priuatis sumptibus imprimendas curauit.

Generales annui, Ordinis Camaldulensis. Cap. X X I.

1525. 1. PAVLVS Laudensis Generalis annuus primus; confirmatus per triennium.

1529. 2. Bernardus Pistorienſis professus cœnobii Angelorum Florentiæ.

1533. 3. Parisius Patauinus, professus S. Matthiæ Murani.

1537. 4. Mansuetus Bergomas.

1542. 5. Ioannes Baptista Patauinus.

1546.6. Clemens Romanus primus ex Eremitis Generalis annuus: an. 4.
1550.7. Laurentius Orafus Florentinus. an.2. professus monasterij Angelorum.
1552.8. Samuel Florentinus. an. 1.
1553.9. Antonius Pisanus Eremita. an. 3.
1556.10. Hyppolitus Nouarienſis, an. 5. monachus S. Michaelis Murani.
1561.11. Theophilus Balnenſis, an. 4. monachus S. Matthiç Murani.
1565.12. Aegidius Stupanus, an. 3. monachus Carcerum.
1568.13. Ioannes Baptiſta II. an. 4. Nouarienſis, Eremita.
1572.14. Romualdus Veronenſis, an. 3. monachus S. Michaelis Murani.
1575.15. Petrus Balnecaballenſis, an. 3. Abbas Claſſius.
1578.16. Antonius Piſanus, Eremita.
1581.17. Bartholomæus de Bagnacauallo, præfuit menſ. 2.
1581.18. Cherubinus de Lendinara.
1584.19. Stephanus de Saſſolo, Eremita.
1587.20. Philippus Fantoni Florentinus.
1590. 21. Petrus de Bagnacauallo.
1592.22. Simeon de Peruſio, Eremita.

Summi Pontifices Ordinis Camaldulenſis.
Cap. XXII.

GREGORIVS huius nominis IX. Hugolinus antea vocatus, Natione Campanus, patria Anagninus, ex nobili & antiqua familia Comitum Signiæ; Innocentij Papæ III. nepos, a quo Capellanus primo ſuus, mox Diaconus Cardinalis T. S. Euſtachij, ac demum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Veliternus factus eſt. Hic mortuo Honorio PP. III. cum in quadam Cella Camaldulenſis Eremi, (quæ vſque in hodiernum, Papæ, nomen retinet) ieiunijs & orationibus vacans recluſus detineretur, Romæ propè Septizonium in Diaconia Sanctæ Luciæ, omnium Cardinalium votis, altero ab Honorij morte die, uidelicet 13. cal. April. anni 1227. die Sabbati, in Summum

mum Eccleſiæ Paſtorem, vt ei quondam a S. Leonardo Eremita Camaldulenſi prædictum fuerat, abſens electus; ad S. Petrum, 5. cal. April. die Sancto Paſchæ, conſecrationis, & coronationis inſignia ſuſcepit. Inter multa quæ ad Dei Laudem, & Eccleſiæ decorem ſanctè & laudabiliter perfecit, Decretalium Libros quinque compilauit; Franciſcum Peruſij, Dominicum Reate, Antonium Patauinum nuncupatum Spoleti, Eliſabetham Hungariæ Regis Filiam, Romæ, inter Sanctos retulit; Synodum Lateranenſem, de Imp. Friderico. II. abrogando indixit, ſed captione Prælatorum, & morte prœuentus, minime celebrauit: in tantum enim animi mœrorem, ea de cauſa incidit, ut non multo poſt Romę obierit anno Domini 1241. die, 11. cal. Auguſti, Pontificatus ſui an. 14. menſe. 4. die. 3. Ordinationibus quatuor menſibus Septembri & Decembri celebratis, Cardinales vndecim, Epiſcopos, videlicet, ſex, Presbyteros tres, & Diaconos tres, creauit. Cadauer eius ſepultum in Baſilica S. Petri. Vacauit eo mortuo ſedes Romana, menſes 2. & diem unum.

Cardinales Ordinis Camaldulenſis, Duo. Cap. XXIII.

FRATER Angelus de Anna Neapolitanus Monachus Camaldulenſis, Epſ Summę ripę, & electus Laudenſis, creatus Diaconus Cardinalis T. S. Lucię in Septiſolio, ab Vrbano Papa VI. in quarta creatione anni 1395. 7. idus Ianuarij, Lucerię Chriſtianorum in Apulia; publicatus Genuæ eodem anno 17. cal. Nouembris: a Bonifacio Papa IX. factus Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ T. Paſtoris; & a Ioanne Papa XXIII. Epiſcopus Cardinalis Prænestinus, & Decanus collegij. Obijt Romæ menſe Iulij anno 1428. Neapolim translatus, in Eccleſia S. Mariæ de porta noua ſepultus eſt. ad cuius ſepulchrum ſequens Epitaphium legitur.

CARDINALIS DE ANNA V. LAVDENSIS.

Hoc iacet in tumulo Sacri de Cardine cœtus
Laudenſis dictus, ſenio pater optimus, iſti
Anna fuit generoſa domus, ſed amabile nomen
Angelus, angelicam pia mens reuolauit in aulam,
Milleno quadriceno bis denis octauoque iunctis
Currebat Chriſti menſis quoque Julius anni.

Panui-

ANNOTATIO.

Panuinus in Epitome dicit obiisse anno 1431. mense April. at ex præsenti Epitaphio errare conuincitur.

Frater Maphæus Gerardus Venetus, Abbas S. Michaelis de Murano, & Venetiarum Patriarcha 6. Presbyter Cardinalis T. SS. Nerei, & Achillei, creatus ab Innocentio VIII. in prima creatione, an. 1489. pridie idus Martij, Romæ. Obijt Narniæ, rediēs ex Vrbe Venetias, post comitia Alexandrina, an. 1492. Pontificatus Alexandri Papæ VI. anno I. Cadauer Venetias portatum, in Ecclesia Patriarchali S. Petri de Castello sepultus est cum hoc Epitaphio: *Maphæus Gerardus Patriarcha Venetiarum, & Dalmatiæ Primas, S. R. E. Cardinalis, locus carnis propriæ, terra est.*

Archiepiscopi Ordinis Camaldulensis. Cap. XXIIII.

ANTONIVS Picolhomineus, Senensis Abbas S. Saluatoris Berardingarum in territorio Senensi, primus Senarum Archiepiscopus, creatus à Pio, Papa II. *Augustinus Florentinus in 2. par. Histor. Camald. libro 3. cap. 20.*

Gregorius
Ingelbertus } discipuli S. Romualdi Archiepiscopi incertæ sedis.

Petrus, Abbas S. Michaelis Pisarum post Episcopus eiusdem ciuitatis Floruit anno 1070. *Aug. lib. 2. c. 9. par. 2.*

Episcopi Ordinis Camaldulensis. Cap. XXV.

AIMERIVS, Abbas Classis, Populiensis, creatus anno 1262. *Aug. p. 2. lib. 2. c. 20.*

Angelus de Anna, Monachus Camaldulēsis, Episcopus Patriæ, siue Summæ Ripæ, deinde anno 1395. Episcopus Laudensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis. *Aug. p. 2. lib. 4. c. 4.*

Antonius de Monte, Monachus Angelorum, Episcopus Ciuitatensis. Obiit 1545. 2. Decembris, sepultus in Ecclesia sua. *Aug. lib. 5. c. 2. p. 2.*

Antonius Simonis Mōsabrinas, Monachus Angelorum, primum Episcopus Minoris, in Regno Neapolitano, Deinde Episcopus Sutrij, & Nepij. Obiit anno 1557. septimo Septembris, in maiori basilica

lica conditus. *Aug. ibid.*

Anonymus quidam, discipulus S. Romualdi, Episcopus Nucerinus, in Regno Neapolitano, sed Simoniacè electus, Floruit an. 1030.

Antonius Parmensis, olim Abbas Vãgadiciæ, & Generalis 32. deinde Episcopus Ferrariensis. Floruit anno 1430. *Aug. par. 1. lib. 2. cap. 64.*

Eusebius Priolus Venetus, Monachus S. Michaelis de Murano, Episcopus Vegiensis, Veneno obiit. Floruit anno 1530. *Aug. par. 2. lib. 4. cap. 27.*

Gratianus Gratiani, Abbas, primus Burgi S. Sepulchri Episcopus.

Sanctus Hieronymus Pragensis, I. V. D. & Theologus Eremita accepta facultate concionandi, cum Episcopali potestate, Lituanos ad fidem reduxit. Obiit Venetiis anno 1440. Fuit in Concilio Basileensi. Scripsit multa opera inter quæ sunt;

Sermones Dominicales, Lib. 1.
Sermones de Sanctis, Lib. 1.
Sermones Quadragesimales, Lib. 1.
Sermonem de Sancto Romualdo.
Orationum in concilijs, Lib. 1.
Contra hæreticos, Lib. 1.
Contra errores Græcorum, Lib. 1.
De corpore Domini, Lib. 1.

} Hæc omnia opera asseruantur manuscripta, in Sacra Eremo Camaldulẽsi, ut ait *Aug. p. 1. lib. 2. c. 67.*

Theophilus Martini Balnensis, Monachus Balnensis, & Abbas, postmodum, & Episcopus Driuastensis in Creta. Floruit anno 1500. *Aug. par. 2. lib. 4. c. 31.*

Paschalis Venetus, Monachus Carcerum iuxta Atestum, Episcopus Arbiensis, à Sixto Papa V. creatus; viuit.

Sancti, & Beati, Ordinis Camaldulensis, quorum dies mortis ignoratur, ordine Alphabetico. Cap. XXVI.

A

B. AGNES, nata Sarsini, Balnensis Abbatissa: in cuius Natali Balnearum aquę extra morem lucem emittere solent, & concrescere: Quiescit in Tẽplo Castri Pereti parui.

B. Angelus Germanus, Obij Florentiæ in Monasterio Angelorum, anno 1439.

B. Angelus de Massacio, concionator insignis, occisus ab hæreticis 1458.

B. Am-

B. Ambrosius Generalis XXXV. supra cuius sepulchrum Camaldu-
li, candida lilia nata referuntur.
B. Anselmus Eremita, qui habitum S. Alberto dedit.
B. Azzo, discipulus S. Romualdi, uixit anno 1020.

B

S. Bartholomæus Pisanus, cuius corpus Pisis uisitur integrum, in Ecclesia Sancti Friddiani.
B. Berardus, discipulus S. Romualdi, uixit anno 1020.
B. Bonus, Pisanus, Eremita Sacræ Eremi; Obijt anno 1070.
B. Bonus alter, Fundator Cœnobij S. Michaelis Pisis.

C

B. Carus, Eremita sacræ Eremi.
B. Charimerius, Eremita Sacræ Eremi.
B. Cornelius Calaber, perpetuus reclusus: prædixit Pontificatum Pij Papæ II.
B. Cyprianus Eremita sacræ Eremi.

D

B. Daniel Germanus, de Vngrisgrach, cuius corpus incorruptum uisitur in Monasterio S. Matthiæ de Murano, Venetiis. Strangulatus est à latronibus anno 1411.
B. Dominicus Senensis, ædificator Cœnobij Sancti Vigilij, in quo quiescit.
B. Dominicus Vernagalli, Pisanus, cuius corpus honorificè reconditum cernitur in cœnobio S. Michaelis Pisis; Obiit an. 1219.

E

B. Eusebius, Suessanus, prophetię spiritu plenus, & aliorum miraculorum patrator magnificus.

G

B. Gaudentius, S. Romualdi discipulus.
B. Guido, primus Generalis totius Ordinis, admitandæ humilitatis.
B. Guido, Comes, Farolti Comitis filius, discipulus S. Romualdi, ad cuius sepulchrum cæcus quidam visum recepit.
B. Guido, Senensis, Eremita.
B. Guglielmus, Eremita sacræ Eremi.
B. Gregorius, Eremita sacræ Eremi, Aretinus.

H

S. Hieronymus Pragensis, Eremita Episcopus, & Apostolus Lituanorum, de quo inter Episcopos.

B. Iaco-

I

B. Iacobus, Pœnitentiarius, & Eremita.
B. Incognitus, Conuersus Classis iuxta Rauennam.
B. Ioannes Baptista Lucensis, Eremita, cui diuinitus à B. Dei genitrice Maria, dies mortis reuelata est.
B. Ioannes, Ciuitacastellensis, sacrę Eremi cultor.
BB. Ioannes, & Gerardus, fundatores Monasterii Sanct. Matthiæ de Murano.

L

B. Laurentius de Stia, Eremita reclusus.
B. Leonardus Eremita, reclusus; qui prędixit Pontificatum Gregorij Papæ IX.
B. Lucia Bolonienſis, miraculorum gloria illustris.

M

B. Mannus, Claret Perusij in Ecclesia S. Seueri.
B. Marinus, Eremita, magister S. Romualdi, martyrio coronatus à Saracenis in Apulia.

N

B. Nicolaus, Germanus, Eremita Camalduli.

P

B. Petrus Dagninus, discipulus S. Romualdi, primus Prior sacræ Eremi.
B. Paulus Eremita.
B. Paulus Iustinianus, Venetus, Eremita: Congregationis Montis Coronę princeps. Obijt anno 1528. mense Augusti.
B. Petrus de Bifurco, discipulus S. Romualdi, primus Prior sacræ Eremi.
B. Petrus Abbas Vangadiciæ, vir doctus, & pius, scripsit inter alia. De vita S. Theobaldi Eremitæ, Lib. 1. extat MS.

R

Sanctus Rodulphus II. Generalis IIII. vir admirandæ pietatis, & doctrinæ, scripsit: Constitutiones sacræ Eremi Camaldulensis, Lib. 1. extant Camalduli. MS.

S

B. Sergius, Rauennas, Pater S. Romualdi, vir pius, & deuotus.

Alij

Alij Sancti & Viri illustres, qui putantur Ordinis Camaldulensis. Cap. XXVII.

PRAEFATOS omnes accepimus partim ex uita S. Romualdi Abbatis, a S. Petro Damiano cõscripta; partim ex descriptione S. Eremi, a Siluano Razzo Florentino, & Andrea Mugnotio Hispano, historijsque Camaldulensium Augustini Fortunij Florentini; & catalogis duobus MS. Sãctorum, & Beatorum huius Ordinis, a Donno Seuero Monacho S. Marci Mantuæ Ord. Camald. mihi amicissimo & familiarissimo, ad me transmissis; In quibus catalogis, vt & in historijs similiter Camaldulensibus, descripti & annumerati erant, pro monachis, Episcopis, Sanctis, & Beatis præfati Ordinis, Episcopi. 10. ex Monasterio S. Crucis de Auellana assumpti: S. Bonifacius, Monachus S. Alexij Romæ & Episcopus Russorum: SS. Ioannes, Benedictus, Matthæus, Isaac, Christinus, & Barnabas, Monachi partim S. Alexij, & partim Brounouienses in Boiemia: S. Ioannes Gualbertus Monachus S. Miniati Florentiæ: S. Ioannes Gradenicus, Monachus S. Michaelis de Cusano in Vasconibus, & deinde primus Abbas S. Georgij Maioris Venetiarum: S. Guarinus Abbas, & S. Petrus Vrseolus quondam Dux Venetiarum, & S. Michaelis de Cusano Monachus sub Guarino Abbate: S. Petrus Damianus S.R.E. Cardinalis Monachus & Abbas S. Crucis de Auellana: & Olibanus Comes, monachus Montis Casini: quos omnes de industria prætermisimus, quamuis sciamus S. Romualdi contemporaneos, maioriq́ue ex parte discipulos eius fuisse, quod, vti ex libris Ioannis Trittemij Abbatis de vir. Ill. Ord. S. Ben. Bonfinio in historijs Vngaricis; Ioanne Dubranio in Boiemicis; Petro Damiano in vita S. Romualdi; Leone Ostiensi in Chronicis Casinensibus; Carolo Sigonio de Regno Italiæ; quibusdam scriptoribus rerum Veneticarum, & alijs permultis, certo certius appareat antedictos omnes, numquam Albo, sed Nigro amictos colore fuisse; eorumq́ue plures diem obijsse, priusquam S. Romualdus de mutatione habitus cogitaret. His paucis prælibatis ad scriptores Ecclesiasticos posteris notificandos accedimus.

Eccle-

Ecclesiastici Scriptores Ordinis Camaldulensis.
Cap. XXVIII.

B. AMBROSIVS Abbas Generales, de quibus Antonius Parmensis. ibi.

Augustinus Fortunius, Florentinus, Monachus Angelorum Florentiæ Ordinis Camaldulensis, vir in dicendo facundus, scripsit

Historiarum Camaldulensium partes duas. Prima pars continet libros tres, impressa Florentiæ 1575. in quarto.

Secunda continet lib. 5. excusa Venetijs 1579. in quarto.

Commentaria Italico Sermone in vitam S. Romualdi: & Translationē eiusdē Sācti, eodē idiomate: excusa simul cū Vita S. Romualdi, Florētiæ an. 1586. in octauo. Adhuc viuit.

Bernardinus Gadolus, Brixianus, Abbas Camaldul. uir non minoris Sanctitatis, quā doctrinæ, qui uixit an. 1496. scripsit inter alia;

In omnes Bibliæ libros, Commentaria.

De fugiendo seculo, & Religione amplectenda, lib. 1.

Contra Superbiam & ambitionem, lib. 1.

Opera S. Hieronymi in ordinem redegit.

Sermonum, qui extant, lib. 1.

Epistolarum, lib. 1.

Mortuus, sepultus est in Monasterio Camaldulensi honorificè.

B. Gregorius Papa IX. supra.

S. Hieronymus Pragensis, supra.

Ioannes Baptista Cremensis, monachus Camaldulensis, transtulit de Latino in Italicum, vitam S. Placidi Abbatis & martyris a Gordiano compositam, quæ Typis excusa est Venetijs anno 1583. in octauo.

Maurus Lapius, monachus S. Matthiæ de Murano, scripsit,

De uita B. Petri de Sardinia, monachi S. Michaelis de Murano: lib. 1. extat ibidem MS.

Nicolaus Malerbius Venetus, Abbas S. Michaelis de Lemo deinde S. Matthiæ de Murano, Ordinis Camaldulensis, vir pius, & doctus, transtulit de Latino in Italicum Sermonem Vitas siue legendas Sanctorū, & plures alias inseruit, excusas Venetiis 1571. in 4.

Biblia Sacra: excusa Venetijs an. 1525. 23. Decemb. in Folio.

P au-

Paulus Orlandinus, Florentinus, monachus Angelorum Florentiæ, Græcè, & Latinè doctus, qui floruit anno 1512. scripsit,

Dialogorum de Theologia, lib. 3.
De Theologia separata, lib. 1.
De Thelogia mixta, lib. 1.
Disputationum super Epistolam S. Hieronymi ad Paulinum, quæ incipit, F. Ambrosius: Lectiones 24.
Sermones 32. & alia nonnulla.

Petrus Abbas Vangadiciæ, uide in Beatis.
Petrus Delphinus, Generalis, uide ibi.
Philippus Fantoni, Monachus Camaldulensis, Philosophus, & Mathematicus, & eiusdem disciplinæ in publico Pisanorum Studio professor, scripsit De modo reducendi annum ad suum legitimum numerum, lib. 1.

Et alia nonnulla quæ nondum uidi. Floruit anno Domini 1570.

B. Rodulphus II. Generalis, uide in Beatis.
S. Romualdus, uide supra.
Sebastianus a Fabriano, Monachus Camaldulensis, qui etiam nunc uiuit, composuit, Missarum, Quinis, & Senis uocibus lib. 1. qui excusus est Venetiis apud Riciardum Amadinū, an. 1593. in quarto.

Comites Ordinis Camaldulensis. Cap. XXIX.

AMBROSIVS Moncata, præclaræ indolis iuuenis, clarissimi Comitis Aïtonę, citerioris Hispaniæ Frater Germanus, qui ex vetustissima, illustrissimaque, & Moncatæ & Cardonæ Ducum familia originem trahens, spretis mundi huius diuitijs, eiusque illecebris, vt diuinis obsequiis melius vacare posset, summo omnium exemplo, in eius ætatis flore, sanctæ Eremi solitudinis locum, in suam habitationem, ac requiem elegit, & vitæ Sanctæ splendore, illustrem admodum sacrum illum locum reddidit. Floruit anno Domini 1580.

Siluanus Razzi, Florentinus, de Manardi, Monachus Camaldulensis, linguæ Ethruscæ alter Cicero; scripsit multa opera in eadem lingua, de quibus vidi.

De Descriptione sacrę Eremi lib. 1. excusus Florętię 1583. in 8.
Collectorium orationum ad Christum, & B. Virginem: excusum sæpius in multis Italiæ ciuitatibus, in diuersis formis.

Coro-

Coronam Domini, siue de Vita Iesu Christi, in modum precationis: excus.

Vita Beatæ Virginis, & S. Ioannis Baptistæ.

Vitæ quatuor Illustrium uirorum, uidelicet Magni Cosmi Ducis Ethruriæ, &c.

De misericordia lib. 1.

Miraculorum B. Virginis Mariæ, lib. 1.

De vita Christi, lib. 1.

Deuitis Sanctorum & Beatorum Ethruriæ: lib. 1.

Composuit & pro maiori parte, vitas illustrium Pictorum, quæ sub nomine Georgii Vasari Equitis excusæ sunt Florentiæ in tribus tomis 1568. in quarto.

Traduxit & de Latino in Italicum sermonem.

Euangelistarium Marci Maruli, excus. Venetijs 1580. in quarto.

Regulam S. P. N. Benedicti, cui, & annotationes aliquas adiecit, excusa Florentiæ 1574. in quarto.

Ioannem Ferum, de Passione Domini, quæ suspensa fuit simul cum aliis Ioannis Feri, Operibus.

Fecit, & adhuc secularis, Cæcam, Braham, & Constantiam, Comædias; necnon, & Tragædiam Sigismundam.

Et alia multa composuisse fertur, quæ ad meam notitiam non venerunt. Floruit anno Domini 1580.

Ventura Minardus Atheſtinus, Monachus Camaldulēſis, qui floruit anno Domini..... composuit.

Monopanton, de Balneis Calderij in agro Veronensi, excusum Venetijs, anno 1571. in octauo.

Vitalis Zuccolus Patauinus Abbas, scripsit

Dialogorum super Metheoras, Lib. 1. excus.

Enarrationum super conc. Tassi, Lib. 1. excus.

Traductionem Cambiorum iustorum, excus. Venetijs anno 1588 Georgius Angelierius, in octauo.

Commentariorum, & Quæstionum supra Platonem, nondum excusæ.

Octoginta Sermones super Cantica Cāticorum; nondum excusi.

Et alia multa adhuc imperfecta. Adhuc viuit.

De origine Congregationis Eremitarum S. Romualdi, qui aliter Grotani, siue Montis Coronæ Eremitæ vocantur. Cap. XXX.

ANNO circiter Domini 1520. incepit Congregatio Eremitarum S. Romualdi, siue Montis Coronæ, qui in nullo à Sacræ Eremi consuetudinibus differunt, nisi quod Palliũ, Cuculli loco semper gestent. Excitata autem fuit huiusmodi Congregatio à Paulo Iustiniano, quondam Patritio Veneto, & Eremita Camaldulensi, qui altiori, & feruentiori desiderio inflammatus, accumulandi Deo gloriam per Sanctæ Camaldulensis solitariæ vitæ studium, litteras à Sancta Sede Apostolica impetrauit, vt ubicunque terrarum ipsam Camaldulensem Religionem dilatare sibi liceret, sicut ex Diplomate liquet, dato mense Augusto 1520. Habitauit autem Paulus primum, cum quodam Oliua conuerso ad S. Hieronymi de Pascialupo Diœcesis Eugubinæ, deinde apud Oppidum Massacium, quarundam speluncarum habitator factus, suæ Religionis & Congregationis fundamenta iecit, quæ à speluncis, & grotis, Grotanorum, siue Montis Coronæ, Eremitarum denominationem accepit. Obijt Paulus ad Eremum S. Orestis, anno Domini 1528. vbi & sepultus est mense Augusto. Vir doctus cum fuisset multa Volumina à se edita posteris reliquit, quæ pro maiori parte, in ædibus Francisci sui nepotis Patritij Veneti asseruantur.

Præcedentis Congregationis scriptores. Cap. XXXI.

DONNVS Lucas Hispanus, Monachus, & Eremita Camaldulensis Congregationis Montis Coronę, his nostris temporibus, scripsit de Origine Congregationis suæ, lib. 5. excusos Latinè in Eremo Montis Vendæ: & Italicæ Venetijs apud Nicolaum Misserinum. 1590. in 8.

De

De Secundo Stellato, Sancto Ioanne Gualberto Florentino, Fundatore Monachorum Ordinis Vallis Vmbrosæ. Cap. XXXIII.

QVI Sanctum Romualdum inter Stellatos proximè insequitur, dextra Regulam Diui P. N. Benedicti, sinistra Christi Crucifixi imaginem tenens, is est S. Ioannes Gualbertus Ordinis Vallis Vmbrosæ Instituitor, qui Patre Gualberto Florentino, Petroi oppidi Domino, quod in Regione Vallis Pesæ inter Senas, & Florentiam situm est, natus, militaribus primum disciplinis una cum Fratre Hugone operam dedit, qui cum non multo post a quodam milite incaute occisus fuisset, occasionem Ioanni dedit inimicitias ob interfectum Fratrem cum illo milite gerere. Quem cum multos dies persecutus fuisset, tandem ei apud Monasterium S. Miniatis ad Montem cum armatorum manu occurrit, & gladio euaginato in eum cum ualido clamore irruit: qui cum se circunuentum uideret, nec ullam salutis spem relictam prospiceret, ad eius pedes humiliter procidit, supplexque per eum qui pro salute humani generis eo die Crucis ascenderat patibulum. (erat enim tunc feria sexta parasceues) ueniam sibi condonari postulauit, & fraternę cędis culpam ignosci. Quibus uerbis ac precibus Ioannes impulsus, manum cum ferro repressit, & quasi tunc uocem Iesu in Cruce pendentis audisset, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*, omne illud quod de Fratris nece odium conceperat confestim infregit, culpam omnem condonauit, frementemque manibus suis erigens, ac bono animo esse iubens, in domum suam deduxit, & in germani præmortui locum surrogauit, ac demum Christi causa impune, ac illæsum abire permisit. Quæ res, quam Deo grata, quamque accepta fuerit, miraculo comprobauit, nam cum Ecclesiam S. Miniatis ingressus, Crucifixum, ante cuius imaginem genuflexus astabat, humiliter pro suis sceleribus imploraret, illico cunctis qui ibi aderant cernentibus ea Crucifixi imago motu capitis illud quod gestum erat comprobasse uisa est, quasi facti gratias agens. Quod quidem posteris pro celeberrimo miraculo eadem Crucifixi imago, usque in præsens ibidem demonstratur. Quo miraculo attonitus Ioannes, relictis omnibus, eiusdem loci Cœnobio, a Congregationis Cluuiacensis Monachis inhabitato, se addixit. Quod cum Simoniaca corru-

ptione, ſicut reliquam Vrbem, & pene omnem Italiam, labefactactum conſpiceret, inſpirante Deo, & ſtudio perfectioris Eremiticæ Vitæ captus, ad S. Romualdum toto tunc Orbe celebrem, conuolauit. cuius magiſterio cum aliquamdiu uſus fuiſſet, nouiſſimè ab illo hiſce uerbis dimittitur. Rumpe moras Frater, qui Benedictus a Domino Nobilis Profecto, Magnæque Deo Opt. Max. acceptæ nouæ Congregationis iam iam fundamenta iacies. Rumpè inquam moras, & in nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, in uocationem tuam incumbe. Itaque tanti Patris Benedictione accepta, in eum locum ubi Vallis Vmbroſa dicitur iuxta Apenninum ſeceſſit, ubi idoneo, ad ſeruiendum Deo, comperto loco, Vallis Vmbroſani Ordinis, ſub norma S. Benedicti, & habitu Veneti coloris (qui a nonnullis Griſeus uocatur) quo & nunc utuntur, fundamenta iecit, circa Annum Domini 1040. Qui poſtea in diuerſis Italiæ partibus longè lateque diffuſus, ab Alexandro Papa II. Anno Chriſti 1070. comprobatus eſt.

Generales perpetui Ordinis Vallis Vmbroſæ.
Cap. XXXIIII.

SAnctvs Ioannes Gualbertus, Florentinus, primum Monachus Monaſterij S. Miniatis Florentiæ Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacenſis, deinde S. Romualdi Abbatis Diſcipulus, & Eremita; poſtremo Ordinis Vallis Vmbroſæ primus Inſtitutor circa annum Domini Milleſimum Quadrageſimum; ordinem a ſe fundatum in omni Sanctitate rexit, eique Abbas, & Generalis primus præfuit annis plus minus triginta tribus: & tandem Miraculorum gloria clarus migrauit ad Dominum Anno Milleſimo Septuageſimo tertio, quarto Idus Iulij: & in Monaſterio ſuo Vallis Vmbroſæ ſepultus eſt, Canonizatus a Gregorio Papa VII. ac demum a Cęleſtino Papa III.

Beatus Rodulphus Florentinus, ex primis S. Ioannis Gualberti Diſcipulis Abbas S. Petri de Maſcheto, deinde eo mortuo, ſecundus Ordinis Generalis creatus anno Domini 1073. die 13. Iulij, præfuit Annis tribus, & Menſibus quatuor: Obijt anno 1076. die 12. Nouembris, & ſepultus eſt in Valle Vmbroſa in Sacello Beatorum.

Beatus Ruſticus Florentinus, ex primis S. Ioannis Gualberti diſcipulis,

pulus, Prior S. Michaelis de Passignano, exinde Generalis Tertius, creatus anno 1076. die 13. Nouembris, præfuit Sanctissimè annis 15. & mensibus quatuor: Obijt anno 1092. die 12. Martij, sepultus in Valle Vmbrosa.

Beatus Erizus, siue Ericius, Florentinus, primus S. Ioannis Gualberti discipulus, a quo constitutus est Decanus Monasterii, deinde Generalis Quartus, creatus anno 1092. die 13. Martij, præfuit anno uno, mensibus 10. diebus 28. Obijt anno 1094. die 9. Februarij, sepultus in Valle Vmbrosa. Vacauit Monasterium (si rectè numeri positi sunt) menses Octo.

Florentius Florentinus, Generalis Quintus, creatus anno 1094. die 10. Octobris, præfuit in omni puritate anno uno, & mensibus 2. Obijt anno 1095. die 10. Decembris, sepultus in Valle Vmbrosa.

Almarius Florentinus, Generalis Sextus, creatus an. 1095. die 11. Decembris, præfuit anno uno, mensibus 8. diebus 26. Obijt anno 1097. nonis Septembris, sepultus in Valle Vmbrosa.

Sanctus Bernardus, de Vbertis, Florentinus, Abbas Monasterij S. Saluij exinde totius Ordinis Generalis VII. creatus anno 1097. die sexto Septembris, præfuit annis 35. mensis duobus, diebus 29. Ab Vrbano Papa II. S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus, postmodum a Paschali Papa II. Legatus Apostolicus, & Parmensis Episcopus consecratus est. Obijt miraculis clarus anno Domini 1133. pridie Nonas Decembris, & in Cathedrali Parmensi sepultus est. Vacauit sedes dies 27.

Sanctus Atthus, Hispanus, verbi Dei declamator insignis, Generalis VIII. creatus anno 1034. in principio anni, præfuit annis 19. mensibus 4. diebus 22. Aliquot ante mortem annis factus est Pistorij Episcopus; Obiit miraculis coruscus anno 1153. die. 22. Maij: sepultus Pistorij in Ecclesia S. Ioannis Rotundi. Inde post 154. annos, eleuatus die. 11. Iunij, incorruptus inuentus est. Scripsit inter alia,

De translatione capitis S. Iacobi Apostoli, ex Hispania, ad suam Ecclesiam, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Gualdus, Generalis IX. creatus anno 1153. circa calendas Iunias, præfuit in omni religiositate annis 2. mensib. 2. diebus 9. Obijt anno 1155. die nono Augusti: sepultus in Valle Vmbrosa.

Ambrosius Florentinus, Generalis X. creatus anno 1155. die. 10. Augusti, qui ob singularem uitæ pietatem Florentinus Episcopus

factus est, præfuit annis 2. mensibus 9. diebus 16. Obiit anno 1158 die 26. Maii, & Florentiæ sepultus est.

Martinus Iuris Vtriusque consultissimus, Generalis XI. creatus anno 1158. die 27. Maij præfuit annis 7. mensib. 7. diebus 3. Obiit anno 1165. die 30. Decembris: sepultus in Valle Vmbrosa.

Iacobus Florentinus Generalis XII. creatus anno 1165. vltimo Decembris, præfuit annis 3. mensibus 10. diebus 4. Obiit anno 1169. die 3. Nouembris, sepultus in Valle Vmbrosa.

Tertius, Generalis XIII. creatus anno 1169. die 4. Nouembris, præfuit annis 20. mensibus 7. diebus 23. Obiit anno 1190. die 26. Iunii, & sepultus est in Valle Vmbrosa.

Martinus Bergomensis, Abbas Monasterii S. Sepulchri de Astino, & Generalis XIIII. creatus anno 1190. die 27. Iunii, præfuit annis 16. mensibus 5. diebus 3. Obiit anno 1206. die 29. Nouembris, & sepultus est in Valle Vmbrosa. Vacauit Monasterium diem vnum.

Beatus Benignus, Florentinus, Generalis XV. creatus anno Domini 1206. die Calendarum Decembris, præfuit annis 29. mensibus 7. diebus 17. Obiit anno 1236. die 17. Iulii.

Valentinus, Generalis XVI. creatus anno 1236. die 18. Iulii, præfuit annis 16. & indignum se indicans tanti honoris abdicauit anno 1252. mense Iulio: duobus annis in omni sanctitate superuiuens, obiit anno 1254. die 13. Martii, & sepultus est in Valle Vmbrosa.

Sanctus Thesaurus, Papiensis, Longobardus, familia Beccaria, Valentino abdicante Generalis XVII. creatus mense Iulio anno 1252. præfuit annis sex, mensibus duobus, diebus aliquot. Ab Alexandro Papa IIII. S.R.E. Cardinalis, Legatusque Apostolicus, contra Guelforum, & Gibellinorum factiones creatus, ab impiis, quod eorum vicia increparet, crudeliter occisus, capitis obtruncatione martyrii palmam promeruit anno Domini 1258. die 12. mensis Septembris: Visitur Florentiæ diuersis in locis depictus cum hac inscriptione; *Sanctus Thesaurus Abbas, & Martyr.* Sepultus est in monasterio Vallis Vmbrosæ.

Plebanus, Generalis XVIII. creatus anno 1258. die 13. Septembris, præfuit laudabiliter annis 13. mensibus 10. diebus 26. Obiit anno 1272. die septimo Augusti.

Iacobus II. Generalis XIX. creatus anno 1272. die 8. Augusti, præfuit ut erat uir pius, & deuotus cum omni laude annis 5. mensibus duobus diebus 27. Obiit anno 1277. die 3. Nouembris.

Valentinus II. Abbas S. Bartholomæi de Ripolis, deinde Generalis

ralis XX. creatus anno 1277. pridie Nonas Nouembris, præfuit annis 23. mensibus tribus, diebus 6. Obiit anno 1301. die 10. Februarii.

Ruggerius Buondelmonti, Florentinus, Abbas San. Michaelis de Passignano, & exinde Generalis XXI. creatus anno 1301. die 11. Februarii, præfuit ann. 18. & mensibus aliquot. Obiit an. Domini 1318. die..... Sepultus est in Valle Vmbrosa.

Ioannes II. Bergomensis, familia Triuiolo, Abbas S. Sepulchri de Astino, Generalis XXII. creatus anno 1319. præfuit annis plus minus quinque. Obiit anno 1324. die 4. Nouembris.

Benedictus Florentinus, Abbas S. Saluii, deinde General. XXIII. creatus anno Domini 1324. & à Ioanne Papa XXII. confirmatus, præfuit annis plus minus 22. Obiit anno 1346.

Beatus Michael, Aretinus, Monachus, & Eremita Cellarum Vallis Sassinæ, ac Generalis XXIIII. creatus anno 1346. præfuit in omni sanctitate annis plus minus 24. Obiit anno 1370. die 20. Augusti, & sepultus est in Sacello Beatorum Vallis Vmbrosæ: cuius corpus odorem suauissimum respirare uisum est.

Simon de Gauilla, territorio Vallis Arni, Abbas S. Petri Montis Viridis primum, deinde Abbatia relicta, Eremita Cellarum Vallis Sassinæ; postea nolens, ac renitens, Abbas S. Trinitatis Florentiæ; ad extremum Generalis XXV. creatus anno 1370. die 21. Augusti: præfuit laudabiliter annis plus minus 18. Obiit anno 1387. & sepultus est in Valle Vmbrosa.

Benedictus II. de Monte Lucho, ex Abbate S. Laurentii Cultus boni, & S. Michaelis de Passignano, Generalis XXVI. creatus an. 1387. præfuit annis plus minus 13. Obiit anno 1400. Sepultus in Valle Vmbrosa.

Bernardus II. Florentinus, ex familia Gianfigliazzi, Abbas S. Michaelis de Passignano, & Vallis Sassinæ, deinde Generalis XXVII. creatus anno 1400. præfuit annis 22. Obiit in Monasterio S. Trinitatis Florentiæ, anno 1422. Et sepultus in Monasterio Vallis Sassinæ, vbi quondam fuerat Abbas.

Ricciardus, de Monte Lucho, in districtu Florentiæ, Abbas S. Pancratij Florentiæ, deinde Generalis XXVIII. creatus anno 1422. Præfuit annis plus minus 12. Anno autem 1434. factus Episcopus Massæ ab Eugenio Papa IIII. officio cessit.

Placidus Pauanellus, Patauinus, Monachus Monasterii S. Benedicti de Mantua, Congregationis S. Iustinæ, anno 1434. Gener. XXIX. & Abbas Vallis Vmbrosæ ab Eugenio Papa IIII. creatus: præfuit Cō

gregationi annis plus minus 13. Et anno 1447. ab Nicolao Papa V. Episcopus Biblæ renunciatus, postea Parentinus, mox Torcellanus, ubi senectute grauis, anno Christi 1466. diem obiit, & ibidem sepultus est.

Per triennium Generalatus Vallumbrosanus vacauit, ab anno videlicet 1447. ad annum 1450.

Franciscus Altouiti, Florentinus, Abbas S. Michaelis Passignani, deinde Vallis Sassinæ, postremo tertio vacantis sedis anno, Christi Domini 1450. Generalis XXX. creatus; præfuit an. plus minus 29. Obiit Guarloni prope Florentiam anno Domini 1479. die 22. Aprilis, & sepultus est in Monasterio Vallis Sassinæ.

Blasius Milanensis Florentinus, ex Decano, Abbas, & Generalis XXXI. creatus anno 1479. die 23. Aprilis: Præfuit prima uice annis plus minus 36. Anno enim 1515. a Leone Papa X. priuatus, & Caietæ in exilium relegatus, ibidem mansit vsq; ad tempora Adriani Papæ VI. à quo anno 1523. in integrum pristinæ dignitati restitutus, eodem anno, die 22. mensis Iulii. Romæ in Monasterio S. Praxedis obiit, & inde ad Monasterium Vallis Vmbrosæ reportatus, ibidem sepultus est.

Ioannes Maria Florentinus, de Canigianis, Ordinis S. Dominici, Blasio amoto, à Leone Papa X. Generalis XXXII. in eius locũ creatus anno 1515. præfuit annis paulo amplius octo: inde Episcopus Hipponæ, & Suffraganeus Pistorienſis factus, dignitati Generalatus cessit, anno Domini 1523.

Blasius, iterum anno 1523. in officio repositus, eodem anno obiit. Quo mortuo Generalatus perpetuus cessauit, factique sunt Præsidẽtes triennales, quorum Catalogus hic sequitur.

Præsidentes Triennales, Ordinis Vallis Vmbrosæ.
Cap. XXXV.

IOANNES Spigliatus Florentinus, Primus Præsidens Triennalis, creatus anno Domini 1524. præfuit annis tribus.

Clemens à Puppio.

Petrus Florentinus.

Marcus Bartoli Florentinus.

Hilarius Alceus de Empolis, vir doctissimus, & qui studia litterarum

rum in Ordine Vallis Vmbrosæ primus instituit.

Modestus de Prato Veteri.

Attus Carducci Florentinus.

Constantius de Prato Veteri.

Attus Carducci, secundò.

Pacificus de Prato Veteri.

Constantius, secundò.

Philippus de Berti, Florentinus.

Nicolaus Hungarus, Sanctissimæ vir uitæ.

Arsenius, primum Monachus Vallis Vmbrosæ, deinde Eremita Camaldulensis, interuentu Cardinalis Montis Pulciani Protectoris Congregationis, a Gregorio Papa XIII. Præsidens creatus, in officio fuit menses 22. & ab eodem tanquam minime idoneus, ab officio remotus, ad Eremum suam reuersus est.

Columbinus de Alfiano, ex Abbate S. Praxedis Romæ, opera Cardinalis Iustiniani, qui eius in rebus agendis prudentiam nouerat, primus Præsidens quadriennalis creatus, officium suum strenuè impleuit.

Saluator à S. Saluio, Florentinus.

Adrianus de Palestina, Romanus, fauore Cardinalis Sanctelli potius, quam aliquo suo merito, talem dignitatem obtinuit.

Valerianus Florentinus, uir litteratus, ex Abbate S. Trinitatis Florentiæ, creatus in Monasterio S. Michaelis de Passignano.

Aurelius Foroliuiensis, vir prudens, & Religiosus, nunc præest.

Cardinales S. R. E. Ordinis Vallis Vmbrosæ.

Cap. XXXVI.

S Anctvs Petrus, cognomento Igneus, Florentinus, Monachus Vallis Vmbrosæ, mediocri genere ortus; is qui pro Catholicæ Fidei veritate, per immensum ignem illæsus transiuit, ex Abbate Ficiclense, a Gregorio Papa VII. anno Domini 1075. S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Albanus Episcopus renunciatus, Obijt miraculis clarus, anno Domini 1094. sexto Idus Ianuarij, & in Monasterio Vallis Vmbrosæ sepultus est.

Sanctus Bernardus de Vbertis, Florentinus, Monachus primum Vallis Vmbrosæ, exinde Monasterij S. Saluij Abbas, post Generalis totius

totius Ordinis Septimus,ad extremum S.R.E. Presbyter Cardinalis Tituli S.Chrysogoni anno 1099. ab Vrbano Papa II. inuitus, & renitens pronunciatus, demum a Paschali Papa II. Italiæ Legatus, & Episcopus Parmensis constitutus est. Obijt anno Domini 1033. pridie nonas Decembris,& in Ecclesia Cathedrali Parmensi sepultus est cum sequenti Epitaphio, anno 1548. posito.

Diuus Bernardus, ex Nobili Vbertorum familia, in Collegium Cardinalium,ab Vrbano II. coaptatus : a Paschale II. ratam Parmensium electionem faciente, creatus Parmæ Episcopus,ex ueteri Sepulchro,ubi per quadringentos, & amplius annos iacuerat,in proxima ara translatus est, Ann. 1548. die 8. Julij. Paulo III. Pont. Max. Sedente.

Sanctus Thesaurus,Papiensis, Longobardus, ex nobili Beccariorum familia, Monachus Vallis Vmbrosæ, & totius Ordinis Generalis XVII. ab Alexandro Papa IIII. S.R.E. Cardinalis, circa annum Domini 1257. creatus,& vigentibus Guelphorum, & Gibellinorum partibus, Florentiam ad eas sedandas Legatus Apostolicus missus,ab ijsdem martyrio adfectus est anno Domini 1258.die quarto Septembris : & octauo post,pridie Idus eiusdem,in Monasterio Vallis Vmbrosæ sepultus est.

Episcopi Ordinis Vallis Vmbrosæ. Cap. XXXVII.

SAnctvs Atthus Hispanus Generali VIII. Episcopus Pistorienſis.
Ambrosius Florentinus,Generalis X. Episcopus Florentiæ.
Sanctus Bernardus, Generalis VII.& S.R.E.Card. Episc.Parmę. } De his vide supra in Generalibus, & Card.
Ioannes Maria,Generalis XXXII.Episcopus Hipponæ.
Sanctus Petrus Igneus,S.R.E.Card.Episc.Albanus.
Placidus Patauinus, Generalis XXIX. Episcopus Biblæ,Parentij,& Torcelli.
Ricciardus de Monte Luccho, Generalis XXVIII. Episcopus Masæ.

Episcopi,

Episcopi, qui relicto Episcopatu, facti sunt Monachi Ordinis Vallis Vmbrosæ. Cap. XXXVIII.

SANCTVS Guala Bergomensis ex familia de Romi, Episcopus Brixiensis, Episcopatu relicto, factus est Monachus Monasterij S. Sepulchri de Astino. Obijt anno 1244. die 3. Septembris, & sepultus est in eodem Cœnobio iuxta Altare S. Martini.

Sanctus Lanfrancus, Papiensis, relicto Episcopatu suo Papiensi, Monachum induit in Monasterio S. Sepulchri, quod ex eius nomine, nunc S. Lanfranci uocatur. Obijt anno 1176. die 23. Iunij, & ibidem sepultus est.

De Sanctis Ordinis Vallis Vmbrosæ, quorum dies Natalicij ignorantur. Cap. XXXIX.

BEATVS Sebastianus, Conuersus Claustralis Monasterij S. Cassiani de Monte Scalari, vir Sanctissimę vitæ, & spiritu Prophetiæ repletus: hic quoad vixit continuam militiam spiritualem exercuit contra inimicos Crucis Christi, sed inuocatis nominibus Iesu, Mariæ, & Ioannis Gualberti, victor semper euasit. Moriens sepultus est in Monasterio suo.

De alijs Sanctis, & Beatis, egimus cum in præsenti Tractatu, tum etiam in Martyrologio nostro Sanctorum.

Scri-

Scriptores Eccleſiaſtici Ordinis Vallis Vmbroſæ.
Cap. XL.

SANCTVS Atthus Hiſpanus, Generalis VIII. &c. vide in Generalibus.

Bernardus Monachus Vallis Vmbroſæ ſcripſit Hiſtoriam

De Abbatibus Generalibus Ordinis Vallis Vmbroſæ, excuſa Florentię in 4. ann....

Beatus Theuzus diſcipulus S. Ioannis Gualberti, & Abbas Monaſterij S. Pauli de Razzolo, ſcripſit inter alia

De Vita S. Ioannis Gualberti, lib. 1. extat MS.

Cõmentaria in Regulam S.P.N. Benedicti, an extent neſcio. Obijt anno Domini 1095. die 7. Auguſti.

De Domno Sylueſtro, inſtitutore Monachorum Sylueſtrinorum, ſub Ordine Vallis Vmbroſæ.
Cap. XLI.

CIRCA annum Incarnationis Dominicæ 1232. exorta eſt venerabilis Congregatio Monachorum Sylueſtrinorum, ſub Regula S.P.N. Benedicti, & Ordinationibus habituque Monachorum Vallis Vmbroſæ. Sumpſit autem initium apud Montem Fanum propè Fabrianum, tertio ab vrbe lapide, per Domnum Sylueſtrum Gozolinium, Auximenſem Ciuem, Doctorem, & Canonicum Religioſiſſimum, qui ſpiritu diuino tactus, prædictum Vallis Vmbroſæ Ordinem, iam quaſi deformatum, in melius reformare ſtuduit, ibique Religionis primordia Chriſto Domino ſacrauit, quæ per Vmbriam, & Picenum notiſſima eſt: & anno Domini circiter 1258. ab Apoſtolica Sede fuit comprobata, & Priuilegijs decorata.

De

De tertio Stellato Sancto Roberto Abbate Molismense, fundatore Monachorum Ordinis Cistertiensis. Cap. XLII.

TERTIVM, inter Abbates Stelliferos, locum sibi vendicat Sanctus Robertus Abbas Molismensis, Cistertiensium Monachorum sub regula D.P.N. Benedicti, & candido habitu, scapulari nigro distincto fundator & institutor; cuius institutionis ordo sic se habet. Cum Monachi Molismensis cœnobij, quod erat in Episcopatu Lingonensi fama celeberrimum, Religione perspicuum, uiris illustribus nobilitatum, possessionibus amplis, & uirtutibus clarum, ab antiquo obseruantiæ rigore, & præceptis regulæ, quam professi fuerant, aliquantulum deflectere viderentur, intelligens vir Sanctus Robertus, qui eorum erat Abbas, & altius considerans, diuitiis uirtutibusque, diuturnam non posse esse, societatem, habito inter se & nonnullos Monachos suos communi consilio, erant autem omnes duo & uiginti, vnanimi assensu, eodemque spiritu, Cistertium, locum in Burgundia desertum, Cabilonensis Diœcesis commigrarunt, secundum Regulæ præceptum de operibus manuum suarum victuri. Vbi Hugonis Lingonensis Ecclesiæ Episcopi, & tunc sedis Apostolicæ Legati, fauore, Vualteri Cabilonensis Antistitis assensu, necnon Odonis Burgundiæ Ducis auctoritate ac operibus roborati, Abbatiam Ordinis primam construere cœperunt anno Domini 1098. Et quia Monasterium Molismense Beatæ Virgini consecratum noscebatur, constitutum est, ut tam ipsi, quàm eorum successores, de eodem nouo Monasterio propagati, omnes suas ecclesias in honorem eiusdem gloriosæ Virginis dedicarent. Roberto autem non longè post Monachorum Molismensium opera, & Vualteri Episcopi iussu, ad propria ouilia remeante, (qui eodem anno scilicet 1098. tertio calend. Maij ex hac uita decessit) Albericus uir Sanctus ac Religiosus eius loco substituitur: quo defuncto Stephanus, qui & Arduinus, natione Anglus non minoris Sanctitatis uir, nouellam plantationem regendam suscepit. Quæ cum parum hactenus creuisset, personis quidem secularibus uenerantibus in eis uitæ Sanctitatem, sed abhorrentibus austeritatem, Sanctus Bernardus an. 1113. cum triginta fermè socijs aduenit, & suaui Christi iugo ibidem colla submittens, tantos Sanctitatis, ac doctrinæ

ctrinæ fructus protulit, ut ea Religio magis Bernardo, quam primo suo auctori usquequaque debeat. Anno enim Domini 1115. in Valle quæ Absinthium uocabatur, Clarauallis Monasterium exstruxit, uarijsque in Prouincijs tot cœnobia subinde posuit, ut etiam eo uiuente ferè ducenta computarentur. Primæ Ordinis propagines, Clarauallis, Firmitas, Pontiniacum, & Morimundus; quorum cœnobiorum Abbates tantæ auctoritatis sunt, ut Abbatem Cistertiensem uisitent simul, & singillatim ab eo uersa uice uisitentur. Cistertiensis tamen Abbas ubicunque terrarum pro Generali generalissimo Ordinis totius agnoscitur, & in ipso instanti quo quis Monasterij Cistertiensis Abbas creatus est, sine aliqua alia electione & scrutinio, Generalis Ordinis titulum gerit. Horum autem Generalium catalogum hic inserere non potui, quod illorum copiam assequi nequiuerim. Ordinem probauit Vrbanus Papa II. anno Domini milleſimo nonageſimo octauo.

Summi Pontifices Ordinis Cistertiensis.
Cap. XLIII.

EVGENIVS III. Frater Petrus Bernardus antea uocatus, humili loco in Tuscia natus, ex oppido cui Montis Magni nomen est, Diœcesis Pisanæ: hic primo Canonicus & Vicedominus Ecclesiæ Pisanæ fuit, postea omnibus huius seculi dignitatibus relictis, doctrinæ & monitis S. Bernardi, Magni Clareuallensis Abbatis adhæsit, Monachusque Cistertiensis factus est: in quo primum Abbas S. Zenonis Pisis, mox Romæ Sanctorum Vincentii & Anastasii, ad aquas Saluias, quod trium fontium nuncupatur, creatus fuit: qui mortuo Lucio Papa II. quum esset extra collegium Cardinalium, omnium suffragiis Romæ in Ecclesia S. Cæsarii, tertio Calendas Martii, Anni 1145. Indict. 8. Romanus Pontifex renunciatus, statim ex Vrbe discessit, atque ad Monasterium S. Marię Farfensis ueniens, ibidem suæ coronationis insignia suscepit. Sedit annos 8. menses 4. dies 10. Pluribus ordinationibus mense Decembri celebratis, creauit Episcopos 9. ex quibus duos Cardinales, Presbyteros 13. sed duos ex antiquis Diaconis, & Diaconos 10. ex quibus tria nomina tantum omissa. Obiit Tibure Anno Domini 1153. octauo Idus Iulii, Indict. 1. cuius Cadauer Romam relatum

latum in Basilica S. Petri sepultum est: Vacauit Romana sedes dies duos.

ANNOTATIO.

Auctores Monachatus huius Beatissimi Pontificis, sunt S. Bernardus Abbas in libris suis de consideratione ad Eugeniũ Papam: Platina in eius uita: Trittemius li. 4. c. 20. Panuinus in utrisque Epitomis, & chronicis, ex quo hæc desumpsimus: Supplementum Chronicorum lib. 12. Volaterranus antropologiæ lib. 22. Plato de bono stat. relig. lib. 2. c. 28. & alij infiniti tam ueteres, quam neoterici. Extat Diui Bernardi Abbatis Epistola, quæ est inter eius Epistolas 236. ad omnem Curiam Romanam, quando elegerunt Abbatem S. Anastasii in Papam Eugenium, qua hoc facti magnopere admiratur. Extant & eiusdem ad eundem Eugenium Papã Epistolæ triginta quatuor, diuersis temporibus scriptæ, uidelicet, Epistola 237. 238. 239. 244. 245. 246. 247. 248. 250. 251. 256. 257. 258. 259. 261. 262. 263. 268. 269. 270. 273. 275. 276. 277. 278. 280. 283. 284. 285. 286. 291. 294. 298. & 303.

Benedictus Papa X. dictus XII. Frater Iacobus Fornerius, seu Furnius antea vocatus, natione Gallus, Prouincia Tholosana, ex oppido Sauarduno diœcesis Appamiarum, Ioannis Papæ XXII. ex sorore Nepos: hic primo fuit Monachus Cistertiensis Abbasque Monasterij Fontis frigidi, & Sacræ Theologiæ Magister eximius; mox factus Episcopus Appamiarum, deinde Mirapicensis: demum Presbyter Cardinalis Tituli S. Priscæ a Ioanne Papa XXII. Auunculo suo creatus, Cardinalis Albus appellabatur: mortuo verò prædicto Ioanne Papa, Auinione ad Prædicatores, omnium Cardinalium suffragijs A.C. 1334. die 13. calendas Ianuarij, Indict. 2. Pontifex Maximus renunciatus, ibidem octauo calendas eiusdem suæ Coronationis insignia solenniter suscepit. Sedit anno 7. menses 4. dies 6. Vnica creatione Presbyteros Cardinales sex creauit, viros vndequaque doctissimos, neque vlla illi sanguinis consanguinitate coniunctos, sed ad tantam dignitatem pro suis quisque meritis vocatos. Obijt anno Domini 1342. septimo Calendas Maij Auinione in Palatio Apostolico, quod ipse fabricauerat: cuius corpus ibidem in Cathedrali Ecclesia S. Mariæ de Donis sepultum est. Vacauit sedes dies 12.

ANNOTATIO.

Frater Petrus Lucius Belga Bruxellensis, in Bibliotheca sua Carmelitana, auctor est Benedictum XII. ante quam Abbas Fontis frigidi constitueretur Carmelitam illiusq; Religionis Theologum fuisse: & in sententiæ

tentiæ suæ corroborationem Trittemium nostrum, aliasque picturas, & calaturas sui Ordinis citat: quas equidem negare non ausim cum easdem viderim hisce oculis, tum Valencenis Belgiæ in choro RR. PP. Carmelitarum Typis ligneis incisas; tum etiam Desenzani iuxta Benacum in claustro Patrum Carmelitarum ad parietem depictas; in quibus inter alios Benedictus XII. in habitu Pontificali, tanquam Vineæ Carmeliticæ palmes depictus cernitur. Trittemium, quem Coryphæum suum citat, nondum nec uidi, nec legi, nisi fortè is sit quem præ manibus habeo, Bibliothecæ Carmelitanæ titulo ornatus, quod tamen facile non crediderim, quod ex multis coniecturari liceat, Bibliothecam illam Lucij potius partum esse, quam Trittemij. Ex Epitaphio eius quod adducit idem Lucius, Carmelitam, ante quam Abbas fuisse omnino fatendum esset, est enim tale,

Hic iacet Benedictus, quem Carmelus protulit,
Casinus aluit, Vaticanus coronauit.

at Epitaphium illud fictitium magis, quam uerum ex duobus conuincitur, quod scilicet, nec Casini nutritus, neq; à Casinensibus, nec in Vaticano coronatus fuerit vnquam. Omnes etiam historici unanimi consensu Monachum fuisse Cistertiensis Ordinis asseuerant, nec unum quidem reperies, qui hunc Carmelitam aliquando fuisse dicat & affirmet: horum princeps est Thomas Vualsinghamius qui in historia sua breui ad annum 1313. sic de eo loquitur. Eo tempore venerunt cum regni Pontificibus, & dicto Gilberto Comite, nuncij Papæ duo ad S. Albanum, ut ibidem hospitati, facilius possent ferrè & referre partis utriusque responsa: vnus illorum Cardinalis extitit Tituli S. Priscæ, qui quondam Abbas fuerat Fontis frigidi in Vuasconia de Ordine Cistertiensi, & Vicecancellarius modo Papæ: *& paulo post ad annum* 1534. Vigesimo die mensis Decembris fuit electus in Papam Frater Iacobus Tituli S. Priscæ Presbyter Cardinalis: qui fuit Monachus Ordinis Cistertiensis, & Magister in Theologia de comitatu Fluxensi iuxta partes Tolosanas oriundus; & die Dominica post Epiphaniam tunc sequente fuit coronatus apud Fratres prædicatores. *Hæc Thomas, quem sequuntur Platina in eius uita; Trittemius lib. 4. c. 20. Plat. libro de bono Stat. Relig. 2. c. 28. Supplementum Chronic. lib. 13. & Panuinus in utrisque Epitomis & Chronicis, qui duo ultimi manifestissimè produnt Monachum professum Ordinis Cistertiensis, & primi quidem uerba hæc sunt:* Benedictus Papa eius nominis Vndecimus, patria Tolosanus Cistertiensis Ordinis professus, Iacobus antea uocatus, &c. *alterius uerò similis est sententia, in Epist. in fol.* S.D.N. Benedictus XII. &c. *& paulò post:* Hic ab ineunte ætate Monachus factus est, Ordinis S. Benedicti

nedicti in Congregatione Ciſtertienſi, in qua adeò profecit, vt in ſacra pagina Magiſter primo mox Abbas Monaſterij Fontis Frigidi in Congregatione ſua creatus ſit. Hęc ille.

Ex horum verò uerbis colligitur Benedictum XII. ſi ab ineunte ætate Monachum profeſſus eſt in Congregatione Ciſtertienſi, nec Carmelitam, nec etiã illius Ord. ſummum Theologum fuiſſe, ante quã in Abbatẽ promoueretur. Ex Carmelita autem Benedictinum, aut Bernardinum fieri, pro magno non habeo, nec quicquam dedecoris Ordini alicui hac ex re accedere puto, immo potius honoris multum & reputationis, maximè ſi ex uirtute, ut in hoc Pontifice factum refertur, id procedat: at ſimile aliquid aſſerere, quod ueritati ſubnixũ non eſt, pro maximo reputo. Sed de his ſatis.

Scripſit autem hic Benedictus, non contemnenda Opera, de quibus tantum uidi ſubiecta.

Regiſtrum Epiſtolarum eius, & Conſtitutionum, in decem Tomos diuiſum (ſi bene memini) quod uidi in Bibliotheca Vaticana MS. in folio regali, & repoſita cuſtodiuntur in ſecretiori cubiculo ad ſiniſtram ipſius Bibliothecæ partem.

Conſtitutio eiuſdem de reformatione Monachorum nigrorum, quæ appellatur Benedictina: extat MS. cum Cõmentarijs Petri Boerij, Abbatis S. Aniani, in Biblioth. noſtra S. Benedicti de Mantua.

Facta eſt autem huiuſmodi reformatio Vniuerſalis totius Ordinis nigrorum Monachorum, de conſilio S. R. E. Cardinalium, & multorum Doctiſſimorum Abbatũ conſenſu, ut ex uerbis ipſius Pontificis liquet, qui ſic ait: Nos tamen ob zelum amplioris ſalutis, & maioris proſperitatis eiuſdem, intra noſtra præcordia, & cum nonnullis ex Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus; & dilectis filijs, Petro Cluniacenſi, Ioanne Caſæ Dei, Gilberto Maſſilienſi, Raymundo Pſalmodienſi, Gulielmo Montiſoliui, & Gregorio Yſidorenſi, Monaſteriorum Abbatibus eiuſdem Religionis, Decretorum Doctoribus diligenti tractatu prę habito, & ſuper eo digeſta delibratione ſequuta, ut eadem Religio in Diuini cultus obſequio floreat; &c. *Reformatus uerò ſic Monaſticus Ordo, diuiſus legitur in Prouincias ſex & triginta, quæ ſunt huiuſmodi.*

1 *Remenſis, & Senonenſis pro vna Prouincia.*
2 *Rothomagenſis, & Turonenſis, cum Monaſterio S. Florentij, et membris ipſius, quod nulli Epiſcopo ſubeſt.*
3 *Bituricenſis, & Burdegalenſis, cum Epiſcopatu Anicienſi.*
4 *Narbonenſis, Toloſana, & Auxitana.*
5 *Cantuarienſis, & Eboracenſis in Anglia.*
6 *Hiſpalenſis, Campi ſtellæ, & Andalugiæ in Hiſpanijs.*

7 *Toletana,in Hiſpania.*
8 *Bracarenſis,in Luſitania.*
9 *Tarraconenſis,Cæſaraugustæ,cũ Epiſcopatu Maioricæ, in Aragonia.*
10 *Lugudunenſis,Biſuntienſis,& Tarantaſienſis,in Burgundia.*
11 *Viennenſis,Arelatenſis,Aquenſis,& Ebredunenſis, in Delphinatu.*
12 *Romana Prouincia, cum ſeptem Epiſcopis ſibi ſubiectis, & Monaſteriis Sublacenſe,& Farfenſe,nullius Diæceſis.*
13 *Rhegienſis,Coſentiæ,Sanctæ Seuerinæ,Roßanus,Mileti,& Biſignani Epiſcopatus.*
14 *Conſanenſis, Acherontinus, Tarentinus, Brundiſinus,Otranti Epiſcopatus.*
15 *Barenſis,Sipontinus,Beneuentanus,Troianus,Melphitanus,& Epoli,Epiſcopatus.*
16 *Neapolitanus, Capuanus,Malphitanus, Salernitanus, Surrentinus, Caſinenſis,Rauellinus,Auerſanus,Epiſcopatus,ſimul cum Monaſterio S.Vincentij de Vulturno ab Epiſcopali poteſtate exempto.*
17 *Panhormitanus,Meſſanenſis,Montisregalis,Melitanus. Epiſcopatus,ſiue Regnum Siciliæ,cum Inſula Melitenſi.*
18 *Regnum Cypri.*
19 *Regnum Sardiniæ,& Corſicæ.*
20 *Patriarchatus Aquilegiæ,Gradenſis,cum Prouincijs Iadræ,Raguſii.*
21 *Prouincia Mediolanenſis,Genuenſis,& Piſana.*
22 *Rauenna,Ferraria,& Placentia,Ciuitates.*
23 *Strigonienſis,& Collocenſis,ſiue Regnum Hungariæ.*
24 *Gneznenſis,ſiue Regnum Poloniæ.*
25 *Ardinacenſis,Dublinenſis,Caßalenſis, Duacienſis,in Hibernia.*
26 *Regnum Scotiæ.*
27 *Regnum Boiemiæ.*
28 *Regnum Daciæ.*
29 *Regnum Noruegiæ.*
30 *Regnum Suetiæ.*
31 *Archiepiſcopatus Moguntinus,cum Epiſcopatu Bambergenſi.*
32 *Archiepiſcopatus Colonienſis,& Treuirenſis.*
33 *Archiepiſcopatus Bremenſis, Magdeburgenſis, cũ Epiſcopatu Cummenſi.*
34 *Archiepiſcopatus Saltzburgenſis in Bauaria.*
35 *Archiepiſcopatus Rigenſis.*
36 *Prouinciæ item,Thebana, Athenienſis,Patras ſiue Corinthi,cum Patriarchatu Coſtantinopolitano.*

Quantus

Quantus fuerit hic Pontifex, quam Sanctus, quo genere, quibus moribus ornatus, unico Petri Boerij encomio aperitur, qui in principio Commentariorum suorum in Benedictinam, his eum laudibus adornat.

Benedictus. Huic namque, & Bonifacij, & Benedicti nomina congruunt, qui in ipso uim quam gerunt profecto sortita sunt. Benedictus igitur hic nomine, uim Bonifacij uocabuli semper studuit opere exercere. Fuit enim uita castus, boãtu humilis, scientia plenus, moribus non genere nobilis, uoce & aspectu terribilis, facie rubicundus, Albo Ordine Monachus, Magnates non uerens, pauperes refouens, corrupta depellens, ac stuprum præcauens. Iste quidem ad ecclesiasticos gradus uiros idoneos sublimans, indignos noluit promouere. In iudicijs insuper, factisque suis, admodum mirabilis extitit, quoniam non secundum carnem, & sanguinem, sed in æquitate, & iustitia ambulauit. Meruit itaque thronum duodecimum possidere, uerè Benedictus in terris, pariter esse conuincitur & in cęlis. Nam bonis laboribus, fructus retribuitur gloriosus. *Hæc Boerius. Huius item Sanctissimi Pontificis effigiem ex uiuo expressam, & depictam, uidi Romæ in ædibus R. P. F. Alphonsi Ciacon Hispani, Ord. Prædicatorum, & Apostolicæ Sedis Pœnitentiarij, quæ miram pietatem, & sanctitatem præ se ferre uidetur.*

Cardinales Ordinis Cistertiensis. Cap. XLIIII.

INNOCENTIVS PAPA II.

Creatio prima anno 1120. mense Decembri in Conc. Claromontano.

FRATER Balduinus, Gallus, Monachus Cistertiensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti ..... post Archiepiscopus Pisanus. Obijt anno ..... *Panuinus in epitome in 4.*

Creatio quinta anno 1140. Pontif. 11. mense Decembri Romæ.

Frater Stephanus, Cathalaunensis, Gallus, Monachus Cistertiensis, S. R. E. Cardinalis Episcopus Prænestinus. Obijt anno ..... *Panuinus ibidem.*

EVGENIVS PAPA III.

Creatio quædam facta Romæ anno 1146.

Frater Hugo, Gallus, Monachus Cistertiensis, Abbas Monasterij Sanctorum Vincentij, & Anastasij trium fontium Romæ, S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, & Velitrnus. Obijt anno .... *Panuinus ibid.*

Frater Henricus Moricotus de vico, Pisanus, Monachus Cistertiensis, S. R. E. Presbyter Card. Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei: deinde ab Alexandro Papa III. anno 1180. Episcopus Cardinalis Albanus creatus. Obiit circa annum Domini 1189. *Panuinus in Epitome in 4. Cæsarius Monachus illust. miraculorum lib. 4. c. 79.*

Frater Bernardus, Pisanus, Monachus Cistertiensis, S. R. E. Diaconus Cardinalis, Tituli Sanctorum Cosmę & Damiani. Obiit anno .... *Panuinus in Epitome in 4.*

CLEMENS PAPA III.

Creatio tertia anno 1190. Pontif. 3. mense Septembri. Romæ.

Frater Vuido, siue Guido Gallus, Monachus, & Abbas Cistertiensis S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Mariæ Transtiberim, deinde a Cælestino Papa III. in prima creatione anno 1191. in Pentecoste Romæ, ex Diacono Presbyter Cardinalis Tit. Calisti; postremo ab Innocentio Papa III. anno 1206. Pontificatus sui nono, ex Presbytero, Episcopus Card. Prænestinus. Obiit anno Domini 1220.

Annotatio.

Panuinus quidem in Epitome in 4. promotionis huius Guidonis meminit, sed Monachatum reticet, quem habuimus, simul cum Cardinalitia dignitate ex F. Cæsario Heisterbachensi, Monacho Ordinis Cistertiensis, illustrium miraculorum lib. 6. c. 2. & lib. 9. c. 51.

HONORIVS PAPA III.

Creatio secunda unius Card. anno 1219. Pontif. 3. Romæ.

Nonnus Conradus, siue Cunradus, Bauarus, Henrici Nigri, siue Catuli & Vuelphonis Bauariæ, & Ethruriæ Ducis filius, Frater Henrici superbi, primi huius familiæ, Guelphorum, scilicet, Saxoniæ Electoris, & Ducis Bauariæ, Princeps innocentia vitæ, & pietate clarus, educatus ab Episcopo Constantiensi, ubi adoleuit metuens ne ipsi aliquando surrogaretur, Cœnobium Vilariense non longe a Colonia Agrippina, Ordinis Cistertiensis ingressus, & Monachus effectus, primo Prior, deinde Abbas ibidem electus; postea in Abbatem Clareuallis, postmodum promotus in Abbatem Cistertiensem, in illo gradu stare non potuit, ab Honorio enim Papa III. euocatus, & candelabro Catholicę Ecclesię impositus, ut lucis suę exẽpla omnib. daret, S. R. E. Card. Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ, renunciatus est. Legatus exinde Apostolicus contra Albigenses factus, post muneris sibi impositi functionem, Terram sanctam inuisit, & aliquanto tempore in quadam uasta Eremo, uni sanctissimo Eremitæ adhæsit, sed cum ob naturæ suæ imbecillitatem, uitam illam ferre diutius non ualeret, redire ad

patriam

patriam disposuit, quod cum faceret morbo correptus, in Ciuitate Barensi obijt anno 1225. & ibidem honorificè sepultus est.

ANNOTATIO.

Panuinus lib.3. Rom. Principum, in Vuelphonum familiæ descriptione, consentit de genere huius Conradi, filium scilicet Henrici Bauariæ Ducis eum nominans, sic inquiens, Chunradus Monachus Claræuallensis, Henrici Ducis Bauariæ, & Vulphildis filius, post S. R. E. Card. *at verò in Epitome in 4. suæ sententiæ immemor, filiũ Eginonis de Vrach, Suitonum Dinastæ scribit, quod an suo, aut certè Librariorum id vitio contigerit ignoro. Errare autem conuincitur, cum suiipsius, & aliorum familiæ Bauaricæ scriptorum testimonijs; tum etiam quod non hic, sed alter Chunradus qui vocatus est & Cuno, quiq; à Paschali Papa II. in Cardinalium numerum relatus est, Eginonis Comitis Vracensis filius fuerit, vti diximus in annotationibus nostris ad eundem. Huius Præsulis vitam, & res gestas describit Cæsarius Monachus illust. mirac. libr.3. cap.33. & lib.5.ca.21. Dissentit Pigna in Hist. Rauennæ, de anno mortis: refert enim obijsse anno 1226. nos scriptores familiarum Baueriæ sequimur, si quis aliter sentire voluerit non improbamus, cum res sit nullius momenti, vtrum scilicet obierit anno uno ante, uel post. Nonni prænomen apposuimus ex Cæsario, qui li.3.c.33. illust. mirac. sic eũ uocat, fuitq;, iuxta S.P.N. Benedicti regulam toti Ordini Cister. in Sacerdotibus maximè familiare.*

GREGORIVS PAPA IX.

Creatio tertia anno 1234. Pontific.8. mense Decembri, Romæ.

Frater Iacobus de Pecoraria, Gallus, Monachus Cistertiensis, Abbas Sanctorum Vincentij, & Anastasij ad aquas Saluias extra Vrbẽ, S.R.E. Episcopus Cardinalis Prẽnestinus. Obiit anno Domini 1245. Lugduni, & ibidem sepultus est.

ANNOTATIO.

Panuinus in Epitome in 4. & R.P. Alphonsus Ciacon de Perpet. Eccles. Pontif. MS. de huius Monachatu, & Card. agunt: Cognomen de Pecoraria ex Ciacone habuimus.

INNOCENTIVS PAPA IIII.

Magister Frater Ioannes de Toleto, Anglus, Monachus Ordinis Cistertiensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis. Tituli San. Laurentii in Lucina: post ab Vrbano Papa IIII. in prima creatione anno 1261. Pontific. 1. mense Decembri, Viterbii, ex Presbytero, Episcopus Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ creatus. Obiit Lugduni in Concilio Generali, anno 1274. Pontificatus Gregorij Papæ XIIII.

ANNOTATIO.

Huius meminit Panuinus in Epitome in 4. Patriam eius, & cognomẽ habuimus, ex floribus Historiarum Matthæi Vuestmonasterienſis, qui ad annum 1244. ſic de eo loquitur. Anno 1244. Innocẽtius Papa IIII. creat in creatione Decem Cardin. magiſtrum Ioannem, cognomẽto de Tolero, Ciſtertienſem monachum, Anglũ. *Hæc Matthæus. Correctione aliqua indigebunt RR. Lachinus, & Ciacon.* qui putant hunc eundem eſse cum Ioanne de Abbatisuilla, qui promotus eſt a Gregorio Papa IX.

COELESTINVS PAPA V.

Creatio unica anno 1294. Pontific. primo, in Quatuor Temporibus Septembris, Neapoli.

Frater Simon de Belloloco, Gallus, Monachus Ciſtertienſis, ex Archiepiſcopo Bituricenſi, S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Prænestinus. Obiit in legatione Gallica, anno 1297. Pontificatus Bonifacii Papæ VIII. tertio.

ANNOTATIO.

Dignitatem accepimus ex Panuino in 4. quam ſimul cum Monachatu confirmat Franciſcus Belforeſtius lib. 1. ſuæ Coſmographiæ, in catalogo Archiepiſcoporum Bituricenſium. Cognomentum de Belloloco mutuati ſumus ex Demochare de Sacrif. Miſſæ, tomo 2. c. 24.

Frater Robertus, Gallus, Monachus Ciſtertienſis, S. R. E. Preſbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ, Tituli Paſtoris. Obiit Parmæ, menſe Auguſto, anno 1305. Pontificatus Clementis Papæ V. primo: cuius cadauer in Eccleſia S. Martini, Ordinis ſui extra Parmam ſepultus eſt. *Panuinus in Epitome, in quarto.*

CLEMENS PAPA V.

Creatio ſecunda, anno 1310. Pontific. Sexto, Sabbato Quatuor Temporibus Aduentus, Auinione.

Frater Arnaldus Nouelli, Vaſco, Gallus, Monachus Ciſtertienſis, & Abbas Fontisfrigidi, S. R. E. Vicecancellarius, Presbyter Cardinalis Tituli S. Priſcę. Obiit Auinione, anno 1314. Pontific. Clementis V. decimo. *Panuinus in Epitome in quarto.*

IOANNES PAPA XXII.

Creatio quarta, anno 1327. Pontific. 12. Feria 6. Quatuor Temporibus Aduentus, ideſt 15. calen. Ianuarij, Auinione.

Magiſter Frater Iacobus Fornerius Ioãnis XXII. ex ſorore nepos, Gallus, de Sauardino, Appamiarum Diœceſis, ex Prouincia Tholoſana, Monachus Ciſtertienſis, Abbas Fontisfrigidi, & Sacræ Theologiæ

logiæ Doctor, Episcopus Mirapicensis, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Priscæ; post Benedictus Papa X. dictus XII. *Panuinus in Epitome in 4. & alij ad Benedictum XII. citati.*

NICOLAVS V. Antipapa.

Creatio prima, anno 1327. Pontific. I. Idibus Maij, Romæ.

Frater Ioannes Vicecomes, Mediolanensis, Insuber, Monachus Cistertiensis, Abbas S. Ambrosii Mediolani, S. R. E. Presbyter Cardinalis. Obiit anno..... *Panuinus in Epitome in 4. & alij nonnulli.*

Incertæ creationis.

Frater..... Monachus Ordinis Cistertiensis, Tolosanus, & S. R. E. Cardinalis, qui bibliothecam Bernardinorum à Benedicto Papa XII. Parisiis ædificatam, libris exornauit, & sedecim operam Theologiæ dantes alumnos perpetuos instituit. *Gilbertus Genebrardus Chronologiæ, lib. 4. in Benedicto Papa XII.*

PIVS PAPA V.

Creatio II. anno 1568. die 24. Martij, Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Frater Hieronymus Socher Aruernus, Monachus, & Abbas Claræuallensis, deinde Cistertiensis, & totius Ordinis Generalis, Parisiēsis Theologus, ob summam eruditionem à Pio Papa V. in numerū, S. R. E. Cardinalium, ascitus anno 1568. die 24. Martii. Presbyteri Titulo S. Matthæi Apostoli in Merulana insignitus est. Obiit Romæ, anno 1571. 10. cal. Decembr. ætatis suæ 63. & in Titulo S. Crucis sepultus est cum Epitaphio sequenti.

Donno Hieronymo Socherio, Aruerno, Parisiensi Theologo præstantissimo: qui Henrico II. Francisco II. & Carolo IX. Gallorom Regibus, Carolo Cardinali Lotharingo, bonisq; omnibus eximiè caro, Claræuallis Abbati, in Tridentina Synodo sententias doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ pleniſſimas dixit. Inde Cistertij electus Abbas, ipsiusq; Ordinis Generalis, à Pio V. Pont. Max. delatam absente Cardinalatus dignitatem, vt acciperet vix adduci potuit, deinde in Vrbem accitus, singulari opum atque gloriæ contemptu, & vitæ moderatione, omnibus admirationi fuit. Vixit ann. 63. Obijt 10. calen. Nouembris 1571. Monachi Claræ uallen. poni curr.

Ex vita Pij V. & monimentis Ill. D. Ioannis Antonij Petramelaræ Bouoniensis, Equitis SS. Lazari, & Mauricij, mihi familiarissimi.

Archiepiscopi Ordinis Cistertiensis. Cap. XLV.

Incertæ Sedis in Hibernia.

SANCTVS Christianus Abbas Mellifontis, creatus anno Domini 1140. Obiit anno 1148. die 18. Martii, *S. Bernardus, in vita S. Malachiæ, & alij.*

Bituricenses in Gallia.

Frater Farinus, siue Guarinus Monachus Pontiniacensis, Archiepiscopus 66. creatus anno 1177. præfuit annis 5. Obiit anno 1182. *Democharis tomo 2. c. 24.*

Frater Henricus Soliacensis, monachus & Abbas Caroliloci Archiepiscopus 67. creatus anno 1182. præfuit annis 17. Obiit anno 1199. *Democharis ibidem.*

Sanctus Guilielmus, Monachus primum Grandimontensis Ord. S. Ben. deinde Monachus & Abbas Caroli loci, Arch. 68. creatus anno 1199. præfuit annis 9. obiit 1208. die 10. Ianuarii. *Democharis: & vita eius: Vincentius in Speculo lib. 29. cap. 62.*

Frater Simon de bello loco Monachus Cistertiensis, Archiep. 77. creatus anno 1290. postea, factus est S. R. E. Episcopus Cardinalis Prænestinus. Obiit anno 1297. *Belforestius in Cosmographia.*

Cantuarienses in Anglia.

Frater Balduinus, Anglus, Monachus & Abbas Fordensis in Anglia, Archiepiscopus Cantuariensis 41. creatus anno 1189. præfuit annis 5. Obiit Tyri in Syria anno 1193. *Gul. Neubrigensis, lib. 3. c. 8. & lib. 4. cap. 33. & alij.*

Cæsar Augustæ in Aragonia.

F. Bernardus de Aragonia, Ferdinandi Regis Nepos, & Monachus Cistertiensis Ordinis, deinde Archiepiscopus Cæsar Augustæ, Floruit anno 1560. *Gonsaluus de Illescas Abbas lib. 5. historiæ Pontificalis in Vrbano II. Papa.*

Consentini.

F. Martinus, Polonus, Monachus Ordinis Cistertiensis, quem nonnulli Dominicanum faciunt; alij etiam Scotum fuisse affirmant, Pœnitentiarius Papæ, & Archiepiscopus Consentinus, floruit anno Domini 1320. Hic inter alia scripsit historiam siue Chronicon breue a mundo condito ad sua tempora, quæ Martiniana a quibusdam vocatur: excusa Antuerpiæ apud Plantinum, cum annotationibus Suffridi Petri, anno 1574. in octauo. *Bugianus, & alii nonnulli.*

Eba-

Eboracenſes in Anglia.

Frater Henricus Murdacus, Monachus & Abbas Fontanenſis, Archiepiſcopus Eboracenſis 30. creatus anno 1146. ab Eugenio Papa III. præfuit annis ..... Obiit anno ..... *Gul. Neubrig. lib. 1. cap. 17. Polydorus, & alij.*

Magdeburgenſes in Saxonia.

F. Theodoricus Cageluuid, Monachus & Abbas Ord. Ciſtertienſis, ex Epiſcopo Mindenſi Archiepiſcopus Magdeburgenſis 30. creatus circa annum 1375. præfuit annis 7. reſignauit anno circiter 1382 & in Boiemiam reuerſus eſt. *Crantzius Metrop. lib. 9. cap. 50.*

Mediolanenſes in Inſubria.

Sanctus Bernardus, Monachus Ciſtertienſis, & Abbas Claræuallenſis Archiepiſcopus Mediolanenſis electus anno 1123. non inijt. *Panuinus in Chron. Eccleſ. & alij.*

Montis Regalis in Sicilia.

Frater Carus, Archiepiſcopus tertius, Monachus & Abbas Altifontis, ſiue Parcenſis, creatus anno 1189. præfuit annis aliquot. *Ioannes Ludouicus Lellus in deſcriptione eccleſ. Montis regalis, qui tamen nomen reſlicet, & eius loco ponit litteram P.*

Piſani in Ethruria.

Frater Balduinus Gallus Monachus Ciſtertienſis, poſt S.R.E. Cardinalis 1130. *Panuinus in Epitome.*

Remenſes, in Gallia.

Frater Henricus Ludouici Franciæ Regis filius, Monachus Claræuallenſis, & Epiſcopus Bellouacenſis, deinde Archiepiſcopus, creatus anno 1163. præfuit annis 14. Obijt anno 1177. *Robertus de Monte in ſuppl.*

Vpſalenſes in Suetia.

Frater Stephanus, Monachus Alueſtrenſis in Suetia, Archiepiſcopus primus Vpſalenſis, creatus anno 1162. præfuit annis 23. Obijt anno 1185. bonis operibus plenus, & in Monaſterio ſuo ſepultus eſt. *Ioannes Magnus de vit. Pont. Vpſal. lib. 2.*

Tholoſani in Gallia.

Frater Fulco, Gallus, Monachus Ordinis Ciſtertienſis in Monaſterio Grandiſiluæ & poſt Archiepiſcopus Tholoſanus, annis 28. indefeſſe concionatus eſt contra peruerſam Albigenſium hæreſim; obijt anno 1232. & ſepultus eſt in Monaſterio ſuo Grandiſſiluæ. *Belforeſtius Annal. Franc. lib. 4. cap. 5.*

Epi-

Episcopi Ordinis Cistertiensis. Cap. XLVI.

Antisiodorenses, in Gallia.



RATER Hugo de Mõte acuto, Monachus & Abbas Pontiniacensis, Episcopus Antisiodorensis, 55. creatus anno 1136. præfuit annis 15. Obiit an. 1151. die 6. idus Octobris Pontiniaci, ubi & sepultus est. *Democharestomo 2. cap. 19. Vinc. in Spec. libr. 27. cap. 127. & alij.*

Frater Alanus Flander Monachus primum Clareuallẽsis, deinde Abbas Ripatorum primus, postmodũ Hugone mortuo Antisiodor. Episcopus 56. creatus an. 1151. præfuit ann. 16. Obijt. 5. Idus Octobris 1167. & sepultus est Clareuallis. Scripsit præfationem in vitam S. Bernardi Abbatis. *Vincentius in Speculo lib. 27. c. 127. & alij.*

Beluacenses in Francia.

Frater Henricus, Regis Franciæ filius Monachus Claræuallensis Episcopus 53. creatus anno 1161. præfuit annis 3. deinde factus est Archiepiscopus Rhemensis. *Belforestius in Cosmographia, & alii.*

Bechinenses in Scotia.

Frater Vdardus, Scotus Monachus Cuprensis Episcopus Brechinensis: Floruit anno 1190. *Hector Boetius in Hist. Scot. lib. 13.*

Carnotenses in Gallia.

Frater Gualterus, Monachus & Abbas Pontiniacensis Episcopus 68. creatus anno 1217. præfuit annis 16. obijt anno 1233. *Democharestomo 2. cap. 18.*

Cordubę in Hispania.

F. Lupus, Monachus Fiterij ad Pisoricam, Ord. Cistertiensis, Corduba ciuitate a Ferdinando Rege Mauris erepta, fit in eadem Episcopus anno Domini 1236. *Ioannes Mariana de reb. Hisp. lib. 12. cap. 18.*

Ebrouienses.

F. Theodoricus Cageluuid Stendalienſis, Monachus & Abbas Ordinis Cistertiensis, deinde Episcopus Ebrouiensis, præfuit in quatuor sedibus annis 41. Floruit sub Carolo IIII. Imp. anno 1360. *Crantzius in Metrop. lib. 9. c. 49.*

Eistetenses in Sueuia.

F. Philippus, Alsata, Theologiæ Doctor, Monachus & Abbas Ordinis

dinis Ciſtertienſis, Epiſcopus 39. creatus anno 1306. præfuit annis 16. obijt anno 1322. *Democharis tomo 2. cap. 35.*

F. Fridericus, Lantgrauius Leuchtenburgenſis, Monachus & Abbas Ord. Ciſtert. Epiſcopus 42. creatus anno 1127. poſt factus eſt Epiſcopus Ratiſponenſis: obijt 1339. *Democharis ibidem.*

Friſingenſes in Germania.

Frater Otto Leopoldi Sancti, Marchionis Auſtriæ filius, Monachus & Abbas Morimundi in Gallia, deinde Epiſcopus Friſingenſis; Obijt Morimundi inter Fratrum manus anno 1158. Scripſit

De rebus ab Origine mundi vſque ad ſua tempora Chronicorum, lib. 8. impreſſi Argentinę. 1515. in fol.

De rebus geſtis Friderici. I. Imp. lib. 2. Baſileæ anno 1569. & Francofurti 1585. in fol.

Hiſtoriam Auſtriæ, quæ adhuc in tenebris latet.

Ex eius uita operibus eius præfixa, & alijs.

Genuenſes in Liguria.

Sanctus Bernardus Abbas Clareuallenſis, electus Epiſcopus Genuenſis anno 1118. a Summo Pontifice inire prohibitus eſt. *Ubertus Folieta lib. 1. hiſt. Genuenſis.*

Liuoniæ.

Sanctus Bertoldus, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, Epiſcopus ſecundus, martyrio coronatus eſt, an. 1180. uel circa, die 21. Octobris. *Cratepolius de Epiſcopus Germaniæ, & alij.*

Meche Linburgenſes, qui poſt Suerinenſes.

Frater Benno, ſiue Berno, ſeu Bruno, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, tertius Meche Linburg. Epiſcopus, creatus anno 1133. præfuit annis. 50. tam in hac ſede, quàm in Suerinēſi, ad quam ſe transtulit, & primus Suerinenſis Epiſcopus dictus eſt. Obiit anno 1183. *Crantzius in Metrop. lib. 6. c. 39. & lib. 7. c. 20.*

Frater Brunuardus, Bennonis diſcipulus, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, ſecundus Epiſcopus Suerinenſis creatus anno 1183. præfuit annis 44. Obijt anno 1227. *Crantzius in Metrop. libr. 7. cap. 20.*

Mindenſes.

Frater Theodoricus Cageluuid Stendalienſis Monachus & Abbas Ordinis Ciſtertienſis, ex Epiſcopo Sleſuuicenſi Epiſcopus 41. Mindenſis, creatus circa annum 1366. præfuit annis 9. & inde ad Archiepiſcopalem Magdeburgenſem Eccleſiam translatus eſt. *Crantzius in Metrop. lib. 9. c. 49.*

Mi-

Mirapicenſes.

F. Iacobus Fornerius, poſtea Cardinalis, & Papa Benedictus X. dictus XII. *Panuinus in Epitome, & alij.*

Oſnaburgenſes.

Frater Adelphus Monachus & Abbas Ordinis Ciſtertienſis, Epiſcopus 28. creatus 1190. præfuit annis aliquot. Obiit anno ..... *Crantzius in Metrop.*

Remenſes in Gallijs.

Frater Henricus, Regis Galliæ filius, Monachus Clareuallis, & Beluacenſis Epiſcopus, creatus anno Domini 1161. præfuit annis ſexdecim plus minus. Obiit anno 1177. *Sigebertus in Chron.*

Sanctonenſes.

Frater Triſtandus de Bizet, Gallus, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, Epiſcopus 62. creatus anno 1557. præfuit annis multis. Obiit anno ..... *Democharis tomo 2. c. 26.*

Sleſuuicenſes.

Frater Theodoricus Cageluuid, Stendalienſis, Ord. Ciſtertienſis, ex Epiſcopo Ebronienſi, Sleſuuicenſis factus, poſtmodum ad Mindenſem tranſiit. *Crantzius Metrop. lib. 9. c. 49.*

Tarantaſienſes.

Sanctus Petrus, Monachus Bonæuallis & Abbas Stamedienſis, Ordinis Ciſtertienſis, Epiſcopus creatus anno 1138. præfuit annis 33. Obiit anno 1171. die octauo Maii. *Surius in eius uita tomo 3. Vincentius in Speculo lib. 27. c. 124. & 125. & alij.*

Valentini in Gallia.

Sanctus Ioannes Monachus & Abbas Bonæuallis, Ordinis Ciſtertienſis, & poſt Epiſcopus Valentinus. Vixit anno 1120. *Vincentius in Speculo lib. 26. c. 42.*

Vennenſes.

Sanctus Ruandus, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, Epiſcopus. *Belforeſtius in Coſmographia.*

Vuigornienſes.

Frater Balduinus, Anglus, Monachus & Abbas Fordenſis, Epiſcopus 35. creatus anno 1181. præfuit annis paulo amplius quam octo, & anno 1189. ad Eccleſiam Cantuarienſem translatus eſt. *Matthæus Vueſtmon. in Floribus hiſtoriarum, & alij.*

Sancti

Sancti, quorum dies Natalitij ignorantur, Ordinis Ciſtertienſis. Cap. XLVII.

SANCTVS Conradus ab Herleſcheim, Monachus & Sacerdos Ordinis Ciſtertienſis in Haſſia. *Cratepolius de Epiſcopis Germaniæ.*

Sanctus Dauid, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, qui requieſcit in Monaſterio Hemerodio eiuſdem Ordinis, in Dioeceſi Treuirenſi. *Cratepolius de Epiſcopis Germaniæ.*

Beatus Dieghus Velaſquius, Monachus Ordinis Ciſtertienſis, & Ordinis Militiæ Calatrauenſis præcipuus quaſi auctor, Sanctitate clarus migrauit in pace. *Rodericus Toletanus de reb. Hiſp. lib. 7. c. 14. et alij.*

Sanctus Ealredus, ſiue Alredus, Anglus, Monachus, & Abbas Rhieuallis in Anglia, qui claruit anno 1164. & multa opera præclara ſcripſit. *Molanus in addit. ad Vſuardum, die 5. Ianuarij.*

Sanctus Ioannes Monachus & Abbas Bonæuallis, & Valentinus Epiſcopus. *de quo Vincentius in Spec. lib. 26. c. 42.*

Sanctus Raymundus, Monachus & Abbas Monaſterij Fiterij, & Ordinis Militum de Calatraua Promotor & fautor, poſt multa virtutum inſignia, regnum cœlorum adipiſci meruit. *Rodericus Toletanus de rebus hiſp. lib. 7. c. 14. & alij.*

Scriptores Eccleſiaſtici Ordinis Ciſtertienſis. Cap. XLVIII.

FRATER Abbas Monaſterij Caroliloci, Ordinis Ciſtertienſis, qui floruit anno Domini 1220. ſcripſit iuſſu Abbatum Ciſtertienſium, vitam S. Guilielmi Bituricenſis Archiepiſcopi, & Monachi Ciſtertienſis, quæ eſt apud Surium Tomo I. die 10. Ian.

Frater Adilredus Abbas cuiuſdam Monaſterii Ordinis Ciſtertiēſis, qui claruit circa annum Domini 1200. ſcripſit.

Speculum charitatis, lib. 1.

In Lucam Homil. 1. Cum eſſet Ieſus annorum.

Habetur inter Opera Diui Bernardi.

Frater Arnoldus Carnotenſis Abbas Bonæuallis, S. Bernardi diſcipulus,

pulus,qui uixit anno 1190. scripsit

Vitam S.Bernardi,lib.4.

Virorum illustrium gesta.

Tractatus in septem ultima Christi verba: Post regulas Fidei Euangelicas. Excusi Parisijs anno 1576. in Bibliotheca SS. Patrum Tom.6.

Epistolas quasdam.

Frater Archardus discipulus S.Bernardi Abbatis Clareuallis,scripsit Vitam S.Gezelini Monachi Ordinis sui.Claruit anno Dom.1140

Frater Benedictus Papa X. dictus XII. vide supra.

Sanctus Bernardus Abbas Claræuallensis,vide in Ramis.

Frater Cæsarius,Germanus Monachus Heisterbachcensis Sancti Petri qui uixit anno 1220. scripsit

Illustrium miraculorum,historiarum memorabilium,siue Dialogorum lib.12. Colligite fragmenta. Excusi anno 1481. & Coloniæ 1591.

In Euangelia Dominicalia,lib.2. Botrus Cypri dilectus.

In Euangelia de Sanctis, lib.1. Dominus ac Saluator noster.

Sermones ad Nouitios, lib.1.

In Ecclesiasticū cōmentaria.lib.9. reperiuntur Colonię. MS.

De Vita Sancti Engelberti Archiepiscopi Coloniēsis,lib.2. Excusi apud Surium Tom.6. die 7. Nouemb.

Frater Conradus Leontorius,siue de Leonberg, Germanus Monachus Mulbronnensis,qui uixit anno Domini 1494. scripsit

Epistolarum ad diuersos,lib.1.

Orationes uarias.

Carminum,multa.

Frater Cyprianus Monachus Cistertiensis, scripsit Commentaria

In Matthæum.

In Iob.

In Psalmos, 51. & 79.

Sanctus Ealredus,Anglus,Monachus & Abbas Rhieuallis in Anglia,qui floruit anno Domini 1164.scripsit

Speculum caritatis lib.2.

De amicitia spirituali,lib.3.

De anima, lib.1.

Planctū mortis Dauidis Regis lib.1.

Sagittam Ionathæ, lib.1.

De Institutione Sanctimonialiū lib.1.

De Genealogia Angliæ Regum lib.1

De diuersis virtutibus, lib.1.

Sermones Synodales, lib.1.

De

De miraculis Ecclesiæ Esteldit- tæ, lib. 1.
De statu eiusdem. lib. 1.
Orationem pastoralem, lib. 1.
De vita S. Niniani Episc. lib. 1.
Homilias 33. in Esaiam, lib. 1.
De relationibus eiusdem, lib. 1.
Sermones de Sanctis, lib. 1.
Epistolarum 200. lib. 1.
De vita Dauidis Scotię Regis, lib. 1.
De vita S. Margaritæ Scotiæ Reginæ. lib. 1.
De vita S. Eduardi Regis & Confessoris, lib. 2. qui excusi sunt apud Surium tomo 1. die quinto Ianuarij.
De miraculis eiusdem Regis, lib. 1. Rebus humanis exemptus: est MS. in Rubraualle.

Frater Engelbertus Abbas Ordinis Cistertiensis anno Domini circiter 1250. Scripsit vitam Sanctæ Hidunigis Ducissæ Sanctimonialis, quæ excusa est Tomo 5. Surij, die 15. Octobris.

Frater Gallus Abbas Aulæ Regiæ in Boiemia, Germanus, scripsit
Malogranatum, lib. 3. Dialogorum inter Patrem & filium.
Sermones ad Fratres, lib. 1.

Frater Gaufredus Antisiodorensis Monachus Cistertiensis Ordinis, discipulus primum Petri Abaelardi, deinde S. Bernardi Abbatis, floruit anno 1160. & scripsit
In Apocalypsim Ioannis, lib. 1.
Contra Petrum Abaelardum lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Frater Gaufridus, Abbas Altæ tubæ, Ord. Cistert. anno Domini circiter 11. . . . scripsit uitam S. Petri Tarantasiensis Episcopi, quæ est apud Surium Tomo 3. die 8. Maij.

Frater Gilbertus, Anglus monachus & Abbas Hoilandię in Anglia, stylo & spiritu vsqueadeo Bernardo similis, vt eodem uisus sit ore ac lingua eloqui, scripsit in tria Canticorum capita, octo suauissimos, & elegantissimos sermones, incipiens vbi S. Bernardus morte præuentus finierat, hoc est ab eo loco tertij capitis,
In lectulo meo quæsiui per noctes: vsque ad locum illum quinti capitis,
Dilectus meus candidus & rubicundus: ad quem cum peruenisset, obiit anno 1200.

Frater Guericus siue Guaricus, vel Guericus Abbas Igniacensis, vir doctus, qui floruit anno 1130. scripsit
Sermonum ad Fratres. lib. 1. excusus Parisijs 1568. in 8. & per Ioannem Costerum repurgatus Antuerpiæ 1577. in 12.
Epistolas ad diuersos.

Frater

Frater Gulielmus, Abbas primum S. Theodorici, & postea Monachus Clareuallensis sub S. Bernardo Abbate, floruit anno 1140. & scripsit

Vitam S. Bernardi, lib. 1. impressus cum Operib. D. Bernardi.
Speculum fidei, Lib. 1.
Sententiarum fidei, Lib. 1.
De contemplando Deo, Lib. 1.
De Sacramento Altaris Lib. 1.
Ænigma Fidei, Lib. 1.
De Natura animæ ad Theophilum, Lib. 1.
De Natura, & dignitate amoris, Lib. 1.
Meditationes pro Nouitijs, Lib. 1.
Contra Petrum Abaelardum, Lib. 1.
In Cantica Canticorum imperfectum, Lib. 1.
In Epist. S. Pauli ad Romanos, Lib. 1.

Fertur, & eius esse, cum adhuc esset Abbas S. Theodorici, Epistola illa ad Carthusienses, quæ S. Bernardo à multis adscribitur.

Frater Hermanus, Monachus de Campo, Vuestphalus, qui vixit anno 1440. Scripsit,

De Vocibus diffinitiuis, Lib. 1.
In Concilio Generali, Lib. 1. Iam sæpius.
De Potestate Papæ, & Concilij, Lib. 1. Beatus Athanas.
De Schismate, Lib. 1.
De Neutralitate, Lib. 1.

Frater Ioannes Monachus, Ordinis Cistertiensis, scripsit Defensorium iuris.

Frater Hubertus Rudelphus, Monachus Ordinis Cistertiensis, anno Domini 1560. Habuit Orationem ad Alexandrum Farnesium, Parmæ, & Placentiæ Ducem, de rebus ab ipso in Belgio gestis, quæ excusa est Duaci, apud Io. Bogardum 1561. In octauo.

Frater Isaac, Abbas Ordinis Cistertiensis, scripsit ad Alcherum Monachum Claræuallensem Epistolam vnâ De Anima, quæ sic incipit, Dilecto suo Alchero, Frater Isaac se, & quod sibi. est MS. in Membranis in bibliotheca nostra S. Benedicti Mantuani, continetq; folia magna quatuor.

Frater Martinus Polonus, Archiepiscopus Consentinus. vide ibi.

Frater Matthæus, Germanus, Aulæ Regiæ in Boiemia Monachus, Ordinis Cistertiensis, cum Ioanne Hussio Pragensi hæresiarcha sæpè congressus, eum cum hæreticis sectatoribus ipsius sępissimè deuicit:

cicset post nimiam hæreseon pullulationem, ex Boiemia in Germaniam, ad Monasterium Veteris Cellæ, Ordinis Cistertiensis, tanquã in portum, venit, in quo Fratres assidua lectione instruens, reliquit in omnes Psalmos Scholasticam lecturã. Claruit ann. Domini 1415.

Frater Nicolaus, Germanus, Monachus Sanctæ Crucis in Austria, scripsit

Imaginem S. Marię, Lib. 3. Nomen Virginis Maria.
Sermones varios, Lib. 1.

Frater Nicolaus Salicetus Germanus, Doctor, & Monasterij Bogardi Abbas, scripsit ad imitationem medicamentorum corporaliũ, librum orationum, intitulatum Antidotarium Animæ, excusum Venetijs anno 1517. In octauo, & Parisijs 1552. in 16. & alibi.

Frater Otto, Episcopus Frisingensis, vide in Episcopis.

Frater Philippus, Germanus, Abbas Otterburgensis Diœcesis Vuormaciensis, scripsit

In Cantica Canticorum, Lib. 1.
Sermones de Tempore, Lib. 1.
Sermones de Sanctis, Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, Lib. 1.

Frater Richardus, de Grandisilua Monachus, Diœcesis Tholosanæ, scripsit Carmen de Laude Claręuallis', quod est in operibus D. Bernardi excusum.

Frater Thomas, Monachus Cistertiensis, eloquentiam Diui Bernardi imitatus, scripsit ad Pontium Claromontensem Episcopum,

In Cantica Canticorum, Lib. 8. Vehementer obstupesco.

qui excusi sunt Parisijs, apud Ascensium anno 1521. quo tempore arbitror eum claruisse.

Reges & filij Regum facti Monachi Ordinis Cistertiensis. Cap. XLIX.

IACOBVS cognomento Fortunatus & felix, cum multa gloria & maiestate regno Aragoniæ, annis 62. mensibus 9. & diebus 9. præfuisset, Maioricam, siue Baleares insulas Saracenis eripuisset; Ordinem Militum S. Mariæ de mercede, sub regula S. P. N. Benedicti, & Cistertiensium constitutionibus, fundasset, febre correptus, rebus humanis omnino renunciat, &

Cistertiensem uestem induit, & de Rege se Monachũ, & Religiosum fecit, certus ad Populetum cœnobium, quo se loco humari uolebat, reliquam vitam exigere. Sed cum ex Algezira Valentiam delatus fuisset, ibidem, grauius ęgrotans, uitam finijt die 27. Iulij, ætatis suæ anno 72. Christi 1276. & in eodem Populeti cœnobio in monastico habitu sepultus est. *Marinæus, de Reb. Hisp. lib. 10. circa finem: & Mariana lib. 14. cap. 2. de ijsdem.*

Frater Henricus, Ludouici Crassi Franciæ Regis filius, prædicatione Sancti Bernardi Abbatis, primum monachus Clarevallensis, Ordinis Cistertiensis factus, post Episcopus Bellouacensis 53. anno 1161. postremo Remẽsis Archiep. 49. anno 1163. creatus, in bonis operibus vitam finiit anno 1177. *Robertus de Monte in suppl. Sigeberti; vita S. Bernardi, & alij.*

Frater Ferdinandus, Alphonsi II. Aragoniæ Regis, filius monachus primum Monasterij Populeti, Ordinis Cistertiensis, inde Abbas Montis Aragonum, Ordinis S. Benedicti nigrorum, floruit anno Domini 1190. *Io. Mariana de rebus Hisp. lib. 11. cap. 19. & alij multi.*

De alijs Ordinibus sub institutis Cistertiensium militantibus. Cap. L.

SVb habitu, & cõstitutionibus Cistertiensiũ Monachorũ, & Regula S. P. Bened. militat quidã Ordo Vallis Colliũ, seu Cauliũ, sic dictus, quod Monast. Vallis Caulium sit præcipuum Ordinis Caput, vt refert Bartholomęus Cassanęus, in Catal. glo. mũdi, par. 4. consid. 58. & per Priores gubernatur, sintque nonnulla Monasteria illius in Gallia, vt apud Heduam, & Sedelocum, ac alibi. Quando autem fuerit institutus, vel à quo, seu qua de causa, à nemine proditum reperi.

Est, & alius Ordo, qui vocatur Ordo Reformatus S. Bernardi, cuius Ordinis RR. Patres nunc Romæ in Ecclesia Sanctæ Potentianæ habitant, acciti ab Illustrissimo, & Reuerendiss. quondam D. Carolo Borromæo, S. R. E. Card. TT. S. Praxedis, & Archiepiscopo Mediolanensi, viuuntque cum magna sanctitatis, & austeritatis opinione: sed quando exortus fuerit, quisve eius auctor, & an à prædicto Vallis Caulium Ordine discretus sit, explicare non valeo.

De

De quarto Stellato Sancto Gulielmo Vercellensi, fundatore Monachorum Montis Virginis.
Cap. LI.

QVartus, qui inter stellatos Abbates, in habitu potius seculari, quam Monachali, & sine Monastica tonsura cernitur, duos diuersorum Ordinum fundatores, Humiliatorum scilicet, qui nunc extincti sunt, & Montis Virginis repræsentat, de quibus sigillatim à nobis dicendum est.

ORDO Montis Virginis in Apuliæ partibus primum institutus circa annum Domini 1120. per Sanctũ Gulielmum. Hic Vercellis ex pijs & nobilibus parentibus natus, pueritię annos in studio diuinarum lectionum consumpsit: deinde mortuis iam parentibus peregrinari cum instituisset, in Hispaniam primum ad S. Iacobum delatus, in Gallicia magnũ probitatis & sanctitatis specimen dedit: & ex ea peregrinatione redux, ut carnem spiritui seruire cogeret, Loricam ferream fabricari iussit, qua indutus, mirum in modum in utroque homine profecit. Tactus deinde desiderio terram Sanctam inuisendi, post multa in itinere perpetrata miracula, ab eo diuinitus reuocatur, & Religioni nouę fundandę se præparare iubetur. Sic iussus, ad Virgiliani Montis radices pedem fixit (hunc Virgilius, vt fertur, quondam inhabitarat, & ex suo nomen Monti dederat) & Monasterium Sacratissimę Mariæ Virgini constituit, unde postea quibusdam litteris inmutatis Mons Virginis appellatus est, optimisque legibus atque institutis, informauit: Quæ cum Monachis suis, quos scientia inflarat, difficiles nimium & asperæ uiderentur, ab iisdem multa dura sustinuit, quorum furori cedendum ratus, Alberto uiro Sancto in sui locum substituto, quinque tantum Monachis comitatus discessit, & in Montem Lacenum primum, ubi multis diuinis uisionibus recreatus est, Salernum exin de commigrauit: & Ordinis sui fundamenta, sua sanctitate pluribus in locis mirabiliter dilatauit. Tandem mortem sibi propinquam sentiens, ad Monasterium Sanctimonialium S. Saluatoris de Gulieto accessit, ibique uigiliis & Orationibus uacans, quam deuotus peregrinus incœperat, & in ea ut intrepidus perseuerarat miles,

Sanctissimus Monachus, & Eremita uitam finijt, anno Domini 1142. die septimo Iunij circa horam noctis mediam. Corporis reliquiæ hominibus relictæ in eodem Monasterio, quod nunc nominis eius uocabulum retinet, sepultæ sunt: Anima uero Angelorum sociandachoris Cœlos penetrauit. Monachorum primus habitus Candidus, Humiliatorum, vti a nonnullis intellexi, omnino persimilis: mutatus deinde forma, non colore simul cum Regula eiusdem Patris, in Regulam S.P.N. Benedicti, sueq; Religionis Casinensis habitum, sed aliquot post annos, transformata sunt.

Beatus Albertus Fratribus a S. Gulielmo discedente, Abbas datus, in omni sanctiate oues sibi concreditas, toto eiusdem Patris tempore, rexit Monachos sapientia sua inflatos, ad humilitatis semitam reduxit, Monasterium in meliorem statum reparauit, & in tantum carus omnibus fuit, ut Sancto Patre Gulielmo defuncto, ad eius uices gerendas unanimi omnium consensu electus sit. Quam ille prouinciam humiliter recusauit, & ut illam susciperet nec minis, nec blandimentis ullo modo adduci potuit, fugam minitans, si ad quod nollet, cogeretur. Intelligebat enim uir Sanctus, Sepe sæpius superbiam & ambitionem in Prælaturis, & dignitatibus, latere, & ideo abiectus esse in domo Dei desiderans, ut alius eligeretur effecit, & postquam uitam, eamque sanctissimam duxisset, moriens, in Cœmiterio Ecclesiæ suæ sepultus est.

Generales Abbates Ordinis Montis Virginis.

Cap. LII.

ROBERTVS, vir Religiosus, & prudens, anno 1142. statim post mortem Sancti Gulielmi, primi Monachorum Montis Virginis institutoris, a Fratribus qui tum aderant, in locum Alberti, qui eam dignitatem recusarat, primus Abbas Montis Virginis electus, inter alia priuilegia quæ ab Alexandro Papa III. sibi, & suis successoribus donari impetrauit, illud præcipuum fuit, ut fratribus suis liceret, Regula S. Gulielmi relicta, quæ nimis aspera, & dura uidebatur, Regulæ Diui Patris Benedicti colla supponere, quod ab eo initio susceptum, nostra etiam ætate retinetur. Et cum sancte, & iustè aliquot annos Congregationem gubernasset, feliciter obdormiuit in Domino.

Beatus

Beatus Ioannes Abbas II. uestigijs prædecessorum suorum insistens, sanctitate, & bonorum operum exemplis, multas diuitias Monasterio suo peperit; Ecclesiam nouam in honorem Deiparæ Virginis, præsentibus Archiepiscopis Beneuentano, & Salernitano, Episcopis 14. & Abbatibus quinque, aliorumque utriusque sexus, & dignitatis infinita multitudine, die undecimo mensis Nouembris, solenniter consecrati fecit: immunitatem Monasterij sui à Lucio Papa III. impetrauit; & tandem bonis operibus plenus, & miraculis, Dæmonum maximè eiectione clarus, migrauit a corpore, anno Domini 1189. die 12. Maij, & in Monasterio suo sepultus, pro sancto ueneratur, & colitur.

Daniel, qui semper titulo Bonæ memoriæ decoratur, Abbas III. voluntate Ioannis prædecessoris sui electus, præfuit laudabiliter annis plus minus septem. Obijt anno 1195.

Gabriel Abbas IIII. priuilegia Ordinis sui à Cælestino Papa III. confirmari obtinuit.

Eustachius Abbas V.

Gabriel II. Abbas VI.

Donatus Abbas VII. Hic concessione Episcopi Casertæ, Monasterium in oppido Matalonæ ædificauit an. 1208. Obijt circa an. 1220.

Ioannes III. Abbas VIII. multa Monasteria Congregationi suæ acquisiuit.

Philippus Abbas IX.

Marinus Abbas X. cognomento Diuinus.

Ioannes III. Abbas XI. pauco tempore superuixit.

Bartholomæus, Abbas XII. Sanctissimę uitæ.

Gulielmus Abbas XIII.

Berardus Abbas XIIII.

Gulielmus II. Abbas XV. uixit anno 1290.

Romanus Abbas XVI. uixit anno 1330.

Ioannes IIII. Abbas XVII.

Mansuetus Abbas XVIII.

Philippus II. Abbas XIX. uixit anno 1342. obijt 1347.

Vacauit Abbatia annis ferè duobus, sub Præpositis & Decanis.

Petrus Abbas XX. inuestitus a Clemente Papa VI. anno 1349. præfuit annis 40. obijt anno 1381.

Bartholomæus II. Abbas XXI. præfuit annis 10. Obijt an. 1390.

Pandulfus, Abbas XXII.

Palamides, Abbas XXIII. Hic permutauit Abbatiam Montis Virginis

ginis cum Hugone Cardinali de Cypro, pro Abbatia S. Petri ad Aram in ciuitate Neapoli: & hæc permutatio facta est anno Domini 1430. ab eoque tempore Monasterium Montis Virginis gubernatum fuit per Abbates Commendatarios; Moriens autem Palamides sepultus est in cœnobio Montis Virginis retro altare.

Vicarij Generales & Abbates Commendatarij, Montis Virginis. Cap. LIII.

HVGO Lusignanus, Iacobi Regis filius, Græcus Cardinalis Cyprius, primus Commendatarius & Prælatus XXIIII. anno 1430. præfuit annis 12. obijt priuatus in Sabaudia mense Augusto anno 1442.

Gulielmus Italus, Cardinalis Cyprius vulgò dictus, Commendatarius II. & Prælatus XXV.

Ioannes de Aragonia, Ferdinandi Regis filius, Neapolitanus, Cardinalis Presbyter S. Sabinæ; Commẽdatarius III. & Prælatus XXVI. Obijt anno 1485. Romæ.

Oliuerius Carrafa, Episcopus Card. Sabinus, & Archiepiscopus Neapolitanus, Commendatarius IIII. & Prælatus XXVII. Huic abstulit corpus S. Ianuarij Episcopi Beneuentani, & martyris, ex monasterio Montis Virginis, & Neapolim illud transtulit. Obijt Romæ 13. cal. Februarij anno 1511. & ad Mineruam primum, deinde Neapolim translatus in cathedrali Ecclesia conditus est.

Ludouicus de Aragonia, Neapolitanus, Regis Nepos Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Commendatarius V. & Prælatus XXVIII. Hic anno Domini 1515. liberè Commendam suam resignauit in manus Leonis Papæ X. ea conditione, vt Monasterium Montis Virginis perpetuo vniretur Hospitali S. Mariæ de Annunciata, quod est in ciuitate Neapolis; quod cum fecisset, Rectores illius Hospitalis possessionem acceperunt eodem anno die 18. Decembris. His que peractis, obiit Ludouicus Romæ anno 1519. die 12. cal. Februarii & sepultus est ad Minernam.

Retro.

Rectores Annunciatæ Neapolitanæ, Monasterij Montis Virginis moderatores. Cap. LIIII.

MONASTERIVM Montis Virginis subiacuit Rectoribus Annunciatæ per annos 49. & menses octo, vsque ad annum 1565. Eo enim anno procurante Ioanne Ludouico Pescicello nobile Capuano, & Rectore Hospitalis prædicti, Monachis consentientibus, & Pio Papa V. confirmante, Monasterium pristinæ obseruantiæ restitutum est: tumque primum prioris habitus forma, in modum congregationis Casinensis transformatus est, quem etiamnum retinent, & duobus annis postea, Generalis unus ex grege Monachorum creatus est, is fuit.

Generales Montis Virginis Triennales. Cap. LV.

ANDREAS Brunus Sanseuerinas, Prior S. Ioannis de Nocera, Generalis primus & Abbas XXX. creatus unanimi consensu anno 1567. præfuit laudabiliter annis 3. & mensibus tribus.

Paulus Ricciutus de Montevirgine, uir litteratissimus, Genetalis II. & Abbas XXXI. creatus anno 1570.

Bernardinus Molinarius de Iocco, Generalis III. & Abbas XXXII. creatus anno 1573. Statim in principio regiminis sui ob quorundam calumnias ab officio depositus, postmodum cognita causa in integrum restitutus est.

Barbatus Ferratus, de Candida, Generalis IIII. & Abbas XXXIII. creatus anno 1576.

Scipio Siluester, de Mercogliano, Generalis V. & Abbas XXXIIII. creatus anno 1579.

Pascarellus Cicinellus de Mercogliano, Generalis VI. & Abbas XXXV. creatus anno 1582.

Benedictus Cutinus Sanseuerinas, Generalis VII. & Abbas XXXVI. creatus anno 1585.

Ioannes Baptista Cassarius, Sanseuerinas, Generalis VIII. & Abbas XXXVII. creatus anno 1588.

Episcopi Ordinis Montis Virginis. Cap. LVI.

SANCTVS Amatus ex familia Forma, nobilis Nuscensis, Monachus primum Montis Virginis, deinde Episcopus ciuitatis suæ Nusco, creatus circa annum Domini 1160. ab Alexandro Papa IIII. præfuit in omni sanctitate annis plus minus 33. & miraculis clarus obiit anno Domini 1193. ætatis suæ 89. pridie calendas Septembris.

Domnus Ruggierus, vel Rogerius Giesualdus, Monachus Montis Virginis & Episcopus Nusci: floruit anno 1224.

Sancti & Beati, Ordinis Montis Virginis. Cap. LVII.

SANCTVS Gulielmus, fundator Ordinis de quo supra.

Sanctus Amatus Episcopus Nusci, de quo iam diximus.

Sanctus Donatus de Ripacandida, Monachus Montis Virginis, anno ætatis suæ 14. ad conuersionem accedens, spatio sex annorum ita perfectionis totius summam arripuit, ut moriens anno ætatis suæ 19. die 17. Augusti, Sanctorum cœtui coniungi, & eorum Catalogo adscribi dignus fuerit. Floruit anno Domini 1170.

B. Albertus Abbas, Sancti Gulielmi successor, vixit anno 1140.

Beatus Ioannes Abbas Montis Virginis, obiit 12. Maii.

Beatus Pascasius Abbas: cuius corpus quiescit in Monasterio Montis Virginis, & digno recolitur honore.

B. Iodochus Palmerius Monachus Montis Virginis, obijt 8. Febr.

Scriptores Ecclesiastici Ord. Montis Virginis. Ca. LVIII.

FELIX Renda, Monachus, & Prior Montis Virginis scripsit,

Vitam S. Gulielmi fundatoris Montis Virginis } impressę an.
Vitã S. Amati Episcopi Nusci. }

Ioannes Nuscensis, Monachus Montis Virginis, qui uixit anno 1200. Scripsit,

Vitam

Vitam S. Gulielmi institutoris sui Ordinis, quam extare refert Thomas Costa, in vita S. Donati Monachi.

Item de quarto Stellato S. Ioanne Meda Comensi, fundatore Monachorum, Ordinis Humiliatorum.

Cap. LIX.

ALIVS Ordo in quarto Stellato significatus est Humiliatorum qui primum exules extitere Lombardi, maxima ex parte Mediolanenses, hi à Cunrado Cæsare (siue ut aliis placet ab Henrico Claudo, uel Friderico Ænobarbo Impp. diuersorũ enim, diuersæ sunt sententiæ) propter coniurationes initas in Germaniam relegati, & exilio mulctati perpetuo, exilij tandem sui eos tædere cepit. Quos cum calamitas Deo propinquos simul cum eorum uxoribus fecisset, communi consensu tam uiri, quam mulieres uestibus albis induti, Guidone Mediolanense huius rei Duce præeunte, sæpe sæpius Henricum II. Imp. Suppliciter flexo poplite rogauerunt, ut propter Dei amorem sibi in patriam remeare liceret. Quod cum tandem impetrassent anno Domini 1046. nobilissimi viri in eodem habitu, Deo summa pietate, sanctè, ac castè Mediolani seruientes, in unumq; coeuntes, exercitio Lanariæ artis, iuxta illud Dauidici, Labores manuum tuarum, quia manducabis, Beatus es, & benè tibi erit, sibi uictum comparare inceperunt: & pristinam vitæ formulam retinentes, separato coniugio, & amictu, non coloris, sed alterius formæ sumpto (erat autem tunica talaris præcincta, cum scapulari, & caputio angusto, pallium ad terram usque protensum, sed in utroque latere apertum, & pileus rotundus) eodemq; usque ad hæc nostra tempora usi, semimonachos quodammodo agere cœperunt. Quibus de uirtute in uirtutem indies proficientibus, atque aliis ad eos se applicantibus, auctos sequentibus annis, disciplina S. P. N. Benedicti, Sanctus Ioannes Meda Comensis astrinxit. Ordinem sub nomine Humiliatorum, Apostolica Innocentij Papæ III. auctoritas comprobauit, & multis Priuilegijs auxit, anno Christi 1200. Eorum prima Sedes ad locum, Rondinetum vocatum, non procul à Ciuitate Comensi, locata: quæ inde in plures familias, ac præposituras dilatata, viros Sanctitate & doctrina claros protulit, uti in sequentibus patebit.

Præpositi

Præpositi Generales Ordinis Humiliatorum.
Cap. LX.

1246. 1.  RATER Beltramus Brixiensis, Præpositus Monasterii Sancti Lucæ, primus Magister Generalis, præfuit annis 12.

1257. 2. Frater Petrus, eiusdem loci Præpositus, præfuit annis 14.

1272. 3. Frater Loderengus Mediolanensis, Præp. de Mirasole, præfuit annis 18.

1290. 4. F. Bregnanus, Præpositus de Vlaciis, præfuit annis 4.

1294. 5. F. Guidottus, Præpositus de Vicoboldono, præfuit annis 15

1309. 6. F. Beltramus II. de Colsano, Præpos. de Vicoboldono, præfuit annis 8.

1317. 7. F. Iacobus, Præpositus de..... præfuit annis 3.

1320. 8. F. Benedictus de Alzate, Præp. Mirasolis, præfuit annis 16.

1336. 9. Frater Gulielmus Fabe, vel, de Villa, Præpo. Vicoboldoni, annis 2.

1338. 10. F. Iacobus II. Præpositus Galgarij, præfuit annis 12.

1350. 11. F. Guglielmus II. de Cerbeta Braïdæ, Prælatus Canonicæ, annis 3.

1353. 12. F. Hubertus, Præpositus Mirasolis, præfuit annis 2.

1555. 13. Frater Beatus Tiberius de Parma, Præpositus Galgarij, annis 16.

1571. 14. F. Christophorus, Præpositus Braidæ, præfuit annis 28.

1398. 15. Frater Petrus II. Monachus & Abbas Sancti Andreæ, Ordinis Cistertiensis Genuæ, præfuit annis 3.

1401. 16. Fratres Andreas Vicecomes, vel Viscontus; Hic electus Frater & Generalis simul vno die in domo Vicoboldoni vigore Litterarum Bonifacij Papæ IX. anno 1401. & præfuit annis 31.

1432. Frater Ioannes de Homacio, Præpositus S. Mariæ Magdalenę Brixiæ, præfuit annis 3.

SCHISMA.

1432. Contra hunc creatum referunt quendam Ioannem Episcopum Mediolanensem, qui Ordini Commendatarius datus est, vi & fauore Philippi Mariæ tunc Mediolani Ducis, qui sua auctoritate quosdam Monachos induxerat

vt hunc

vt hunc Ioannem peterent: Electus autem magis emunctor Ordinis fuit, quam rector, ad altiora enim aspirans, omnem substantiam Monasteriorum deprædabatur, ut sui uoti compos effici posset. Quam rem attendens Eugenius Papa IIII. anno Domini 1435. Senis Capitulum Generale Ordinis indixit, in quo hic Ioannes a regimine amotus, alius in eius locum, sic iubente Pontifice, Generalis creatus est.

ANNOTATIO.

Hæc a me appositæ, vt erat in tabulis RR. PP. Humiliatorum, a Brixia ad me transmissis: Sed errorem latere ex hoc conijcio, quod nullus huius nominis, Ioannes, eo tempore inter Episcopos Mediolanenses reperiatur: quatuor enim Ioannes leguntur in Catalogo Episcoporum apud Galesinium, quorum primus S. Ioannes bonus floruit tempore Martini I. Papæ anno Domini 650. secundus Ioannes Vicecomes, Dominus & Archiepiscopus Mediolanensis, obijt anno 1354. tertius Ioannes Arcimboldus vixit sub Sixto Papa IIII. multis post annis. Est & alius Ioannes Vicecomes, qui Malatestæ Principis auxilio adiutus sedem Archiepiscopalem occupauit, sed cum in Concilio Constantiensi, quod viginti & amplius annis ante tempora Eugenij Papæ IIII. celebratum est, Archiepiscopali, & alijs, si quas habebat, dignitatibus legatur priuatus, non uidetur is fuisse, cui Humiliatorum ordo Commendatus est.

1435. 17. Frater Stephanus de Arsago, Præpositus de Vico Comi, electus Senis in comitijs generalibus, iussu Eugenij Papæ IIII. congregatis, præfuit annis 9.

1444. 18. F. Philippus Criuellus, Mediolanensis, Præpositus de Vinea Laudensi, præfuit annis 25.

1469. 19. F. Iacobus III. Landrianus, Vicoboldonus, Prælatus Canonicæ, anno 1.

1470. 20. F. Bregnanus II. Præpositus S. Michaelis Alexandriæ, præfuit annis 4.

1474. 21. F. Guidottus II. præpositus Galgarij, præfuit annis 12.

1486. 22. F. Beltramus III. præpositus S. Petri de Modoetia, præfuit annis 4.

1490. 23. Frater Gulielmus III. de Braida Prælatus Canonicæ, præfuit annis 2.

1492. 24. F. Philippus II. Criuellus, Præpositus S. Ioannis Laudensis, annis 4.

1496.

1496. 25. F. Iacobus IIII. Landrianus, Præpositus Vicoboldini, præfuit annis 3.

1499. 26. F. Hieronymus Torchius, Prelatus Canonicę, pfuit ann. 25

1524. 27. F. Carolus Argachus, Præpositus S. Catarinę Cremonæ, annis 18.

1542. 28. F. Iacobus V. Landrianus, Præpositus S. Abundij Cremonę, annis 8.

1550. 29. F. Iacobus VI. Gadius, prępositus S. Abundij Cremonæ, annis 11.

1561. 30. F. Galeatius Bripius, prępositus S. Calimeri Mediolani, annis 2.

1563. 31. F. Marius Aueroldus Brixiensis, Prępositus S. Marię de Verona, annis 3.

1566. 32. F. Alexander Colernus, Prępositus S. Catarinę Cremonę, annis 2.

1568. 33. Frater Alouisius, Basilica Petri, Prępositus Sanctæ Catarinę Cremonę, Generalis vltimus, prefuit annis aliquot; & Religione a summo Pontifice destructa, in Ordinem redactus est.

Cardinales Ordinis Humiliatorum. *Cap. LXI.*

BEATVS F. Lucas Manzolus, Florentinus, Monachus, & Præpositus cœnobij omnium Sanctorum Florentiæ, Ordinis Humiliatorum, à Gregorio Papa XII. in secunda Creatione anni Domini 1408. Pontificatus sui 2. Senis in Tuscia die 13. calendas Octobris, ex Theologo, & Episcopo Fesulano S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Laurentij in Lucina creatus, Obijt Florentiæ anno 1411. die 18. calendas Octobris, & in Ecclesia Omnium Sanctorum Ordinis sui sepulchro marmoreo conditus est, cum hoc Epitaphio.

Exemplar vitæ, morum virtutis, & Almæ
Professor Legis, qualem vix nouerat Aetas
Nostra parem, fuit hic Lucas ex Ordine nostro.
Cardinis ad culmen, Romanæ sponte uocatus
Ecclesiæ, uerum Legatus postea Summi
Pontificis, moritur Cœlum mens ipsa volauit.
Anno Dom. 1411. die 14. Septembris.

Beatus

Beatus Iacobinus, Senensis, Monachus Ordinis Humiliatorum, S.R.E. Card. creatus anno .... Obijt anno ....

Episcopi Ordinis Humiliatorum. Cap. LXII.

SANCTVS Baudolinus, Alexandriæ de Palea Episcopus, Obijt die 10. Nouembris.

Beatus Lucas Manzolus, Fesulanus Episcopus, post Cardinalis, obijt 14. Septembris.

Sanctus Constantius, Brixiensis Episcopus, obiit die 12. Februarii.

Sancti, & Beati, Ordinis Humiliatorum. Cap. LXIII.

BEATVS Andreas Senensis.

Sanctus Baudolinus Episcopus Alexandrinus, colitur 10. Nouembris.

Beata Blanca Senensis.

Beata Bruna Vercellensis.

Sanctus Constantius, Episcopus Brixiæ, celebratur die 12. Februarij.

Beatus Guido Mediolanensis, Ordinis fundator antequam Regulæ D. Benedicti subijceretur.

Sanctus Holinus.

Sanctus Homobonus Cremonensis, Confessor, celebratur die 12. Nouembris.

Beatus Horricus Vercellensis.

Beatus Iacobinus Senensis, & S.R.E. Cardinalis.

S. Ioannes Meda Comensis, uir miraculorum gloria clarissimus, qui Monachos sui Ordinis Regulæ Diui P.N. Benedicti astrinxit, obijt anno Dom. 1159. die 6. calendas Octobris, & eodem anno ab Alexandro Papa III. albo Sanctorum insertus est.

Beatus Lucas Manzolus Cardinalis, transitus eius 14. Septembris.

Beatus Petrus de Corino.

Sanctus Pincininus.

Beatus Raynerius Genuensis.

Beatus Tiberius Parmensis, Generalis, fundator Monasteriorum S. Mariæ

S. Mariæ de Horto Venetijs; S. Michaelis, Parmæ; & S. Lucæ Brixiæ quieſcit Venetijs.

Sanctus Torpetus, martyr Piſanus: alius a S. Torpete qui Piſis celebratur 17. Maij.

Beatus Vbertus Mediolanenſis.

De quinto Stellato Sancto Petro, Cœleſtino V. Papa, Fundatore Monachorum Cœleſtinorum.

Cap. LXIIII.

QVINTVS Stellatus qui ad dextram S.P.N.Benedicti, in habitu Monachi, Tiara redimitus Pontificia cernitur; is eſt Sanctus Petrus de Morone, Monachorum Cucullatorum, a nomine quod in Pontificatu geſſit, Cœleſtini vocati, ſub ipſius Patris regula militantium, inſtitutor; qui Eſerniæ in Samnio loco humili natus, & Petrus de Morone vocatus, vitam Eremiticam in Monaſterio S. Petri in Monte Apuliæ Maiella, non longe a Sulmona Diœceſis Valuenſis, ubi & Prioris, & Abbatis uices egit, ſub Regula Diui Benedicti, Congregationis S. Damiani, aliàs Columbæ, diu cum duxiſſet: augendæ religionis cupidus, ipſius S.P.Benedicti familiã nouo aliquo inſtituto exornare cogitauit: cuius deſiderij uota ex alto cœlorum Deus attendens, ut quod in humilitate ſua poſitus nequiuerat, ſuper candelabrum domus Domini conſtitutus implere poſſet, diuinitus effecit, ut abſens in Eremo Maiellæ, & extra collegium Cardinalium, quum inter ſe de futuro Pontifice Cardinales concordes eſſe non poſſent; poſt longam tandem diſceptationem, ad ſuggeſtionem Fratris Latini Epiſcopi Cardinalis Oſtienſis, qui eius ſanctiſſimam vitam optimè nouerat. Nonis Iulij anni 1294. Peruſij, vbi Cardinales conuenerant, Pontifex Maximus renunciaretur: quam electionem ſuam cum approbaſſet, & Cardinalibus ad ſe uocatis Aquiliæ conſecrationis & coronationis inſignia Cœleſtini V. nomine aſſumpto, quarto calẽdas Septembris ſuſcepiſſet; nihil prius habuit quam uotum ſemel mente conceptũ ad opus redigere, & Ordinis ſui fundamenta, iam à uiginti annis anno ſcilicet 1274. iacta, & in Concilio Lugdunenſi a Gregorio Papa X. comprobata, longe lateque dilatare. Cum enim uitæ eius aſperitas, cum crebris miraculis coniuncta, famam eius per Italiam totam,

am, atque adeo Europam uulgasset, tantus ad eum hominum numerus sese adiunxisse dicitur, vt pluribus domicilijs ac locis distribui oportuerit. Sed cum hic ordo Ordinis S.P.N.Benedicti nomen adhuc & habitum retineret, vt cæteros Ordines imitaretur, deinceps a nomine quod in Pontificatu gessit, Cœlestinorum nomen suæ familiæ dedit, & habitu vilissimi coloris camelini panni, qui postmodum in album mutatus est, cucullóque nigro, nostro per omnia simili, eiusdem familiæ Monachos, ab alijs discreuit. Qui sic instituitus & a Bonifacio Papa VIII. anno 1297. approbatus, non paucos in sacrosancta Dei Ecclesia fructus protulit, & viris sanctitate & doctrina claris diuersis temporibus refulsit. Huius uerò Sanctissimi Pontificis coronationi interfuisse plus quam ducenta hominum millia Platina ex Ptolomæo qui tantæ nouitati se interfuisse fatetur, auctor est: Diuinamque præsentiam non defuisse, testatur Matthęus Vuestm. in florib. hist. ad annum 1294. statim enim ut contractus quidam Asinę, quam Pontifex humilitatis caussa ascenderat, impositus fuit, ab omni citius infirmitate conualuit. Ipse uero quamquam Pontifex, nihil tamen de pristino uitæ rigore, nihil de sua humilitate remisit, quin etiam breui adeo strepitum illum, ac fumum aulæ fasti dire, suæque pristinæ quietis desiderio urgeri cœpit, ut omnino molestam illam sarcinam abijcere decreuerit, etsi multum renitente Carolo Rege, & ipso populo Neapolitano. Itaque mense quinto, & die septimo sui Pontificatus, cum unam ordinationem XII. Cardinalium mense Septembri feciisset, eodem creationis sue anno, Idibus Decembris Neapoli sponte se Pōtificatu abdicauit, alijs dolētibus, aliis ob tantam humilitatem, & exemplum ad eum diem inauditum, stupentibus. Vacauit sedes dies 10. Cœlestinus autem rebus huius seculi expeditus, cum iam ad optatam Eremum repedaret, a Bonifacio VIII. detentus, & in arce castri fumonis reclusus, biennio post ibidem mortuus est, 14. cal. Iunii anno 1296. sepultusque in Monasterio S. Antonii de Ferentino Ordinis sui, ante altare maius. Inter Diuos relatus sub nomine Petri, Auinione 3. Nonas Maii, anni 1313. a Clemente Papa V. Scripsit,

Constitutionem unam, licere Pontifici Romano abdicare se magistratu.

ANNOTATIO.

Dubitari a nonnullis solet, Num hic Pontifex adscribendus ueniat Benedictinis, an Cœlestinis. His fauent Trittemius lib. 4. c. 20. Plata lib. 2. c. 28. Ricardus Abbas in Regu. S. Bened. c. 21. & alij, ut Platina,

tina, Supplem. Chron. lib. 13. Volaterranus lib. 22. Petrus in Catalog. lib. 5. c. 19. a quibus Eremita, & sui Ordinis institutor nominatur. Benedictinas uero partes sequi uidentur Martinus Polonus in Chron. lib. 4. Sic inquiens, Hic prius uocabatur F. Petrus de Murone, Ordinis qui dicebatur S. Damiani, sub Regula S. Benedicti, quasi Eremita degebat, multosq; habens discipulos in illis circumuicinis partibus, quibus ipse præerat tanquam pastor, & pater. *Matthæus item Vuestm. in Flo. hist. ad annum 1294. his uerbis.* Eodem quoque anno Monachus quidam, Petrus de Murone, Ordinis S. Benedicti, in solitudine Eremi multis temporibus educatus, in Ciuitate Aquiliæ, electus, & creatus est in Summum Pontificem in die Decollationis S. Ioannis Baptistæ, & Papa Cœlestinus V. nominatur. *Hæc ille, cui donandum est, quod Aquiliæ in die S. Ioannis creatum dicat, locus enim & dies consecrationis eius fuerunt, non electionis, quam hic longe positus ignorauit. Suffragatur, & his Thomas Vualsinghamius in hist. breui ad an. 1295. cuius uerba sunt.* Eodem anno post uacationem diutinam, electus est in Summum Pontificem Petrus de Murone, qui Monachus de Ordine S. Benedicti existens, Eremiticam duxit uitam. Hic sublimatus in Papam dictus est Cœlestinus V. qui unam Ordinationem in mense Septembri faciens, creauit duodecim Cardinales. *Item idem in Ypodigmate Neustriæ ad annum 1294. sic.* Cœlestinus Papa, prius dictus Petrus de Murone, de Ordine S. Benedicti Monachus, & Anachorita, se sentiens minus sufficientem ad tantum onus sufferendum, de consilio Benedicti Caietani cessit Papatui, edita prius constitutione super cessione Pontificum Romanorum. *Panuinus quoque in utroque Epitome, & alij nonnulli, quos breuitatis caussa prætereo. Ambobus tamen posse donari arbitramur. Benedictinis quidem, quod illius Ordinis Monachus multis annis fuerit antequam Ordinem suum fundaret. Cœlestinis uero, quod ex illo Ordine assumptus ad Pontificatum fuerit, qui postea ex eius nomine, Cœlestinus Ordo appellatus est. Petrus Bugianus in Colloquio primo Historiæ suæ Monasticæ, uult S. Petrum Damianum S. R. E. Cardinalem, auctorem fuisse huius Ordinis Cœlestinorum, non autem Cœlestinum V. tribus potissimum rationibus suam auctoritatem confirmans. Prima quod Cœlestinus V. in quodam diplomate Monachum se Ordinis S. Benedicti appellet. Secunda quod a Martino Polono Congregationis S. Damiani Monachus uocetur. Tertia, quod ut ex aliorum relatu se didicisse, non autem uidisse, refert, Monachi illi, Cœlestini denominati sint, non a primo fundatore Cœlestino, sed a colore habitus quem gestabant. Et quod ad primam rationem attinet, in confesso est, uti iam diximus,*

mus, Cœlestinum Ordinis Diui Benedicti Monachum fuisse, & ideo non est mirandum quod illius Ordinis se professorem fateatur; professorem dico, quod humilitatis fuit, non autem auctorem, aut institutorem, quod superbiæ fuisset, & arrogantiæ. Ad secundam aduertendum, quod a Panuino, & alijs, uocatur Monachus Congregationis S. Damiani, non autem Ordinis: aliud enim est Monachum esse alicuius Ordinis, quod diuersitatem habitus includit, & aliud Monachum alicuius Congregationis, qui eiusdem quidem Ordinis, & habitus censentur cum cæteris, differūt tamen congregatione, siue ratione patriæ, siue ratione alterius differentiæ, ut uidere est in Congregationibus, Casinense, Hispanica, Bursfeldense siue Germanica, & alijs, quæ quidem omnes sunt Ordinis S. Benedicti, habitus nigri, & quàmuis diuersæ sint nomine Congregationis, non tamen Ordine differunt. Ita & hic Cœlestinus Ordinis quidem fuit D. Benedicti, Congregationis tamen Damianæ, sic dictæ, quod S. Petrus Damianus, post Ludulphum, qui Columbinam Cōgregationem inceperat, præcipuus eiusdem auctor fuerit & promotor. Quod autem in Historia Martini Poloni in diuersis MSS. exemplaribus, legatur aliquando Ordinis S. Damiani, et aliquoties, Congregationis S. Damiani, ut ipse etiam Bugianus fatetur legisse, id factum suspicor cum scriptorum inaduertentia, tum etiam auctoris forsitan etiam inconsideratione, qui Ordinem cum congregatione, & è conuerso, confudit, uti & nonnulli recentiorum faciunt. Ad tertium Bugiani argumentum, quo nititur probare Cœlestinos sic dictos, quod uestem coloris Cœlestini gererent, non autem quod a Cœlestino sint instituti, in cōtrarium est omnium omnino historicorum sententia, qui unanimi consensu, & nullo penitus discrepante Cœlestinos sic vocatos scripserunt, quod a primo fundatore Cœlestino sint instituti, nec vnum quidem reperies qui huius habitus Cœlestini coloris memoriam faciat. Petrum etiam Damianum Nigro potius colore, quam aliquo alio usum fuisse fidem faciunt Monasteria in quibus vitam Monasticam aliquando se duxisse fatetur, vt sunt Casinense, S. Vincentij, Viuariense & Pomposæ, quæ omnia sub habitu nigro instituta fuisse nemo est, qui ambigat. Ad hanc autem ueritatem confirmandam quàmuis plura scriptorum auctoritatis præcipuæ adferre possemus testimonia, in præsentiarum unum solum nobis sufficiet, quod est D. Richardi Abbatis quondam S. Iustinæ, & Monachi Casinensis super Reg. S. Ben. cap. 21. de Decanis, qui huius rei quam refert, testis oculatus fuit, & uerbis paucis, sed apertis, quis Cœlestinorum institutor, & quo amicirentur habitu, aperit, sic inquiens: In anno Dom. 1294. mense Octobris, Indict. 7. Domnus Cœlestinus Papa V. qui antea uocatus fuit, Frater Petrus de Murone, homo magnæ sanctitatis, uenit ad Mona-

sterium Casinense, & uolens dictum Monasterium unire Religioni suæ induxit Monachos pro maiori parte, ut reciperent suæ Religionis habitum: Qui habitus erat coloris Camellini vilissimi panni; & misit de Monachis suis quasi quinquaginta, Primo nos fueramus nigri, &c. *Et hæc ad opinionem Bugiani dicta sufficiant, quam approbare, & tenere si quis voluerit, non improbamus. Nam quamuis a diuerso, quam nos, auctore Ordinem hunc fundatum affirmet, sub Regula tamen Diui Benedicti, militare asserit.*

Cardinales Ordinis Cœlestinorum. Cap. LXV.

FRATER Thomas Aprutius, Monachus Ordinis S. Benedicti, qui postea Cœlestinus ordo appellatus est, Congregationis S. Damiani, a Cælestino Papa V. in vnica sua creatione anno 1294. Pontificatus primo, in quatuor Temporibus Septembris Neapoli S.R.E. Tituli S. Cæciliæ Cardinalis creatus; Obijt in Eremo Maiellæ anno 1300. & ibidem sepultus est.

Panuinus in Epitome in 4. Platina in vita Cælestini V. Petrus in Catalogo lib. 5. cap. 19.

Frater..... Monachus Ord. S. Ben. eiusdem Congregationis, in eadem creatione S.R.E. Cardinalis Tituli S....., renunciatus: obijt anno.....

ANNOTATIO.

Quis fuerit iste Cardinalis hactenus non inueni; notatur tamen eius promotio a Platina his uerbis: Initio itaque Pontificatu, duodecim Cardinales statim creat, viros integerrimos, quorũ de numero duo eremitæ sunt habiti. *Hæc ille. Horũ vnus fuit Thomas iam dictus, alter uero non exprimitur, quem si coniecturari liceret, dicerem fuisse Landulphum Brancacium, omnes enim alij aut Galli fuerunt, aut certe alterius Ordinis Monachi, tribus solis exceptis Benedicto Cætano, qui postea fuit Bonifacius Papa VIII. Gulielmo Longo, Caroli Regis Cancellario, qui duo Monachi numquam fuerunt; & prædicto Landulpho, in quem sors optimè cadit.*

Scripto-

Scriptores Eccleſiaſtici Ordinis Cœleſtinorum.
Cap. LXVI.

FRater Iacobus de Leccio ciuitate Apuliæ, Monachus Ordinis Cœleſtinorum, Paulo Papæ IIII. ſumme carus, ſcripſit,

De conſolatione Crucis, lib. 1.
De cęremonijs Ordinis ſui, lib. 1.
De vita S. Cœleſtini Papæ V. lib. 1.
Martinellum contra Lutheranos, lib. 1.

Quæ omnia excuſa dicuntur, ſed vbi, hactenus ignoro. Alia inſuper edidit, quæ nondum impreſſa ſunt.

Frater Ioannes Gerſon Gallus, Monachus Ordinis Cœleſtinorum in Monaſterio Lugdunenſi, & eiuſdem Monaſterij Prior, Cancellarius Pariſienſis, Petri de Aliaco Cardinalis Cameracenſis olim diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſecularis philoſophiæ non ignarus, ſcripſit tam metro, quàm proſa multa præſtantiſſima opuſcula, pietatem maximè concernentia, quibus nomen ęternum ſibi promeruit: quæ omnia ſimul impreſſa ſunt in Tomis Tribus anno 15..... in folio, &

Separatim vero excuſa ſunt, Summa Theologica & Canonica in ſex libros digeſta, Venetijs anno 1587. in quarto.

Monoteſſaron, hoc eſt vnum continuum Euangelium ex quatuor Euangeliſtis concinnatum, Coloniæ, anno 1586. in octauo.

De imitatione Chriſti (qui à nonnullis excudi iuſſus eſt ſub nomine Thomæ de Kempis, ſed qua id ratione fecerint ipſi uideant) excuſus Venetijs anno 1488. in octauo, & 1544. 1561. 1567. 1572. & alijs infinitis in locis, tam latine, quàm etiam Gallicè, Italicè, Hiſpanicè, Germanicè, & alijs externis linguis.

Fuit perſonaliter in Concilio Conſtantienſi, quo diſſoluto, domo, patria, cognatis, amicis, dignitatibus, rebusque proprijs pro veritate tuenda priuatus eſt, & multis inſidijs expetitus: unde neceſſitate compulſus ad monaſterium ſuum Lugduni confugiens, ibidem diem obiit anno Domini 1429. ætatis ſuæ 66. die 12. Iulii.

De sexto Stellato Sancto Bernardo Ptolemæo Senensi, fundatore Monachorum Montis Oliueti.

Cap. LXVII.

INTER Stellatos dextræ partis S. P. N. Benedicti, sextus & vltimus apparet Sanctus Bernardus Ptolemæus, Ordinis Monachorum Montis Oliueti calopodiis utentium, sub eiusdem Patris Regula, in Ethruria, fundator & institutor. Is Senator nobilissimus Senensis, & Artium egregius Doctor, Philosophiam in publica Academia cũ profiteretur, repente vtroque oculorum lumine orbatus, cum iam in summis positus videretur angustiis, ad Matris Dei patrocinia confugiens, eius auxilium obnixè postulabat: a qua cum non sine euidenti miraculo, pristinæ fuisset restitutus sanitati, protinus de abdicandis mundi voluptatibus, eius mentem sollicitudo pulsauit, & iam spiritu inflammatus diuino, omnem suam cogitationem ac mentem ad seruiendum Deo, eiusque glorioſissimæ Matri, incredibili conuertit affectu. Itaque in exædram ueniens, tanta facundia, copiaque dicendi ad mundi contemptum, cœlestesque diuitias complectendas, auditores hortatus est, vt omnes quotquot aderant in magnam suimet confusionem versi sint; & continuo quidam eorum, inter quos Ambrosius Picolomineus, & Patritius, ex æquinoca familia Patritia, æque nobilissimi Senatores, quasi quadam cœlesti facula accensi Bernardo adhærentes, una secum, temporum perturbationes perosi ex urbe demigrarunt, & in proximum Senæ collem sese receperunt, eum de nomine illius Hierosolymitani, Dominicis uestigiis frequentati, Oliuetum montem appellantes. Vbi inediæ, vigiliis disciplinis, ac perpetuæ orationi, similibusque operibus pietatis cum uacarent, pluresque iam quotidie eorum sanctitatis bono odore illecti ad ipsos confluerent, non defuere, Dęmone auctore, qui bonis semper initiis aduersari solet, qui eos deferrent ad Pontificem, qui Auinione tunc temporis degebat, quasi nouarum rerum auctores: sed ab illo accisti, ac benignissimè accepti, causam suam, ita egregiè & innocenter defenderunt, ut a Summo Pastore, iam innocentes adiudicati, ad Guidonem Petramala Aretinum Episcopum, in cuius Diæcesi Montis Oliueti locus situs erat, cum mandatis ac literis Apostolicis remissi sint, quatenus eisdem habitum Sanctæ Religionis sub aliqua probata

bata regula traderet. Factumque est dum in Italiam redirent, apparuit Episcopo Beata Dei Mater, Angelorum choro stipata, quæ ei uiros illos commendans, candidum insuper habitum, & Regulam Sancti P. N. Benedicti porrigeret, qua deinceps uterentur. Cuius rei monumentum hodie quoq; extare dicitur Aretii, in tẽplo Sãctissimæ Trinitatis, parietibus pictum, quo in templo & uestis & regula illa ab Episcopo eis rite tradita est per manus Religiosi uiri Ioannis Monachi Camaldulensis Abbatiæ de Saxo Aretinæ Diœcesis, die Sanctę Agnetis Virginis & martyris, qui propterea quotannis Montoliuetanis Monachis celebris existit, anno Domini circiter 1320. Et sic nouellus & pusillus Ordo, a Monte Oliueti nomen retinens & paulatim Sanctitate & fama crescens, a sede demum Apostolica Gregorio Papa XII. sedente circa annum Domini 1372. approbatus, per multas Italiæ ciuitates radicis suę propagines emisit.

Cardinales, & Episcopi Ordinis Montis Oliueti.
Cap. LXVIII.

FRater Georgius Martinusius, Hungarus, Monachus Monasterij S. Pauli non longè a Buda in Hungaria, & Episcopus Varadini S. R. E. Presbyter Cardinalis, creatus a Iulio Papa III. in secunda unius Cardinalis creatione anni 1551. Pontificatus secundo, quarto Idus Octobris Romę: occisus est in Hungaria à Sforcia Palauicino eodem anno, decimosexto calendas Ianuarij, ibiq; sepultus.

ANNOTATIO.

Scribitur à Panuino in utroque epitome fuisse Ordinis Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ, qui Ordo, ut recentioribus placet, militare dicitur sub Regula S. Augustini, ut Trittemio uerò, li. 1. c. 3. de uir. ill. Ord. S. Ben. sub auspicijs eiusdem Patris nostri Benedicti: Ab ambobus tamen erratum est in æquinoco. Cum enim à Serenissimo Matthia Hungariæ Rege, quædam Monasteria Patribus montis Oliueti data fuissent, inter quæ primũ & præcipuum fuit Monasterium S. Pauli, in quo hic Georgius monachum egit, putauit ideo Panuinus Georgium Ordinis Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ fuisse, quod fortè alia Monasteria eiusdem nominis non nosset: & hac item ratione arbitror Trittemium quoque nostrum hallucinatum, ut dixerit eius Ordinis Religiosos sub Regula S. P. N. Benedicti militare,

litare; quod tamen cum ex historicorum fidedignorum sententia, tum etiam ex Constitutionibus eorundem RR. PP. qui etiamnum Romæ habitant, hæc eius opinio abundè refellatur. Fuit igitur Georgius noster Monachus Monasterij S. Pauli iuxta Budam in Hungaria, Ordinis montis Oliueti, ut retulerunt mihi eiusdem Ordinis PP. RR. à quibus hæc accepi cum essem Veronæ in Monasterio S. Mariæ de Organo: quorum etiam opinio confirmatur à Petro Bugiano in histor. Monast. colloquio, siue diario secundo.

De Sanctis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXIX.

SANCTA Franciſca Romana Pauli Buſſæ, & Iacobellæ Roſtandeſcha filia, in iuuentutis flore a Patre uiro coniuncta, poſtmodum anno circiter ætatis ſuæ 52. vidua relicta, ſtatim Sancto Benedicto in Monaſterio Turris ſpeculorum Romæ ſub protectione RR. PP. Ordinis Montis Oliueti, nomen dedit: vbi in Orationibus & vigilijs perſeuerans, ſanctitate & miraculis clara, anno Chriſti 1440. die vndecimo Martij, ætatis ſuæ 56. migrauit ad Sponſum. Sepulta iacet in Monaſterio S. Mariæ Nouæ, Patrum Ordinis Montis Oliueti, non longe ab antiquo Pacis templo.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXX.

DOMNVS Barnabas Riccobonus Abbas Oliuetanus, qui etiamnum adhuc vt puto uiuit, ſcripſit Diſputationes tres,

De ſuprema omnium natura diuina.
De felicitate.
} Impreſſæ Patauij apud Laurentium Paſquatum anno 1593. in quarto.

De ſententiarum communicatione, & variarum opinionum cognitione.

Domnus Marius Æquiuolus, Monachus Oliuetanus, qui floruit hoc noſtro tempore ſcripſit, Vnde antiquorum latria, & uera catholica religio incrementum ſumpſerint, lib. 1. excuſum Monachij anno 1584. in quarto.

Oratio-

Orationem, de Laudibus trium Philosophiæ facultatum & legum Pontificiarum, & Cæsarearum præstantia, cum Paræneſi ad LL. studiosos; excusam ibidem 1585. in quarto.

Domnus Matthias Alberti Florentinus, Monachus Oliuetanus qui etiamnum, ut puto, in uiuis est, scripsit Sermone Italico.

Institutionem Canonicam, in qua summariè describuntur Sanctæ Ecclesiæ leges, Summorum Pontif. Ordinationes, & Sacrorum Conciliorum constitutiones: quæ excusa est Venetijs apud Bologninum Zalterium anno 1571. in quarto.

Domnus Nicolaus Oddus Patauinus, Monachus Oliuetanus, poeta, orator, & Græca & Latina lingua doctus, necnon Philosophiæ in suis Monasterijs professor, cuius familiaritate aliquoties non modicum delectatus fui, scripsit nonnulla opuscula quæ nondum in lucem prodierunt, & publicauit Aetnæ topographiam Antonij Philothei de Homodeis Siculi. excusa Venetijs per Muschium an. 1591. in quarto. &

F. Carolum Billeum Siculum Franciscanum, de secundarum intentionum natura, ad Sixtum V. Pontif. Max. excus. Venetijs 1589. in octauo.

De reliquis Ordinibus, qui sub Regula S.P.N. Benedicti militare dicuntur. Cap. LXXI.

HI sunt Ordines, qui sub Regula & Magisterio Sanctissimi P.N. Benedicti, hodie etiam militare noscuntur. Enumerantur tamen a Ioanne Trittemio de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 1. c. 3. multo plures, ut Carthusiensis; S. Vuillelmi, Sclauorum; S. Ambrosij, Vallis Scholarium: de S. Burga Vidua: S. Pauli primi Eremitæ: & Fontis Ebrandi: item, Ordines, Specuensis: Siluestrinorum: Scotorum, & Grandimontensis. Sed hi omnes maiori ex parte aut alterius Regulæ probantur esse, aut certè Reformationes Ordinum potius, quam Ordines noui.

Carthusiensis enim Ordo, suis Statutis particularibus pro Regula contentus, nullius quatuor Regularum ab Ecclesia approbatarum, disciplinam sequitur, ut rectè docet ex aliorum sententia Bartholomæus Cassanæus, parte quarta Catalogi gloriæ mundi, consideratione 62.

Ordines S. Vuilelmi Sancti Ambrosii, & Vallis Scholarium Regulam Sancti Augustini sequuntur, ut uidere est apud suppl.chron. libro 12. F. Paulum Morigiam de orig. relig. ca. 45. & Genebrardum chronol. libro 4. in Honorio Papa III. & Hieronymum Pauli Barcinonensem in prouinciali omnium Ecclesiarum.

Ordo Sancti Pauli primi Eremitæ à quodam Eusebio Strigoniense in Monasterio Sancti Iacobi Patachii, anno Domini 1215. in Regno Hungariæ inceptus, & à Paulo Episcopo Vesprinensi, à quo postea denominationem Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ accepit, quibusdam particularibus institutis erectus anno 1263. ut Trittemio placet, Regulæ S. P. N. Benedicti primum subiacuit, sed unde occasionem erroris acceperit iam diximus in annotationibus ad Fratrem Georgium unicum Cardinalem Montis Oliueti: & ideo hic repetere non est necesse: Regulam Sancti Augustini huius Ordinis Patres sequi, asserunt cum alii, tum etiam Hieronymus Pauli in prouinciali omnium Ecclesiarum.

Ordines Sclauorum, & S. Burgæ Viduæ, qui sint, quemque ritum sequantur, aut à quibus instituti, hactenus mihi ignotum: & ideo si quis Trittemium sequi uoluerit, placet.

Ordo Fontis Ebrandi, sub Regula quidem Diui P. N. Benedicti institutus dicitur, ut refert Gul. Neubrigensis, de rebus Aug. libr. 1. cap. 15. anno circiter Domini 1140. & Hier. Pauli in prouinciali omnium Ecclesiarum, sic inquiens.

Ordo Fontis Ebrandi, sub Regula Sancti Benedicti, institutus est in partibus Suessionum in Gallia, ubi præcipua Ordinis istius cœnobia constituta sunt, ut repperi in quodam libro doctissimi uiri Pauli Ramusii Veneti, in quo manu sua sic scriptum erat: De monialibus Fontis Eberardi, item num fontis Eberardi Regula, sit Benedictini Ordinis, an alterius, uideto in pagina Taxæ, omnium Episcopatuum, Archiepiscopatuum, ac Abbatiarum Galliæ, ibi ad Suessiones. Hæc ibi. Protulit hic Ordo diuersis temporibus nonnullos uiros scientia, & doctrina clarissimos, inter quos unus fuit, Frater Gabriel du Puy Herbault, id est, Putei herbaldi, uir utraque lingua, Græca, scilicet & Latina doctissimus, & linguæ Gallicæ, alter Tullius: qui floruit anno Domini 1560. & scripsit lingua Gallica.

Expositiones, & exhortationes super Epistolas, & Euangelia quadragesimæ, Tomos octo: quorum octauus in octo diuiditur partes: impressæ Parisiis, per Ioannem de Roiguy,

guy, annis 1574. & 1576.

Transtulit item totum Psalterium paraphrasticè in Gallicam linguam: Excus. Parisiis, anno 1573. In sexdecim.

Et alia nonnulla edidit, quæ nondum uidere potui. Quo colore amiciantur adhuc minimè rescire potui.

Ordines autem quos dicit Specuensis, & Grandimontensis reformationes Monachorum fuerint, non noui Ordines, ut suo loco dicemus. Siluestrinorum item Ordo, uti superius diximus, reformatio fuit Ordinis Vallis Vmbrosæ, & quibusdam tantum cæremoniis à Monachis Vallis Vmbrosæ discretus est.

Ordo uerò Scotorum à reliquo Monachorum Nigrorum Ordine distinctus non est, nam sunt quædam particularia Monasteria per Germaniam, quæ alios ad professionem non admittunt, quam Scotos, inter quæ erant Monasteria Sancti Pantaleonis Coloniæ, aliud quoque Scotorum Viennæ Austriæ, & alia alibi. Hoc igitur personarum delectu excepto, in reliquis scilicet uestitu, uictu, & cęremoniis, Nigrorum normam sequuntur.

Feruntur, & tres alii Ordines Regulam S. P. N. Benedicti sequi, uel saltem olim sequutos fuisse, quorum primus est Ordo Præmonstratensium institutus à Sancto Norberto, natione Coloniensi, & Monacho Sigebergensi, Ordinis Sancti Benedicti, circa annum Domini 1119. vt auctores sunt Frater Iacobus Philippus in Supplemento chron. libro duodecimo sic inquiens. Anno 1119. Ordo Præmonstratensis sub D. Benedicti Regula, hoc anno in Laudinensi Diœcesi, sub quodam Nothoberto nomine, patria Coloniensi, initium sumpsit: & Marcus Guazzus in Historia sua vulgari, his verbis: *L'anno mille cento venti dopò il parto della Vergine, nella Diocesi Laudunense, hebbe principio l'Ordine Premonstratense, sotto la Regola di Santo Benedetto, da un Santo Padre, chiamato Notoberto, nato nella Città di Colonia:* Duo quoque Hispani, scilicet Frater Ioannes de Piueda, Ordinis Sancti Francisci, in Monarchia Ecclesiastica, libro 22. capitulo 22. §. 6. & D. Gonsaluus de Illescas Abbas S. Fromæ in Historia Pontificali, libro quinto, capitulo uigesimo, in fine, talibus Hispanicis uerbis: *En estos dias tuuo su origen la Orden de los Monjes de Premoste, cuyo fundador fue un Sancto Religioso llamado Northberto. Al principio guardaron la Regla de Sant Benito, y despues tomaron la de Sant Augustin.* Ex his igitur testimoniis manifestum est huius Religionis Patres primum sub Regula Diui Benedicti institutos fuisse, etsi illam hodie non obseruent, sed Sancti Augustini,

gustini, quam sibi postmodum assumpserunt, sed quo tempore hæc permutatio facta sit, adhuc non reperi. Fuit deinde Sanctus Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis XV. creatus ann. 1126. & ea potestatem exercuit annos octo, ac miraculis clarus. Obijt anno 1134. die 6. Iunii.

Secundus, est Ordo Sancti Gilberti de Sempingham, siue Gilbertinorum, fundatus ab ipso S. Gilberto in Anglia in Episcopatu Lincolniensi, anno Domini circiter 1148. & approbatus ab Eugenio Papa III. Puto tamen, quod iam à multis annis ex toto defecerit. Agit de eiusdem institutione Gulielmus Neubrigensis, de reb. Aug. lib. 1. cap. 16. & nos fusius sumus prosecuti in subsequentibus in annotationibus Martyrologij nostri ad diem 4. Februarij, quo die eiusdem S. Gilberti celebritas agitur: ad illum ergo locum curiosum Lectorem remittimus.

Tertius, est Ordo Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, de quorum institutione sic loquitur Hieronymus Pauli Barcinonensis, in prouinciali omnium Ecclesiarum: Ordo Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi, erectus per Martinum V. & sunt Monachi Monasteriorum in Hispania, & habent Priores, & sunt pauca Monasteria, Ordinis Sancti Benedicti Cœlestinorum nuncupati. Hæc Hieronymus. Arbitror autem huiusmodi Monachos, eos esse qui instituti sunt à Lupo de Olmeto Hispano, & Romæ demorantur in Ecclesia Sancti Alexij, qui in nullo ferè à nobis differunt in habitu, nisi in colore: uestiuntur enim fuluo, & albo, tunica scilicet candida, & scapulario, ac cuculla Monastica fuluis, siue tanetis: sed cum dicat F. Paulus Morigia, cap. 42. de orig. relig. eosdem sub particularibus institutis ex scriptis Diui Hieronymi excerptis, militare, hanc meam opinionem certam esse non affirmo, cum præter ea, quæ Hieronymus Pauli refert, apud neminem alium quicquam de hoc Ordine legerim. His igitur paucis de fundatoribus Ordinum Spiritualium prælibatis, restat ut ad militares Ordines explicandos accedamus.

De

De Ordinibus Militaribus Equitum, qui militantes sub Reg. S.P.N. Benedicti, tanquam *Stellæ manentes in Ordine, & cursu suo aduersus Syſaram pugnauerunt: Iudicum. cap. 5.*

Cap. LXXII.

EXPLICATIS manus dextræ Stellatis Ordinum Spiritualium fundatoribus, qui in clauſtris materialibus, legendo, pſallendo, Hymnis & Canticis ſpiritualibus Domino laudes decantando, Orationibus, & alijs ſpiritualibus armis, contra ſpiritualia nequitiæ uiriliter dimicare didicerunt: ſupereſt vt & leuæ manus Militarium Ordinum Stellatos fundatores exponamus, qui, alijs ad montem, qui Chriſtus eſt, aſcendentibus, ut Moyſi, & legislatori noſtro Benedicto, ſacras manus, & brachia ad cœlum tendenti, & ſacrificium ueſpertinum in eleuatione manuum ſuarum Domino offerenti, tanquam fideles Aaron, & Hur, auxilio ſint, & manus laſſitudine graues, ſacrificij lapidis illius Angularis ſuppoſitione, leuantes & ipſi puras manus in Oratione, ſuſtentent, murum ſe pro populo Dei, contra uiſibiles Eccleſię hoſtes, audacter oppoſuerunt, illum acriter defenderunt, eiusq; inimicos in ore gladij fortiter fugauerũt, & toti Chriſtianitati utilitatem incredibilem, Religioni Monaſticæ immortalem gloriam, ſibiipſis perpetuam famam, & honorem pepererunt: & vt ſtrenui cooperatores ſpiritalis fabricæ, alijs una manu, dextra ſcilicet, infatigabiliter laborantibus, & opus Domini facientibus, ipſi

Altera tenebant gladium. 2. *Eſdr.* 4.

Quos inter, qui primus in cucullo Monaſtico, aurea redimitus corona; læua, de manu Sanctiſſimi P. N. Benedicti, gladium ſumere conſpicitur, duos Reges, duorum diuerſorum Ordinum, Militum videlicet de Auis, & Calatrauæ fundatores repræſentat: qui idcirco ſub uno capite compræhenduntur, quod ſuccedentibus temporibus in unum Calatrauæ Ordinem coaluerint. Et Auiſios quidem Milites Frater Franciſcus de Rades Regis Capellanus, Ordinis Calatrauæ miles, in libro ſuo Ordinũ Militarium. cap. 16. cum Calatrauenſibus confundit, & è contra: Volaterranus uerò lib. 21. cũ Alcantarenſibus, at diuerſos eſſe egregiè docet Gonſaluus Argotes de Molina, lib. 1. c. 32. de Nobilitate Hiſpanię. Horũ igitur inſtitutio ſic ſe habet.

De

De Alphonso primo Lusitaniæ Rege, fundatore Militum Ordinis de Auis. Cap. LXXIII.

EBORA, ciuitas Lusitaniæ Celeberrima, & frequenti Regum Portugalliæ domicilio nobilissima, quibusdam Militibus, quorum magna erat opinio uirtutis, ad Maurorum incursus arcendos, munienda, custodiendaque data est, ab Alphonso, huius nominis primo, Lusitaniæ Rege, anno Domini 1147. qui vt præmium labori esset, ipsam ciuitatem, cum subiecto agro dono dedit Beatę Mariæ Ordinis Cistertiensis, atque eius nomine Ferdinando Monteiro primo Ordinis Magistro, & Socijs iure perpetuo, unde illis primum nomen Eboræ Militum. Resque adeo creuit, ut & Christianorum collationibus facultates maximas, & oppida quamplurima possiderent, creato Magistratu cui obtemperarent. Aucti deinde, eiusdem regis munificentia an. 1181. tempore Ferdinandi Yannez, secundi Ordinis Magistri, castro Aussio, ab eo denominati sunt. Habitus, præter Crucem Rubram, ab initio nullum discrimen.

Et in simili uarietate, sexaginta sex annis perseuerantes fuere, donec anno 1213. Garsiæ de Aca, Magistri Militiæ Calatrauensium liberalitate, donati sunt duabus amplissimis possessionibus in regno Portugalliæ, & tunc primum formula Ordinis constituta, & albus habitus, ad Crucem Rubram adsignatus. Magistri eis fuere diuersis temporibus, tum sanctitate, tum etiam bellica laude clari. Quando militiæ Calatrauæ incorporati sint incompertum, patet tamen id accidisse post an. 1490. nam eo anno Frater Georgius, Ioannis Regis Lusitaniæ filius, & Militum Auisij Magister mortuus perhibetur.

De filijs Regum Ord. Militum de Auis. Cap. LXXIIII.

FRATER Ioannes, Petri Portugalliæ Regis, cognomento Crudelis, filius Nothus, Miles, & Magister militiæ Ordinis Equitum de Auis, post diuturnam Ordinis gubernationem, Ferdinando Rege humanis rebus exempto, Lusitaniæ Rex declaratus, mira toto regni sui tempore peregit. Primus namque fretum Herculeum transgressus, tres insulas extra orbem cie-

ctas (vulgo Dispersas dictas) regno conquisiuit; & Septam Africæ Ciuitatem, Mauris ademptam, Portugallis dedit. Fato concessit anno Domini 1433. regni sui 50. *Genealogia Regum Lusitaniæ, & Cæsar Campana de eisdem.*

Sanctus Frater Ferdinandus, Fratris Ioannis, præfati Portugalliæ Regis filius, ab ineunte ætate Ordinem Militum Auisiorum ingressus, patre ad regnum assumpto, Militiæ Magister factus est anno Domini 1385. Demum bello Saracenico captus, apud hostes in vinculis ea vixit patientia, vt molæ qua uiuere cogebatur cum famulo per se satis sufficiente, suas partes obiret: ob quam vitæ abstinentiam, & crebra quæ ad eius sepulchrum fiebant miracula, Diuorum albo est adscriptus. Obijt anno 1443. die 17. mensis Iunij, & in cœnobio Batallæ sepultus est. *F. Stephanus Lusignanus corona 4. cap. 7. & alij nonnulli.*

Frater Georgius, Ioannis II. Lusitaniæ Regis filius, Dux Coimbriæ, & Turris nouę Marchio, miles, & Magnus Magister Equitum Auisiorum a prima ętate factus, claruit maximè anno Domini 1490. *Genealogia, & Cæsar Campana supracitati.*

De S. Raymundo Abbate, & Sancio Rege, fundatoribus Militum Ordinis Calatrauæ. Cap. LXXV.

NON absimile principium Militibus Calatrauensibus, Sancio Desiderato Castellæ, & Ferdinando Legionis & Galliciæ, Regibus, fuit. Calatraua enim oppidum loco munito in Oretonis ad Anam flumen situm, quo tempore ereptum est a Mauris, Templarijs militibus, ut arcis instar esset ad Barbarorum impetus repellendos, commendatum est: ij, Mauris ad castrum obsidendum magno numero aduentantibus, defensionis spe abiecta, Sancium Regem conuenientes arcem cum oppido reddiderunt. Inter nobiles deinde inuentus est nemo, quamuis a Rege ea de re interpellati, qui suo periculo arcem custodiendam susciperet. Contigit, idque non sine uoluntate diuina, ut duo Cistertienses Monachi, quibusdam alijs negotijs impediti, eo tempore Toleti demorarentur, Raymundus Fiterij ad Pisoricam Abbas (errant qui hanc laudem ad Fiterij cœnobium allegant, quod in Vasconibus non procul Tudela situm est, cum constet consequenti tempore fuisse exstructum) atque eius socius Dieghus Velasquius, is vetus antea

Alphonsi

Alphonsi,Imperatoris miles,multisque bellicis operibus clarus,rerum deinde humanarum contemptu monachum induerat, & vt erat magno animo,monendo,suadendo, hortandoque cunctantem, effecit ut oppidi defendendi curam in se Abbas susciperet. Consilium specie temerarium erat, re Dei afflatu conceptum, nam contra tantas difficultates ratione satis prouid[illegible] poterat. Ea res Regibus Sancio,& Ferdinando primum gratiu[illegible] fuit,deinde Ioāni Præsuli Toletano,in cuius ditione Calatraua sita est, qui pecuniā de suo suppeditauit, & suis exhortationibus effecit,ut tam nobiles, quam populares,Abbate ductore discrimini sese offerrent,ne in tanto periculo religionem Christianam deserere uiderentur. Itaque cum tanti apparatus rumor percrebuisset,Mauri spe sua deiecti Calatrauam non uenerunt. Id felix, faustumque & bene ominatum initium eius militiæ fuit anno 1157. Donatus deinde Abbas, Calatrauæ principatu, cum subiecto sibi agro a Regibus præfatis, plerique milites eum secuti vestem mutarunt, quam ille talem attribuit,eiusque formæ, quæ armorum usum non impediret. Raymundus deinde uita feliciter transacta,obijt ad oppidum Ciruelos,ubi & sepultus est,& in Cœlestium numero repositus. Dieghus etiam Velasquius ad multos annos uita producta, Gumielæ, in Monasterio Diui Petri obijt, ibique sepultus est non sine sanctitatis opinione. Ab his initijs sacram Calatrauæ militiam in hunc quem cernimus splendorem perductam, sub P.N. Benedicti Regula, & Cistertiensi habitu candido, Alexander Papa III. anno 1164. suo diplomate confirmauit: Innocentius Papa III. anno 1199. ratificauit, & priuilegijs auxit: & ut, semel tantum, uxores ducere possint, Paulus Papa III. anno 1540. sua benignitate indulsit. Crucem rubram in candido amictu, Benedictus XIII. qui Pontificias uices agere se putabat, sua auctoritate adiunxit, idque factum anno Domini 1396.

ANNOTATIO.

Volaterranus lib. 21. Antropologiæ, & Bugianus noster, nonnullique alij, qui forsitan ab his, tanquam fontibus, id hauserunt, putant, imo & in scriptis suis reliquerunt, Calatrauenses Milites Nigro uestiri colore; quæ eorum opinio, non sic accipienda est, ut putemus habitum Religionis Militum Calatrauensium, id est Cucullum,nigrum fore, sed intelligenda uenit de habitu exteriori quotidiano,quando Cucullo non utuntur,qui ita eis proprius est, ut etiam in eorum Comitijs Generalibus lege sancitum sit, ut nullus illius Religionis Miles, cuiuscumque dignitatis,uel ætatis sit, aliquo alio colore possit uestiri.

Do-

Domicilium Calatrauæ primo collocatum est, Ciruelos deinde, Buxedam mox, Corcolem deinceps, & Saluaterram migrauit. Cuos ad extremũ Nunnio Fernãdo duodecimo eius militię Magistro.

Magistri Generales Ordinis Militum de Calatraua.

Cap. LXXVI.

1 DON Garsias, primus Magister, creatus anno Domini 1164.
2 Martinus Peresius, Sionius, Magister II. creatus anno 1172.
3 Nunnius Peresius, Quignonius, creatus anno 1183.
4 Martinus II. Martinus, creatus anno 1212.
5 Garsias II. Martinus.
6 Ferdinandus Scaza.
7 Rodericus Gonsaluus.
8 Gonsaluus Lopezius.
9 Rodericus II. Deazius de Yanguas.
10 Rodericus III. Garsias.
11 Didacus, siue Dieghus, Garsias.
12 Nunnius II. Fernandus.
13 Martinus III. Rodericus.
14 Martinus III. Ruyzius.
15 Gonsaluus II. Ioannes, siue Ioannes Gonsaluus.
16 Martinus V. Fernandus.
17 Ferdinandus II. Perezius.
18 Ferdinandus III. Ordonius.
19 Petrus Ioannes.
20 Petrus II. Yuannes.
21 Ioannes Gonsaluus, dictus Brauus.
22 Rodericus IIII. siue Ruy, Peresius, Poncius.
23 Rodericus V.
24 Garsias III. Lopezius de Padilla: depositus anno 1302. sed postea restitutus spõtè abdicauit anno 1329. Sub isto Ordo Monteśiæ Ordini Calatrauensi supponitur anno 1316.
25 Alemanus, depositus est, anno 1324. vel circa.
26 Ioannes II. Nunnius de Prato, creatus anno 1329.

SCHIS-

SCHISMA.

27 ALphonsus Peresius, creatus contra Ioannem.
28 Didacus, seu Dieghus II. Garsias de Padilla obijt Alcalę in carcere, creatus 1338.
29 Petrus III. Muuius de Godoy obijt 1385.
30 Petrus IIII. Aluarus Pereira anno 1385. occisus est.
31 Gonsaluus III. Nunnius de Gusuran Nieblæ Comes. Hoc magistro, obtentum Benedicti XIII. venia, vt scapulari nigro relicto, Milites Calatrauæ Cruce rubra vtantur. Obijt 1402.
32 Henricus Comes de Cangas: semotus anno 1414. & Dehesæ sepultus.
33 Ludouicus de Gusman, creatus anno 1416. Obijt 1442.
34 Ferdinandus IIII. de Padillâ, cognomento Electus. Obijt 1443.
35 Alphonsus de Aragonia, instructus anno 1443. remotus est anno 1445.
36 Petrus V. Gironus, creatus an. 1445. obiit an. 1466. ætatis suæ 66.
37 Rodericus VI. Telleſius, Gironus, creatus 1466. obiit 1482.
38 Garsias IIII. Lopezius de Padilla, vltimus Magister creatus an. Dñi 1482. Obiit ann. Dñi 1489. Quo mortuo Magistratus sub administratione Regum Castellæ, & Legionis deuolutus est.

Administratores perpetui Ordinis Militum de Calatraua.

Cap. LXXVII.

1489 FERDINANDVS Rex, & Isabella, perpetui Administratores Ordinis Calatrauæ.
1504 Ferdinandus Rex, solus.
1516 Carolus V. Imperator.
1556 Philippus II. Rex Hispaniarum.

Capitula, siue Comitia Generalia Ordinis Calatrauæ.

Cap. LXXVIII.

I. CELEBRATVM anno 1492. vbi actum de Fide Catholica.
II. Tordesillæ, anno 1494.
III. Alcalæ, id est Compluti, anno 1497.
IIII. Granatæ, anno 1500.
V. Medinæ Campi, anno 1504.
VI. Hispalis, anno 1511.

Gua-

VII. Guadalupi, anno 1516.
VIII. Burgis, anno 1523.
IX. Madridij, anno 1535.
X. Madridij II. anno 1552.
XI. Toleti, anno 1560. Si quæ sint alia, hactenus mihi ignota.

Scriptores Ordinis Militum de Calatraua. Cap. LXXIX.

FRATER Franciscus de Rades & Andrada, Hispanus, Ordinis Calatrauæ Miles, & Regis Hispaniarum Sacellanus, scripsit Historiam Ordinum Militarium, quæ excusa est, sed ubi, & quo uixerit tempore ignoro.

De Gometio Equite, fundatore Militum, Ordinis de Alcantara. Cap. LXXX.

SEQVITVR deinde secundus Stellatus, eodem habitu, Candido scilicet, sed Corona Regia carens. Is fuit Gometius Fernandus, nobilissimus Miles, qui anno Domini 1170. Ferdinando II. Castellæ & Legionis Rege feliciter regnante, Ordinem Militum Sancti Iuliani de Piro, sic dicti, quod in eo oppido quod decem milliaribus a Rodrico ad Coam, Regni Legionis tunc, nunc Lusitaniæ, distat, primum Ordinis cœnobium exstructum sit, fundauit. Ordinem primus probauit Alexander Papa III. anno 1177. comprobauit Lucius, item III. anno 1183. & a Diœcesanis exemit, addita Diui P.N. Benedicti Regula, quam sequerentur. Confirmauit tertio, Innocentius & ipse III. idque anno 1305. Insigne tum illis fuit, Arbor Piri uiridis, in auro, quod postea mutatum. Donati exinde Alcantara oppido Regni Castellæ, anno 1218. liberalitate Nunnij Fernandi, duodecimi Calatrauæ Magistri, vnde tanquam ex arce munitissima, atque firmissimo propugnaculo in hostium fines incurrerent, illorumq; impetus propulsarent, ut beneficium beneficio rependerent, illius Religionis habitum sumpserunt, & ab oppido Nouo, Alcantaræ Milites dicti, quod vsque in hodiernum manet. Hoc Alcantare militibus initium fuit

tenuè & inualidum ut ferè rebus magnis. Cucullum & rubram fasciam, qua longo tempore distingui consueuerunt, cruce uiridi florida in candido scapulari mutarunt, anno 1411. cum Calatrauæ milites, quibus olim subditi fuerunt, nunc uix contributi, Rubræ Crucis figura, florida in albo clypeo, Auisii uero eodem crucis signo, in auro, utantur. Officium eorum quod idem est cum Calatrauensibus, & Auisianis militibus, hoc modo peragitur. Ad matutinum, *Deus in ad. Domine labia*, Ter. *Kyrieeleison, Christe. Kyrie. &c.* deinde uigesies, *Pater noster*, & in fine uniuscuiusque, *Gloria*, ad ultimum *Pater Per dominum nostrum. Domine exaudi, Benedicamus Domino.* In diebus festis, XII. Lectionum, & Duplicibus, officium duplicant, id est 40. *Pater noster.* Pro laudibus, decem *Pater*. Pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, quinque *Pater*, pro unaquaque hora. Pro uesperis, decem, Pro Completorio, quinque; & semper incipitur, & terminatur officium sicut in Matutino: excepto *Domine labia.*

Omni die Lunæ, quando festum non occurrit, dicunt septem *Pater*: pro defunctis, ad unumquodque adiungentes, *Requiem*, & in fine *Requiescant in pace.*

Omni Feria Sexta, per totum annum, totidem, cum *Gloria Patri*, Sed his diebus Prior claustralis, & cæteri milites, qui in claustris habitant, dicunt septem Psalmos cum Litaniis. Singulo quoque anno, incipientes post festum S. Lamberti, tenentur recitare decies totum psalterium pro mortuis fratribus, & post unumquodque Psalterium, 150. *Pater noster*, cum *Requiem*. Sed Prior, & Sacerdotes eorum loco, dicunt & celebrant uiginti Missas pro defunctis.

Quoties quis Fratrum moritur, recitant 150. *Pater noster.* Prior, & Sacerdotes, tres Missas celebrant. Item omni anno ipso die ferię quintæ in Cœna Domini, tenentur recitare 150. *Pater noster*, cum *Gloria Patri*, & hoc per totam Feriam V. & sequentem. Forma professionis eorum, quam accepi ex libro institutionis illorum, compositio per F. Petrum Gutierresium, tit. 15. cap. 5. talis est.

Domne Frater. N. Ego Frater. N. Miles Ordinis Alcantaræ, professionem facio Deo, & Domno Magistro, & Vobis qui eius nomine hic estis, & promitto uobis Obedientiam, Castitatem coniugalem, & conuersionem morum meorum, de bene in melius, omni tempore uitæ meæ usque ad mortem, secundum Regulam Sancti Benedicti, & modum uiuendi concessum huic Ordini de Alcantara.

Magi-

Magistri Generales Ordinis Militum de Alcantara.

Cap. LXXXI.

1 DON, siue Donnus Frater Gometius Fernandus, primus fundator, primus Prior, & primus Magister Ordinis S. Iuliani de Piro, creatus anno Domini 1170. præfuit annis 30. Impetrauit approbationem Ordinis ab Alexandro Papa III. anno 1177. uices Prioris agens: confirmationem uero obtinuit anno 1183. a Lucio Papa III. cum iam esset Magnus Magister Ordinis. Cognominatus est Barrientos, & Trugillus. Obiit anno 1200.

2 Frater Benedictus, Suares, Fruelæ Domini Castri Coronati filius, Lusitanus, impetrauit tertiam confirmationem Ordinis ab Innocentio Papa III. anno 1205. præfuit annis 8. obiit anno 1208.

3 Frater Nunnius Fernandus, tertius Magister S. Iuliani, sed Alcantaræ militum primus, quod Castrum illud dono habuerit a Calatrauensibus, rexit annis 11. obiit anno 1219.

4 Frater Garsias Sanches, qui & Dia Sanches, hic primus transiit ex Monasterio S. Iuliani, ad Alcantaram, & Magister Militum de Piro, & Alcantara dictus est, rexit annis 8. obiit anno 1227. Nonnulli aiunt fuisse Toleti Archiepiscopum.

5 Frater Arias Perezius, Petri Ariæ de Menterroso nobilissimi Galliciæ Equitis filius, præfuit annis 7. obiit anno 1234. & Alcantarę sepultus.

6 Frater Petrus Ioannes, præfuit annis 20. abdicauit anno 1254. & Magister Militum Calatrauæ factus est.

7 Frater Garsias II. Fernandus Barrantes, in locum Petri abdicantis electus anno 1254. ex nobilissima familia, S. Andreæ de Barrantes, præfuit annis 30. obiit 1284.

8 Frater Fernandus Paesius, Lusitanus, Payi Gometii de Toronno filius, electus anno 1284. Hic relicto nomine Magistri de Piro, solum Alcantaræ retinuit, rexit annis 8. obiit anno 1492.

9 Frater Fernandus II. Peresius, Gallecus, Petri Garsiæ Galleci filius, rexit annis 5. obiit anno 1296. fuit Dominus S. Marthæ de Ortiguera in Gallicia, eius mater Teresia Nunnia Maldonada.

10 Frater Gonsaluus Peresius, Fernandi Nepos ex Stephana sorore, Petri Fernandi Equitis Galliciæ filius, rexit annis 17. obiit anno 1314. Vacat annos 2.

11 Frater Rodericus, siue Ruy, Vasques, electus anno 1316. rexit annis duobus, & remotus est anno 1318.

12 Frater Suerus Peresius, Gallecus, Giraldi Peresii Maldonadi filius, creatus in locum Roderici anno 1318. rexit annis 16. obiit anno 1334. & sepultus est in Ecclesia arcis Alcantaræ.

13 Frater Rodericus, siue Ruy. II. Peresius Maldonadus, præcessoris Frater, cum anno ferè integro rexisset sponte abdicauit anno 1335. timens ne deponeretur: sed facti postmodum pœnitens Magistratum reassumpsit, quem tenuit aliis duobus annis, sed iram Regis incurrere ueritus, iterum abdicauit anno Domini 1337.

SCHISMA.

14 Frater Fernandus II. Lopes, abdicante prima vice Roderico, contra eundem electus anno 1335. præfuit mensibus sex, & eodem anno obiit.

15 Frater Suerus II. Lopes, Fernandi II. Nepos, Patruo succedens, præfuit mensibus ferè sex, sed Roderico iterum intrante, sponte abdicauit anno 1335.

16 Frater Gonsaluus II. Nunnius Quietanus, ab alijs Gonsaluus Martinus, dictus, Nunnij Peresij de Caso filius, fauore Alfonsi 12. Regis, contra Rodericum anno 1335. electus, præfuit in Schismate annis duobus: sed Roderico secunda uice abdicante, Canonicè creatus est anno 1337. & anno sequenti cum quorumdam maleuolorum inuidia, eiusdem Regis iram incurrisset, eius iussu in arce Valentiæ capite truncatus est, & Alcantaræ sepultus. Post mortem, quòd inuidia occisus fuisset, & sine vllo suo demerito, Regi delatum.

17 Frater Nunnius II. Chamisus, creatus anno 1338. Interfuit cum suis militibus bello Bellamarino, in quo plus quam 200. millia, Mauri interempti: rexit annis 5. obiit anno 1343.

18 Frater Petrus Alphonsus Pantoxa, Alfonsi Fernandi Pantoxę filius, rexit annis 4. obiit anno 1346. ex vulnere.

19 Frater Fernandus III. Peresius, Poncius Legionensis, Fernandi Peresij Poncij Legionensis, & Isabellæ Gusmaniæ, Dominorum Marchenæ, filius, præfuit annis 9. obiit anno 1355. & sepultus est in oppido suo Moron.

20 Fra-

20 Frater Dieghus, siue Didacus Gutierrius, de Zauallos, Montanesius ex Valle Toranzę, fauore Petri Regis, nullius Religionis Miles, anno 1355. creatus, quinquagesimo octauo post die, ab eodem Rege, cuius iram meruerat, priuatus, ob regiminis breuitatem, professionem non emisit.

21 Frater Suerus III. Martinus, cognomento Asturianus, Gonsalui II. Magistri 16. Nepos, creatus anno 1355. prędfuit ann. 7. Obijt in Syria anno 1361. sepultus primum in Ecclesia S. Saluatoris, deinde Alcantaram reportatus ibidem tumulatus est, cum hoc Epitaphio

Hic iacet Magister Donnus Suerus Martinus: rexit annis Septem.

22 Frater Gutierrus Gometius, Toletanus, Gometij Peresij Toletani filius, creatus anno 1361. rexit annis 2. Occisus est iuxta Valentiam a Valentinis, anno 1364.

23 Frater Martinus Lopes, Cordubensis, Garsiæ Fernandi, & Marię de Toleto filius, fauore Petri Regis creatus ann. 1364. rexit ann. 4. & anno 1368. ab eodem Petro Rege, Magnus Magister Calatrauæ factus est.

SCHISMA II.

24 FRater Petrus Munius de Godoy, in absentia Martini qui in Angliam Legatus abierat, ab Henrico Transtamaræ Comite, Petri Regis fratre, Magister Alcătarę creatus, præfuit aliquot mensibus, & Martino reuertente, abdicare coactus est: sed inde, ipso Henrico iam facto Rege, Magister Calatrauæ postmodum Magister S. Iacobi factus, obijt anno 1385.

25 Frater Melenius Suarus, creatus ann. 1369. præfuit annis 2. coactus abdicauit.

26 Frater Rodericus, siue Ruy Dias, de Vega, fauore Henrici II. Regis anno 1371. creatus, rexit annis 4. obiit anno 1375.

27 Frater Dieghus, siue Didacus II. Martinus, præfuit annis 7. obiit anno 1383.

28 Frater Dieghus, siue Didacus III. Gometius Toletanus, Gometij Peresii Barrosi filius, electus anno 1383. occisus est in bello anno sequenti regiminis sui primo; & in ecclesia arcis Alcantaræ sepultus est.

29 Frater Gōsaluus III. Nunnius de Gusman, Petri Nunnii de Gusman filius, creatus anno 1384. rexit quasi anno uno. & Magister Calatrauæ factus in locum Petri Aluari, anno 1385.

30 Frater Martinus II. Ioannes, Barbuda, Lusitanus, creatus anno 1385. præfuit ann. 9. Occisus est a Mauris anno 1394. die 6. calen. Maij, in Dominica in Albis, sepultus Alcantaræ in Diuę Mariæ Sacello cum hac inscriptione, quam incidi ipse mandauerat,

Aqui yaze aquele que porueua cousa, nunca ouue pauor en se u corazon:
ideſt
Hic situs Martinus Iuanius, in omni periculo experri timoris animo.

31 Frater Fernandus IIII. Rodericus, de Villalupi, Ioannis Roderici de Villalobos filius, Legionensis, anno 1394. solo fauore Henrici III. Regis, & contra Militum uoluntatem, creatus, cum non esset de Ordine, rexit annis 14. Obijt in Villanoua anno 1408.

32 Frater Sanctius Ferdinandi Infantis, qui post Rex Aragoniæ factus est filius, anno 1409. in discordia fratrum electus, anno ætatis suæ octauo, & nondum Ordinem ingressus, rexit an. 7. Obijt in Medina Campi anno 1416. ætatis 15. iam professus, & sepultus est in Sacello S. Andreę, Eccles. S. Dominici. Hoc gubernante ann. 1411. Cucullum in Crucem viridem mutatum, per Benedictum XIII. qui se Papam faciebat.

33 Frater Ioannes de Soto Maiori, Alphonsi, siue Ferrandi de Soto Maiori filius, Gallecus, creatus anno 1416. rexit annis 16. Iussu Ioannis II. Regis postea depositus anno 1432.

34 Frater Gutierrus II. de Soto Maiori, Ioannis Nepos, in eius locū electus anno 1432. præfuit annis 23. Obijt anno 1456.

35 Frater Gometius II. Solius, de Caceres, Dieghi de Caceres Solis filius, creatus anno 1457. Præfuit annis 14. & Henrici IIII. Regis opera à Magistratu remotus, anno 1471. duobus annis post in arce Magazelę in carcere obijt.

SCHISMA III.

36 FRater Alphonsus de Monroy, Alphonsi Beluisij, & Deleciosæ Domini, ac Ioannæ de Soto Maiori, sororis Gutierri II. magistri 34. filius, contra Gometium II. electus anno 1471. eo deposito, & in carcerem truso, canonica electione confirmatus est anno 1472. in Ecclesia Alcantaræ maiori: sed paulo post a Francisco de Solis captus, aliquot annis detentus est in carcere; mortuo deinde Francisco liberatus, Alphonsi Lusitaniæ Regis partes contra Ferdinandum Catholicum secutus, ab eodem Magistratu priuatus, Ioannem de Estunica successorē ha-

habuit: pace demum inter Reges composita, veniam quidem a Ferdinando Rege promeruit, sic tamen vt Magistratu abdicaret, quod fecit anno Domini 1479. regiminis sui nono.

SCHISMA IIII.

37 FRater Franciscus de Solis, Gometij II. Nepos, Alphonso capto, vi potius, quam Militum voluntate creatus, non multo post occisus est.

38 Frater Ioannes de Estunica, siue Zuniga, Aluari Zunigę, Arcualij Ducis, Placentiæ, & Bejar, ac Leonoræ Pimenteliæ, filius, fauore Ferdinandi Regis, & Sixti Papæ IIII. dispensatione, adhuc puer, & nondū professus, contra Alphonsum de Monroy Regis rebellem, creatus, circa annum Domini 1476. deinde anno 1479. per abdicationem dicti Alphonsi, Magister legitimus remanens, dispensationem accepit ætatis, anno 1481. præfuit a prima sua electione annis 19. Abdicauit anno 1495. liberè, in manus Ferdinandi Regis, qui Magister, & Administrator perpetuus Ordinis Calatrauæ factus est. Fuit Ioannes deinde Toletanus Archiepiscopus, & S. Rom. E. Cardinalis, vt infra videbitur.

Administratores perpetui Ordinis Militum de Alcantara. *Cap.* LXXXII.

1495 ERDINANDVS Catholicus Rex Hispaniæ.
1516 Carolus V. Imperator, & Rex Hispaniæ.
1556 Philippus potentissimus Hispaniarum Rex.

Cardinales, & Archiepiscopi Ordinis Militum de Alcantara. *Cap.* LXXXIII.

FRater Ioannes de Estunica, Magnus Militum Alcantaræ Magister, & Hispalensis Archiepiscopus, a Iulio Papa II. in prima sua creatione Romæ anno sui Pontificatus primo, Christi 1503. die 3. cal. Decembris facta, creatus est S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli..... Obijt anno sequenti 1504. in Hispania Guadalupi, sexto calendas Augusti, ibique sepultus est.

Scriptores Ordinis Militum de Alcantara. Cap. LXXXIIII.

FRATER Gundisaluus de la Cerda Hispanus Ordinis militiæ de Alcantara, Philippi secundi, Hispaniarum Regis Catholici a Sacris, scripsit Commentaria in Epistolam Diui Pauli ad Romanos, quæ excusa sunt Vlyssiponæ anno Domini 1583. in folio: & anno 1591. in folio iterum ibidem. Arbitror eum adhuc uiuere.

Frater Ioannes Petrus Gutierez, Hispanus, Ordinis equitum Alcantaræ, Sacrista maior & Capellanus Philippi II. Hispaniarum Regis, scripsit de origine & principio Ordinis Militum Alcantarę librum unum lingua materna Hispanica, qui impressus est Madridij per Alfonsum Gomes, an. Domini 1576. in fol. Vtrũ obierit ignoro.

Frater Petrus Hispanus, militię Alcantaræ Eques, scripsit Tractatum de Oratione, Hispanica lingua, qui in Italicã translatus excusus est Venetijs an. Domini 1565. Puto eum hoc nostro seculo claruisse.

Filij Regum Ord. Militum de Alcantara. Ca. LXXXV.

FRATER Sanctius, Ferdinandi I. cognomento Iusti, Regis filius, ab ipsa sua pueritia, Ordinem Alcantarę militum ingressus, & totius Ordinis Magister creatus anno 1409. eo munere functus est annis septem. Obijt anno 1416. uti supra in Magistris annotauimus.

De Iacobo primo, Aragoniæ Rege, fundatore Militum, Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, & Redemptione captiuorum. Cap. LXXXVI.

MILITES Alcantaræ, qui & alio nomine à vulgò vocantur Milites S. Benedicti, siue Benedictini, sequuntur Mercenarij, quorum typus repræsentatur in tertio Milite Stellato, Monastico Cucullo, & corona regali ornato. Ipso enim anno quo S. Dominicus in Hispaniam uenit, qui fuit a Christo

sto Nato 1218. Barcinonæ noua piorum hominum instituta sodalitas est, nomine Diuæ Mariæ de Mercede. Cum enim multi terra marique Christiani homines capti a Mauris, & in seruitutem abacti, uitæ acerbitate a Christo data fide mouerentur, in magnum Religionis dedecus, & Christiani nominis probrum, huius procurandi studio hominum societas instituta, qui corrogatis vndique eleemosynis stipe redacta, captiuos fideliter redimerent. Iacobus Fortunatus, is qui Baleares Insulas à Mauris eripuit, Aragoniæ Rex, præcipuus eius Ordinis auctor refertur, uoti reus, ut quidam scribunt, quod Montione dum captiui instar teneretur, Virgini Matri nuncuparat, usu edoctus quantum esset captiuitatis malum. Post Regem Petrus Nolascus homo Gallus, Ducem secuturis se præbuit, optimisq; legibus, & institutis, ad Diui P.N. Benedicti norman, nascentem familiam temperauit. Regia insignia, cruce candida impositа in clypeo rubro, ad vestem candidam, & Cucullum in dextera parte Nigrum, in sinistra fuluum, toti familiæ distinctionis gratia contributa sunt: ipse in S. Crucis coram Rege, & proceribus de manu Raymundi Pennafortij, qui tunc Regi a confessionibus erat, & deinde Ordinis Dominicani Magister fuit, solenni cærimonia suscepit. Gregorius Papa IX. anno 1230. institutam uiuendi rationem probauit. Extat de ea re Gregorij ipsius diploma Perusij datum ad sextum decimum calendas Februarij. Diui Augustini Regulam sequi plurimi affirmant. Quam opinionem, & nos mordicus tenuimus, usque ad annum proximè præteritum 1593. quo melius edocti sententiam mutauimus. Transeuntibus enim duobus huius Ord. Religiosis Militibus Hispanis per hoc S. Georgij Maioris cœnobium, & Romam uersus tendentibus, cum illis sermo a nobis habitus de fundatione Ordinis sui, & Regula quam sequerentur. Respondsum, Normam D. Benedicti sequi. Oppositum, eius Ordinis Religiosos Hispanos Romæ, Diui Augustini institutis subesse, ut ipsemet ab illis, cum illic essem, audiueram. At illis, diuersos a suis esse respondentibus, causa addita, qui Romæ, & in Hispanijs demorarentur, Religiosos tantum S. Mariæ de Mercede, Ordini S. Trinitatis de Mercede proximos, non Milites esse: se uerò Milites, & Religiosos simul. Adiuncta & diuersitatis ratio, armorum scilicet differentia: Illi enim qui Augustinum sequuntur ad arma Regia, & crucem, fasciam auream in umbonis medio, vmbonemq; prætexta aurea insignitum gestant: qui Benedictum uero, sola cruce candida in rubro, armis Regiis superpositа contenti. Et ut fides dicto esset forma professionis

fessionis eorum, ab illis mihi relicta quæ dubitationem omnem ante conceptam de S. Augustini instituto, procul a me remouit. Hanc igitur sic accipe:

Ego Frater N. Miles, Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, facio professionem, & promitto, obedientiam, paupertatem, castitatem obseruare Deo, viuere, & comedere secundum Regulam B. Benedicti, & in Saracenorum potestate, si necesse fuerit, ad redemptionem Christi fidelium, detentus manebo.

Eorum item opinioni fauere videtur ea, quæ habet Hieronymus Pauli in Prouinciali omnium Ecclesiarum, vbi hi Ordines sic distinguntur, vt vnus, noster videlicet, vocetur Ordo B. Mariæ de Mercede, & redemptione captiuorum: alius verò, Ordo B. Mariæ de Mercede captiuorum simpliciter.

Cardinales, & Sancti, Ordinis Militum S. Mariæ de Mercede, & redemptione captiuorum.
Cap. LXXXVII.

FRATER Sanctus Raymundus Nonat, Hispanus, Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede, & redempt. miles, a Gregorio Papa IX. in tertia Cardinalium creatione, anno Domini 1234. Pontificatus sui octauo, mense Decembri, Romæ facta, S.R.E. Diaconus Cardinalis, Tituli S. Eustachij renunciatus; ita uixit, ut post mortem Sanctorum Catalogo adscribi dignus fuerit. Quo tamen anno, & die obierit incertum.

ANNOTATIO.

Raymundi sanctitatem, simul & dignitatem Cardinalitiam produnt Volaterranus Antrop. li. 21. in Tract. Ord. Milit. & Petrus Bugi..nus diario. 1. Hist. Mon. Hi quamuis à quo Cardinalis creatus fuerit non dicant, arbitror tamen ex uerisimili coniectura eum esse, qui à Panuino in epitome in 4. in tertia Gregorij IX. creatione notatur sub littera R. ..... uocaturque Cardinalis TT. S. Eustachij; eo enim tempore uixit hic Raymundus, qui probationem sui Ordinis impetrauit à præfato Pontifice anno 1230.

Sanctus Petrus Armengol, Hispanus.

Sanctus Alphonsus, Hispalensis.

De

De Gulielmo Erilio Equite Fundatore Militum, Ordinis de Monteſia. Cap. LXXXVIII.

ANNO Domini, milleſimo trecenteſimo decimoſeptimo, ex bonis quæ Templarij Milites in Valentino tractu obtinere ſoliti erant, noua Militia exorta, Calatrauæ quidem ſubiecta, proprio tamen Magiſtro, Gulielmo Erilio Ordinis auctore. Huius prototypus eſt, qui cucullo amictus, & Cruce plana & ſimplici ad pectus ornatus, quarto loco inter Stellatos Milites ſtare cernitur. Veſtis candida, Cruce rubra & plana inſignita. Regula S. P. Benedicti addita, Ciſtertienſium inſtituto legibusque viuere mandatum eſt. Præcipua ſedes Monteſia, vnde Militiæ nomen: tenuis cenſus, virtus bellica aduerſus Mauros qui Valentina littora infeſta reddebant, cæteris non inferior. Ordinem probauit Ioannes Papa XXII.

ANNOTATIO.

Errant Volaterranus, Bugianus, Morigia, & alij eorum ſequaces, qui Ordinis huius fundationem, ad Iacobi II. Fortunati Aragoniæ Regis tempora referunt, cum conſequenti Iacobo II. Rege primi ex filio nepote, Ordinis fautore, regnante, anno quo prædiximus noſcatur inſtitutus: ut egregiè prodiderunt cum nonnulli Hiſpanici Scriptores, tum maximè Gonſaluus Argotes de Molina, lib. 1. c. 32. partis 1. de nobilitate Hiſpaniæ, & R. P. Ioannes Mariana in hiſt. Hiſp. lib. 15. c. 18. ad annum 1317. Errorem peperit Iacobi æquiuocum nomen, & quod ſecundo debebatur primo, ſed malè, attributum. Vt tamen omnia fiant manifeſta, verba Domni Gonſalui de Illeſcas hic apponam, qui in hiſtoria ſua Pontificali, lib. 2. c. 2. in vita Ioannis Papæ XXII. ſic de fundatione huius Ordinis loquitur: En el tercero anno de ſu Pontificado à requiſicion del Rey Don Iayme de Aragon el II. inſtituyo el Papa Iuan, la Orden de caualleria que ſe llama de Monteſa, &c. *Profitebantur olim omnes caſtitatem, primusq; qui illam infregit fuit Cæſar Borgias Magiſter Ordinis (vt intellexi) decimus uel vndecimus. In vexillis militaribus vtuntur Crucibus viridis & nigri coloris: ſed in pectore habitu & ſcutis Crucem Rubram gerunt.*

Filij

Filij Regum, Ordinis Militum de Monteſia. Cap. LXXXIX.

FRATER Iacobus, Iacobi Aragoniæ Regis filius, coniuge Leonora, Alphonſi Caſtellæ Regis filia, intacta relicta, Miles, & Magiſter Ordinis Monteſiæ factus eſt, circa annum Domini 1330. & cum aliquandiu Ordinem ſtrenuè rexiſſet, migrauit a ſeculo. eo magis ab omnibus deſideratus, quo ſe affabilem, & benignum omnibus exhibuerat.

Scriptores Ordinis Militum de Monteſiæ. Cap. XC.

FRATER Iacobus Falco, Hiſpanus, Valentinus, Ordinis Monteſiæ Miles, admirabilis ingenij vir, quod enim ante ignotum, ſuo nobis manifeſtauit ingenio, paucis namque ad hinc annis, Quadraturam circuli nouiter adinuenit, & de ea inſignem tractatum ſcripſit, qui excuſus eſt Antuerpiæ, apud Ioannem Bellerum, anno 1591. in quarto. Arbitror eum adhuc ſuperſtitem eſſe.

De Dionyſio Perioca Portugalliæ Rege, fundatore Militum Ordinis Ieſu Chriſti, alias de Portugallo. Cap. XCI.

DIONYSIVS, cognomento Perioca, Portugalliæ Rex, qui quintum inter Stellatos locum occupat, Cucullo amictus, & corona redimitus aurea, proximo tempore, anno ſcilicet Domini milleſimo trecenteſimo uigeſimo, nouam Militiam in Luſitania conſtituit, cui a Chriſto nomen eſt, eo Regni nobiliſſimam, cruce rubra, linea candida interſecante diſtinctam, in atro amictu. Ordinem eodem Ioanne XXII. confirmante, illi Templariorum oppida, prædia, ædes, attributæ, tantum ut eſſent, qui proximorum Maurorum irruptionibus reſiſterent. Normam Diui Benedicti, Ciſtertienſium Conſtitutiones ſequuntur, ſub Magiſtro, cuius

uect igal

nectigal centum aureorum millia: hoc inde, quod huic Ordini omnes prouinciæ inuentæ tam in Africa, quam in Asia, & Brasilia, cum omnibus Insulis, atque Orientalis Indiæ, annexæ sint. Castrum Marinum primum Ordini Domicilium, inde Tonarium migratum. Frater Gillius, siue Ægidius Martinus, quondam Militum Auisiorũ, primus Ordinis Magister, & post eum alij.

Filij Regum, Ordinis Militum Iesu Christi. Cap. XCII.

FRATER Henricus, Ioannis Portugalliæ Regis filius, infans Lusitaniæ, Miles primum, deinde Magister Equitum Ordinis Iesu Christi, de Portugallo vulgo nuncupatorum, ampliandi Regni Paterni desiderio Africæ littora classibus lustrare cœpit, & in Atlantico mari nouas, & ab hominibus nunquã habitatas reperit Insulas, inter quas est ea, quæ vulgo de Madera nuncupatur, saccharo proferendo aptissima. In perpetua uirginitate permanens, obiit anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo. Totius autem itineris sui librum composuit, qui procurãte doctissimo viro Ioanne Ramusio, impressus est Venetijs, Sermone Italico, cum aliis rerum noui Orbis scriptoribus.

De Cosmo Mediceo, Magno Hethruriæ Duce Ordinis Militum S. Stephani Papæ, fundatore. Cap. XCIII.

ANNO Domini 1561. excitatus est nouus Militũ Ordo a Magno Hethrurię Duce Cosmo, sub Regula Diui P. Benedicti, habitu candido, & cruce Rubra, ob victoriam de inimicis suis partam die secundo Augusti Diuo Stephano Papæ sacro, a quo nomen Religioni datũ. Prima sedes in Insula Iluæ collocata, nunc Pisis habitant. Ordinem probauit, priuilegiisq; auxit Pius Papa IIII. cuius Ordinis Magister perpetuus est Dux Hethrurię pro tempore, qui sexto loco inter Stellatos lęuæ manus, habitu Monachi Cucullati, & Ducali corona redimiti conspicitur.

Magistri

Magistri perpetui Militum S. Stephani. Cap. XCIIII.



OSMVS Medices Ioannis filius, magnus D. Hethruriæ, primus Ordinis Magister, anno 1561. præfuit annis plus minus 15. Obiit anno 1575. undecimo cal. Maii. ætatis suæ anno 55.

Franciscus Cosmi filius, magister II. præfuit annis 13. obiit anno 1589.

Ferdinandus, Cosmi filius, Francisci frater, S. R. E. Diaconus Cardin. & Magnus Hetruriæ Dux, Magister III. nunc præest felicissimè.

Cardinales, & Archiepiscopi, Ordinis Militum Sancti Stephani. Cap. XCV.



FRATER Alexander de Medicis, Florentinus Eques Militum, Ordinis S. Stephani, & Archiepiscopus Florentinus, a Gregorio Papa XIII. creatus est, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum Quirici, & Iulitę, anno Domini 1583. Adhuc viuit.

De alijs Militarium Ordinibus, qui sub Regula S. P. N. Benedicti militasse dicuntur. Cap. XCVI.



FERVNTVR, & alij tres Ordines Militares olim sub Diui P. N. Benedicti Regula militasse; quorum primus est.

Ordo Militū S. Io. Baptistę, siue Eleemosynarij, vulgo Hierosolymitani, qui postmodū Rhodiani, nūc Melitenses appellantur. Hi quāuis nunc, sub auspiciis D. Augustī. uitam agant, a Monachis tamen Benedictinis originē suam primariā habuisse manifestum est, ut testarū reliquit Dominus Gulielmus Episcopus Tyri in Hist. sua Sacra, lib. 18. c. 5. sic inquiens; Amalphitani Monasterium erigunt in honorem Dei Genitricis ante ianuam Ecclesiæ Dominicę Resurrectionis, simul cum ijs officinis,

nis,quæ ad usus Monachorum,& suæ gentis hospitium poterant ali quam præstare commoditatē. Quo facto de partibus suis, tā Monachos,quā Abbatem transferentes locum regulariter instituunt; quē quia Latini habitabāt, Monasterium de Latina appellarunt:ibidemque Monasterium in honore Beatæ Magdalenę Monialium erexerunt ad obsequium aduentantium mulierum peregrinantium.Quibus omnibus Amalphitani singulis annis summam pecuniariam, ad eorum alitionem supportabant. Hæc Tyrius. Huiusmodi autē Monachos,ex nullo alio cœnobio assumptos, quam a Cauensi, quod nō longè ab Amalphi situm,tunc temporis sub Regula D.P.N.Benedicti,& Congregatione Cluniacēsi,regulariter viuebat,ex multis probari posset, quorum duo tantummodo hic attingam. Vnum est Priuilegium Balduini illius nominis IIII. cognomento Leprosi, Regis Hierusalem VII. datum S. Benincasæ tunc temporis Abbati Cauensi, in quo immunitatem Monasterij sui eidem concedit sub tali tenore.

In nomine Sanctæ & indiuiduę Trinitatis,Patris,& filij,& Spiritus Sancti,Amen. Notum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus,quod Ego Balduinus,per Dei gratiam in Sancta ciuitate Hierusalem latinorum Rex VI.dono,& remitto pro remedio animæ meę, & inclytæ recordationis prædecessorum meorum tibi Benecasa, Venerabilis Abbas Cauensis Cœnobij, & Successoribus tuis, & prædicto Monasterio in perpetuum,Ancoraticum Nauis tuæ,id est, Marcham vnam Argenti,quam Naues accedentes, de consuetudine dare solent.Dono etiam vobis,& concedo nihilominus in perpetuum, ut liberum ad terram meam habeatis accessum, & ex ea recessum, ita quod accedentes de rebus Monasterii quas venales introduxeritis, nihil penitus alicuius occasione consuetudinis tribuatis. Abeuntes uero, de rebus quas ad opus Fratrum, & Monasterij usum,uobiscum detuleritis, nullam penitus exactionem ammodo reddere teneamini. Vt huius igitur donationis & concessionis meæ pagina rata uobis teneatur in æternum, & indissoluta, præsentem cartam testibus subscriptis, & sigillo meo muniri præcepi. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXI. Indictione XV. Huius rei sunt testes, Ioscelinus Regis Senescalcus,& N.....

ANNOTATIO.

Duo uidentur in præfato instrumento ueritati obnoxia; Vnum quod vocatur hic Balduinus, Rex VI. cum VII. fuerit, primus enim fuit Godofridus Bullonius; secundus Balduinus eius Frater,tertius Balduinus II. eius

eius Gener. quartus, Fulco eius quoque Gener; quintus Balduinus III. eius filius; sextus Almericus, eius Frater; & septimus hic Balduinus IIII. sed fortasse ex antiquitate ipsius instrumenti, punctus unus, siue Littera ? a tineis corrosa, quæ hanc controuersiam peperit: Alterum quod datum dicitur anno 1181. Indictione 15. cum vt ex Indictionibus videre est, anno prædicto 1181. Indictio 44. fuerit non 15. At huic scrupulo facile occurritur, si dicamus tunc temporis Indictiones solere incipi computari, non a Calendis Januarij, ut nunc ex institutione Romanæ Ecclesiæ fit, sed ab VIII. calendas Octobris, & sic unus annus duabus quasi Indictionibus seruiebat.

Alterum, quo probatur Monachos Cauenses fuisse horum Militum institutores, est testimonium R. P. D. Victorini ab Auersa, Abbatis nunc S. Seuerini Neapoli, tunc uero sui Monasterij Cauensis, qui in Catalogo Sanctorum sui Monasterij ad me transmisso, sic de S. Petro Abbate tertio loquitur: Sanctus Petrus Salernitanus, Abbas tertius dicti Monasterij, Vrbani II. Pontif. Max. institutor: & Militum Hierosolymorum Institutor primus.

Ab illis autem Monachi, qui Hierosolymis tunc habitabant, Milites Hierosolymitanos originem traxisse affirmant omnes ferè, qui de eorum origine ex professo tractant, ut Vincentius, lib. 27. Antoninus in 2. part. Hist. tit. 15. capit. 20. Polydorus Virgilius de Inuent. rer. lib 7. cap. 5. Raphael Volaterranus, lib. 21. Anthropologiæ; Paulus Morigia, de Origine Relig. & alii infiniti, ad quos curiosum Lectorem remitto, qui de eorum institutione plura cupit.

Secundus Ordo Militum, qui Diui P. N. Benedicti instituta sequuti sunt, est Militū Templariorum; qui ideo Benedicti normam sequi reputati sunt, quòd à sancto Bernardo Clareuallensi Abbate, Regulam Bene uiuendi acceperint, ut claret ex eius Epistola ad Milites Templi.

Tertius Ordo, est Militum S. Georgij, de quibus sic scribit Hieronymus, Pauli in prou. omn. Eccles. *Militia B. Mariæ de Montesia, & S. Georgij Cistertiensis Ordinis.* Vtrum tamen hic Ordo Regulam Diui Benedicti seruet ignoro. Arbitrarer potius ideo Cistertiensis Ordinis appellari, non quod Regulam quā seruāt Cistertienses, sequātur, se quod, vel sub eorū correctione sint, vel eorum gaudeant priuilegijs. Sicut Ordo Militum SS. Mauritij, & Lazari à Pio Papa IIII. renouatus, scribitur Ordinis Cistertiēsis a Paulo Morigia in vltima sua editione de Orig. Relig. hac sola cōsideratione, vt opinor, quod illius Ordinis Priuilegiorum sit particeps. De alijs verò Ordinibus

duobus

duobus præcedentibus, ideò in præseptiarum pauca attuli, quod primus, S. Ioannis Hierosolymitani, scilicet, iam ab Ordine nostro discretus sit; secundus Templariorum ex toto abolitus.

Cur non omnes Viri illustres, & Sancti huic præsenti libro appositi. Cap. XCVII.

HAEC, quæ de Ordinibus diuersi habitus, sub Regula Diui P. N. Benedicti viuentibus, eorumque Generalibus, & Viris illustribus, scriberem habui. Non ignoro tamen plures alios Viros sanctitate conspicuos, & doctrina venerabiles fuisse, qui ad meam notitiam non peruenerunt, tum quod Historijs huiusmodi Ordinum destitutus fuerim, tum etiam quod nec litteris, nec amicitia, quod iustè & piè ab alijs optabam, extorquere potuerim. Quis enim adeò iudicij inops reperiatur, vt putet unum Cistertiensem Ordinem toto Orbe famosissimum, & sanctis Viris in illo feracissimo Sanctorum, Diui Bernardi, seculo repletum, cuius Virorum Monasteria quater mille, Mulierum sex mille numerum excedebant, ad tantam inopiam redactum, ut ad summum triginta aut quadraginta Sanctis (plures enim reperire non potui) contentus uideatur? De Scriptoribus Ecclesiasticis, aut Prælatis non loquor, quorum tanta fuit multitudo, ut beata illa Ecclesia reputaretur, quæ aliquem illius Ordinis Monachum Pastorem sibi deligere poterat, ut egregiè prodit Franciscus Belforestius in magnis Annalibus Franciæ, lib. 4. cap. 5. Sufficiat mihi incepisse, alijsque uiam aperuisse felicius perficiendi, quod a me, ut opinor, nec infeliciter tentatum est.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIGNI VITAE

LIBER SECVNDVS.

DONNO ARNOLDO VVION

Belga Duacensi, & Monacho Casinensi,

AVCTORE.

ARGVMENTVM.

ABSOLVTO, de Sanctiss. P.N. Benedicto, & aliorum Ordinum fundatoribus, id est, de istius Ligni sacratissimi radice, Tractatu, ordo poscere videbatur, vt Arborem ipsam & Ramos explicaremus; sed cum, vt in præfatione ad Lectorem diximus, consilij nostri fuerit, prius non solum Radicem ipsam, verumetiam eos qui illam circumstant & ambiunt, antequam ad Ramos accedamus explicare, vt declaratio ipsa quandam seriem continuatam haberet; Secundum huius Ligni Vitæ Librum auspicabimur ab ijs, qui ex Monastico statu prodeuntes, maximum illi splendorem addiderunt, ob munerum, quæ gesserunt, amplitudinem ac præstantiam; qui ad dexteram eiusdem Patris, alij Pontificio, nonnulli Cardinalicio, quidam Archiepiscopali, cæteri Episcopali, Postremi Abbatiali habitu, pro dignitatum diuersitate, supplices stare conspiciuntur, quasi de accepto munere tanto Patri gratias referentes. Primi nobis occurrunt Summi Romanæ Ecclesiæ Pontifices, de quorum numero non parua est inter Historicos controuersia. Quidam namq; qui rectius senserunt, ijsq; potiores, viginti quattuor, aut 25. vel 26. fuisse rectè affirmarunt. Trittemius noster de Vir. illustribus Ordinis Sancti Benedicti, lib. 1. cap. 5. & lib. 4. cap. 20. octodecim cognoscit; qui tamen & alibi aliquoties 24. extitisse fatetur. Petrus à Bugiano, Pontificibus Ordinum, Camaldulensis, Cisterciensis, & Cœlestini exclusis, legitimos 37. nouem verò schismaticos cum Francisco Yuannez, Gonsaluo

Gonsaluo Illescas, & Hieronymo Plata, & alijs, fuisse contendit. Omnium autem, quos reperire potui, exactissima discussione facta, eorum opinionem sic conciliandam arbitrarer, vt dicamus cum Trittemio, Pontifices, Sanctos videlicet, Ordinis D. Benedicti, quorum locus professionis constat, fuisse numero octodecim, scilicet;

Sanctus Gregorius I. Monachus S. Andreæ, Romæ.
Sanctus Bonifacius I I I I. S. Sebastiani, Romæ.
Sanctus Adeodatus, S. Erasmi, Romæ.
Sanctus Agatho, S. Hermetis, Panhormi.
Sanctus Stephanus I I I. S. Benedicti, Casini.
Sanctus Stephanus I I I I. S. Chrysogoni, Romæ.
Sanctus Paschalis I. S. Stephani, Romæ.
Sanctus Gregorius I I I I. Fossæ nouæ, Terracinæ.
Sanctus Leo IIII. SS. Siluestri & Martini, Romæ.
Sanctus Leo V. de Brandalo.
Sanctus Leo I X. Tullensis.
Sanctus Stephanus X. dictus I X. Casini.
Sanctus Gregorius V I I. SS. Petri & Pauli, Cluniaci.
Sanctus Victor I I I. S. Trinitatis, Cauæ.
Sanctus Vrbanus I I. Cluniaci.
Sanctus Paschalis I I. S. Laurentij Romæ.
Sanctus Gelasius I I. Casini.
Sanctus Vrbanus V. Cluniaci.

Nam adiectis alijs qui inter Sanctos non computantur plures fuisse quam octodecim ex Platina Panuino, alijsq; historicis & ipsomet Trittemio constat. Libro enim tertio, cap. 161. Gregorium I I. & in chron. Hirsaug. Leonem I X. addit, de quibus in quarto libro nullam mentionem egit. Adnumerantur & à Platina, Paschalis I. & à Panuino Ioannes I X; quos Trittemius prætermisit; qui tamen ab omnibus Historicis Monachi fuisse probantur. Adducuntur & ab alijs alij, qui Trittemium omnino fugerunt. Quod ipsum diligenter attendens, cum recensuisset Pontifices ab ipso repertos, sic in conclusione, libro 4. cap. 20. loquitur: Hos ego Romanos duntaxat Pontifices ex Ordine Sancti Benedicti certò reor assumptos: quanquam possibile sit, fuisse & alios, quorum professionis titulos Chronographi transissent. Hæc ille. Connumeratis verò ad præfatos octodecim, alijs septem Pontificibus Sanctis, Ordinis quidem Diui Benedicti, vt affirmant, sed quorum professionis locus ignoratur, vtpotè,

S. Benedicto I. Monacho; S. Pelagio II.
S. Benedicto II. S. Gregorio II.
S. Gregorio III. S. Zacharia, &
S. Sergio IIII.

Omnino numerus ille Pontificum Sanctorum vigintiquinque insurget, qui ab omnibus ferè Historicis adducitur. Numerum autem hunc de Pontificibus Sanctis solis, & non alijs debere intelligi, nos veterum monumentorum illius præsertim, quod in fine Chronici Casinensis reperitur, docet auctoritas, sic enim habet, Ioannes Papa XXII, fecit extrahi Canonizatos de Ordine & Regula Sanctissimi Benedicti, ex libris summorum Pontificum: & reperit quod à tempore dicti Patris, vsque ad tempus suum fuerunt infrascripti,

Romanæ Sedis Pontifices XXV. &cet.

Quibus si adiungantur & alij Pontifices non Sancti, qui à Bugiano, & nonnullis alijs produntur, fortassis etiam maior numerus reperietur, quam qui ab ipsis adducitur. Ne tamen falsa pro veris adduxisse videamur, necessarium nobis visum est ipsos Pontifices in aliquot ordines & capita distinguere, ut & narratio ipsa veritate fulciatur, & honor eorum & dignitas integritatem suam habeat. Primò igitur agemus de Pontificibus illis tam Sanctis, quàm non Sanctis, qui ex certo aliquo Monasterio, ad tantam dignitatem assumpti referuntur. Secundò, de illis, qui Ordinis quidem Benedictini probantur, ex quo tamen cœnobio assumpti fuerint non liquet. Tertiò, Pontifices illos commemorabimus qui Monachi fuisse referuntur, sed cuius Ordinis, aut ex qua familia, ab Historicis non explicatur. Quartò, dignitas eorum exprimetur, non laudando vitium, sed qualitatem personarum notificando, qui se pro Pontificibus, propria sua auctoritate gesserunt. Quintò & ultimò illi apponentur, qui ex Pontificatu aliquo suo vitio dejecti, Monasticum habitum sumere coacti sunt.

DE

DE SVMMIS PONTIFICIBVS S.R.E. Ordinis S.Benedicti Nigrorum, quorum locus professionis constat: quibus

Statuit Deus Sacerdotium Magnum, & Beatificauit illos in gloria. Eccles. 45. Cap. I.

SANCTVS GREGORIVS I. MAGNVS.

S. GREGORIVS, cognomento Magnus, natione Romanus, ex Patre Gordiano Senatore, Matre Siluia, nobilissimo & antiquissimo Aniciorum genere ortus, Felicis IIII. Papæ pronepos, ex Monacho & Abbate Sancti Andreæ Romæ in cliuo scauri, Congregationis Primæ, quæ Casinensis siue Benedictina appellata est, & S. R. E. Archidiacono Cardinale, Romanus Pontifex creatus & ordinatus, tertio nonas Septembris, Anno Christi 591. Indictione 9. Sedit annos 13. menses 6. dies 5. Duabus Ordinationibus, vna in Quadragesima: altera mense Decembri celebratis, Episcopos 62. Presbyteros 39. & Diaconos 5. creauit; obijt 4. Idus Martij Anno Christo 604. Indictione 7. Sepultus ad S. Petrum ante secretarium: vacauit Sedes M. 5. D. 19.

ANNOTATIO.

Huius Sanctissimi Pontificis Monachatum, produnt, Platina de Vitis Pontif. Rom. in eius vita: Ioannes Diaconus vitæ eiusdem lib. 1. Ioannes Trittemius Abbas de vir. ill. ord. S. Ben. lib. 4. c. 2. & alibi sæpius. Frater Onuphrius Panuinus in vtroque Epitome, in folio, scilicet, & quarto: & in utroque chronico, Ecclesiastico, & Pontificum Romanorum. Hieronymus Plata Societatis Iesu, de bono statu religiosi, lib. 2. c. 28. F. Iacobus Philippus Bergomensis Supplementi Chronicorum, lib. 10. Ipse uet S. Gregorius, dialogorum, lib. 3. cap. 18. & 36. & lib. 4. cap. 55. & in priuilegio suo quod S. Bonito Abbati Lateranensi dedit, sic inquiet: Proinde iuxta vestram petitionem, pro amore quem in communi Patre & Magistro nostro Benedicto, & in discipulis eius specialem & singularem gerimus &c. *aliiq; infiniti, tam veteres, quàm Neoterici, qui ab his desumpserunt. Ordinationem eius reiiciunt nonnulli in an-*

num 592. alii, ijq; potiores, in annum 590. R. Cæsar Baronius tamen in Martyrologij Romani scholiis ad diem tertium Septembris, quem sequitur & Ioannes Mariana Societatis Iesu de rebus Hispaniæ, lib. 6. cap. 1. anno 591. accidisse affirmat. Et rectè. Obiit enim omnium consensu anno Christi 604. die duodecimo mensis Martii, cum sedisset annos tredecim, menses sex, & dies octo, qui in unum collati, ordinationem præfatam anno 591. optimè positam demonstrant. Quantus, & qualis fuerit, ex ipsius, aliorumq; Sanctorum, & Doctorum scriptis elicitur; manifestum tamen fiet ex vnius Alfredi Anglorum Regis testimonio, qui in fine translationis Dialogorum eius in linguã Saxonicam, his eũ Laudibus exornat: Hoc scriptum Augustinus trans salsum mare, ab Austro ad incolas huius Regni pertulit, sicut illud, antea præparauerat Seruus Domini Papa Romanus, rectus Vicarius gubernans Gregorius: consideratæ vir fortitudinis, absque furore; summo sensu, sapientia, consilio præditus; immensus thesaurus; quoniam is generis humani partem maximam cœlo lucrifecit: Romanorum vir optimus: mentis magnitudine abundantissimus; maiestate liberrimus. *Hæc Alfredus Rex.*

S. BONIFACIVS IIII.

S. BONIFACIVS IIII. Ioãnis Medici filius, Valeriẽsis, Marsus, ex Monacho Sancti Sebastiani in Vrbe Roma, Congregationis primæ Benedictinæ: & S. R. E. Presbytero Cardinale summus Pontifex 5. Idus Iunij renunciatus, A. C. 606. Ind. 9. Eo munere functus est An. 6. M. 8. D. 13. Cumque duabus ordinationibus Episcopos 36. Presbyteros, aliquot, & Diaconos 9. creasset, obijt 8. Calen. Iunij A. C. 613. Ind. 1. Vacauit eo mortuo sedes Romana M. 7. D. 25. Sepultus est ad Sanctum Petrum, vbi legitur hoc Epitaphium sibi & Gregorio IIII. commune, a Bonifacio VIII. positum.

Gregorius quartus iacet hic: Bonifacius almus,
Huius qui sedis fuit æquus rector & ædis,
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ,
Delubra cunctorum fuerunt quæ Dæmoniorum,
Hoc expurgauit, sanctis cunctisq; dicauit.
Eius natalis solemnia qui celebratis,
Primis Septembris fert hæc lux quarta Calendis.
Octauus titulo hoc Bonifacius ossa reperta,
Hac locat erecta Bonifacii nominis ara.

ANNOTATIO.

Monachum fuisse in eodem, quod diximus, Monasterio testantur Trittemius,

Trittemius lib. 4. cap. 3. Franciscus Yuanez Monachus Hispanus in Compendio vir. ill. Ord. S. Benedicti. Plata lib. 2. cap. 28. & alij nonnulli recentiores qui ab his acceperunt. Anni Pontificatus, mortis, & Creationis, ex Platina, Panuino, & Baronio adiuncti. In Epitaphio adiuncto sunt aliqua obscura, exscripsimus tamen illud vt erat.

S. ADEODATVS.

S. Adeodatvs, Iouiani filius, Romanus, ex monacho sancti Erasmi in Cœlio monte Romæ; Congregationis primæ Benedictinæ: Nauiculæ piscatoriæ Rector. 10. Calen. Maii. An. C. 672. Ind. 15. pronunciatus, eandem gubernauit An. 4. Mens. 2. D. 5. & ordinatione vna Episcoporum 46. Presbyterorum 14. & Diaconorum 2. peracta, decessit, 6. Cal. Iulii. A. C. 676. Ind. 4. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes mens. 2. dies 25.

Annotatio.

Non solum Platina in eius uita; verumetiam Trittemius lib. 4. cap. 4. Panuinus in vtrisque, Epitomis, & Chronicis; Yuannez; & Plata, locis citatis: Volaterranus antropologiæ lib. 22. & alij omnes neotherici, huius Monachismum confirmant. De patre nonnulli uariant, Platina cum sequacibus Iouinianum, Panuino uero, & assectis, Iouianum & rectè, legentibus. In annis, Platina, & Panuinus sequuti.

S. AGATHO.

S. Agatho, Pannonij filius, Panhormitanus, Siculus, ex Monacho sancti Hermetis Panhormi, Congregationis Siculę, & S. R. E. Presbytero Card. Nonis Iulii A. C. 679. Ind. 7. Tiara Pontificia redimitus: ea ornatus est A. 2. M. 6. D. 4. qua & priuatus, postquam ordinationem unam Episcoporum 18. Presbyterorum 10. & Diaconorum 5. celebrasset, die 4. idus Ianuarii. A. C. 682. Ind. 10. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes M. 7. D. 1.

Annotatio.

Vniuersus ferè historicorum consensus, hunc Agathonem Monachum fuisse approbat, quos inter præcipui sunt Platina in eius uita; Trittem. lib. 4. cap. 5. & in alijs suis operibus frequentius: Panuinus in utroque Epitome, & Chronico. Yuannez, & Plata, ut supra: Supplementum Chronicorum lib. 10. ubi uocatur, Pontifex quartus ex Monachorum grege assumptus: Gilbertus Genebrardus Chronologiæ lib. 3. & nonnulli alij recentiorum. Panhormi in Sicilia non solum natum, uerum etiam per professionem Monasticam renatum ex Chron. Pontificum Romanorum. Panuini accepimus. Siculum fuisse omnes, quos hactenus uidi, asseuerant; Patria Panhormitanum scribit Panuinus: sed Reuer. P. Fr. Alphonsus

Ciacon Hispanus Bianæus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, in libro suo nondum excuso de perpetuo Ecclesiæ Pontificatu, Aquilani, Castro Vallis Siciliane in Prouincia ulterioris Aprutij, ortum dicit. Verum enimuero, si uis uocabuli, Siculi, rectè pensetur, Panuini opinio ueros imilior multò probatur. Patrem eius Romanum uocat Platina, Panuinus & recentiores Pannonium: qui auctores sic intelligendi sunt, ut Pannonium appellatione, Romanum uero Origine, agnoscamus. Ratio annorum ex Panuino desumpta.

S. STEPHANVS III.

S. STEPHANVS III. dictus II. Constantini filius, Romanus, ex Monacho Monasterii Montis Casini, & S.R.E. Diacono Cardinale: ad oues Christi pascendas assumptus A. C. 752. Ind. 5. die 4. calendas Aprilis, quarto Nonas eiusdem mensis consecrationis munus accipiens, easdem uerbi Dei pabulo pauit annis 5. diebus 29. Et tandem omnibus collachrymantibus obiit A. C. 757. Indict. 10. sexto calendas Maii: & ad Sanctum Petrum sepultus est. Vacauit sedes eo mortuo dies 32. Ordinatione unica mense Martio celebrata, creauit Episcopos 15. Presbyteros duos, & Diaconos duos. Scripsit Epistolarum ad diuersos lib. 1. quarum aliquas habet Anastasius Bibliothecarius, qui apud me est MS. quæ tamen sunt mihi ualde suspectæ.

ANNOTATIO.

Monasterium S. Chrysogoni Romæ hunc nobis dedisse Pontificem, auctores sunt, R. P. Alphonsus Ciacon lib. de perpetuo ecclesiæ Pontificatu MS. & Petrus Bugianus in hist. monast. sic inquiens. Immediate à Zacharia succesſe Stefano Terzo, nato in Sicilia, ilqual fu Monaco nel Monasterio di S. Grisogono di Roma, in Transteuere, &c. *Quod immediate Zachariæ successisse dicit, in causa est Stephanus II. qui quod tertio Pontificatus die obierit, ab eo pro Pontificè non agnoscatur. Natione Siculum, ex nominis Stephani æquiuocatione, apposuit, in quo corrigendus est, non enim qui immediate Zachariæ successit Siculus fuit, sed qui Paulo surrogatus est, Constantino, & Philippo in ordinem redactis. Rectè quidem ab eodem Bugiano vocatur tertius huius nominis, male tamen particula illa, Immediate posita cernitur, nam Stephanus II. qui tres tantum dies sedit immediate Zachariæ successit, qui cum ab eo pro Pontifice non numeretur, Stephanus iam non tertius, sed secundus esset dicendus, reponenda igitur est pro Immediate, dictio Mediate. Opinio autem R. P. D. Benedicti Luchini, Mantuani, Abbatis S. Mariæ Gratiarum apud Placentiam, in colloquio suo MS. rerum Ecclesiasticarum cap. 22.*

est,

est, hunc Monachum fuisse Casinensem, cui & libentius, quã præcedentibus subscribo, fulcitur enim & roboratur auctoritate Anastasii Bibliothecarij, qui in historia de trãslatione corporum SS. Benedicti & Scholasticæ, sic ait: Idem vero Sanctus Papa Zacharias debitum naturæ ex oluẽs migrauit ad Dominum: & Stephanus Sanctissimus, ac Beatissimus, & Casinensis cœnobij Sol splendidissimus in Apostolicam sedem Pontifex subrogatur. *Hæc ille: cuius uerba apertissimè demonstrant, quod sicut Sol hoc nostrum Hemispherium suis radijs collustrat, ita & ille suæ sanctitatis & dignitatis radijs, Monasterium suum Casinense, ex quo ad Pontificatum assumptus fuerat, splendidius reddiderit ac illustrarit. In eodẽ tamen errore, quo Bugianus uersatur Luchinus, in quo corrigendus ueniet, & dictio, Romanus, pro dictione, Siculus, apponenda erit. In annis huius Pontificis Panuinum sequimur.*

S. STEPHANVS IIII.

S. Stephanvs IIII. dictus III. Olybrij Rosamirani filius, Siracusanus, Siculus, ex Monacho Sancti Chrysogoni Romę Congregationis primæ Benedictinę, & S.R.E. Presbytero Cardinale T.S. Ceciliæ; Cathedræ Sancti Petri impositus Nonis Augusti, consecrationem accepit 7. idus eiusdem, A.C. 768. Ind. 6. seditque in ea A. 3. M. 5. D. 27. Ordinatione una mẽse Decembri Episcoporum 15. Presbyterorum 5. & Diaconorũ 4. facta, diem obijt, pridie cal. Febru. A.C. 772. Indic. 10. Sepultus ad S. Petrũ. Vacauit sedes dies 9. Scripsit Epistolas plures, ex quibus nonnullæ extare dicuntur, sed eas non vidi.

Annotatio.

Quod Monachus hic fuerit, habemus ex Platina in eius uita, Trittemio lib. 4. c. 6. Panuino in utrisque, Epitomis, & Chronicis: Yuannez, Plata, locis antedictis: alijsq́, recentioribus, qui omnes uno consensu Monachum & Siculum fuisse produnt, Patriam tamen reticent. Hanc Alphonsus Ciacon libro MS. citato de perp. Eccles. Pontif. dicit fuisse, Castrum Tossiciæ, Vallis Sicilianæ in vlteriori Aprutio, Thomas autem Fazellus Ordinis Prædicatorum lib. 4. cap. 1. decadis prioris rerum Sicularum, Siracusis natum affirmat, sic dicens: Quid non ei splendoris addidit Stephanus ille patre Olybrio Siracusis natus, qui uirtute sua tertius huius nominis Pontifex Romanus, & vitę puritate pii uiri dignitatem est assecutus? *Fazellij sententiam sequitur Christophorus Scanellus in descriptione Insulæ Siciliæ, circa finem sic inquiens,* Diede splendore a questa Citta quella gloriosa Virgine & martire di Christo Lucia, *& post paulo:* Illustrò Siracusa Stephano terzo Pontifice Romano homo di gran doctrina. *Ratione superius adducta de Stepha-*

no.

no II. qui ob vitæ breuitatem inter Pontifices non numeratur a nonnullis, vocatus est hic tertius huius nominis a Fazello, & Scanello; quæ res, & diuersus computandi modus, magnas in tota Historia tenebras & caligines offudit, quæ non nisi viris oculatissimis penetrabiles redduntur. Et inde grauiter errauerunt Bugianus in colloquio primo, qui putat hunc Stephanum 4. eum esse qui Leoni 3. Papæ successit: & Gonsaluus Illescas in Hist. Pontif. lib. 4. cap. 28. qui in simili, sed grauiori multo, errore uersatur, dicit enim illius Stephani V. dicti IIII. Monachismi, auctores esse Platinã & Panuinum, qui tamen de illius Monachatu nec uerbum quidem habent, sed tantum de Stephano IIII. dicto III. vti in eorum operibus uidere est; & de Stephano illo V. dicto IIII. ne unus quidem reperitur qui eum Monachum aliquando fuisse dicat. Corrigendi igitur ueniunt præfati auctores, & nomina prædictorum Pontificum diligenter considerãda, antequam de illis certum quid definiatur.

S. PASCHALIS I.

S. Paschalis primus, Maximi Bonosi filius, Romanus ex Monacho, & Abbate, Sancti Stephani iuxta S. Petrum Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ: & S. R. E. Presbytero Cardinale, vniuersalis Pastor. 6. cal. Februarij, anno Christi 817. Ind. 10. denunciatus; Christi gregem pauit ann. 7. mens. 3. dieb. 18. & mensibus Decembri, & Martio, duabus Ordinationibus, Episcopos numero 15. Presbyteros 7. & Diaconos totidem, creauit: quibus peractis defunctus est, pridie Idus Maij, anno Christi 824. Ind. 2. in S. Petro sepultus. Vacat Sedes dies 4.

Annotatio.

Agunt & de huius Monachatu, Platina, in vitis Pont. Rom. Supplementum chronicorum, lib. 11. Panuinus in vtroque Epitome, & chronico; Plata lib. 2. cap. 28. citato. & alij Neotherici, qui ab ijsdem sumpserunt. Nomen patris eius a Platina omissum restituit nobis diligentissimus Panuinus, illud enim quod ab eodem Platina ponitur, non patris, sed familiæ ipsius est. Annos creationis ipsius, regiminis, & mortis, vt & in omnibus sequentibus, ex Panuino adiecimus.

S. GREGORIVS IIII.

S. Gregorivs quartus, Ioannis filius, Romanus, ex Monacho Fosse nouæ prope Terracinam Campaniæ ciuitatem, Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Presbytero Cardinale Tit. S. Marci, ad generalem Christiani gregis curam, 7. cal. Februarii anno Christi 828. Ind. 6. assumptus; eidem præfuit, annos 16. quibus, Ordinationes quinque, mensibus Martio, Septembri, & Decembri,

Episco-

Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, 185. fecit, ac plenus dierum felici exitu migrauit, 8. cal. Feb. anno Christi 844. Ind. 7. tumulatus ad S. Petrum. Vacat Sedes dies 15.

ANNOTATIO.

A quinque quod sciam, huius quoque Monachatus describitur, Guidone, scilicet, Monacho Cistertiensi, quem tamen, vt verum fatear, necdum uidi nec legi: Plata lib. 2. c. 28. de bono statu religiosis. & Petro Calzolario in historia Monastica, qui illud a Guidone se accepisse testatur; Francisco Yuanez in Compendio uir. ill. Ord. S. Ben. & Gonsaluo Illescas in hist. Pontif. lib. 4. c. 32. De reliquis Panuinum sequor.

S. LEO IIII.

S. LEO IIII. Rodulphi filius, Romanus, ex monacho sanctorũ Siluestri & Martini Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. presbytero Cardinale T. Quatuor Coronatorum; ad onus Ecclesiasticum obeundum lectus pridie idus Aprilis, A. C. 847. Ind. 10. consecrationis munus accepit. 15. Maii anni eiusdem. Illud autem, maximo cum honore, sustinuit A. 8. mens. 3. D. 6. ac 16. cal. Augusti A. C. 857. Ind. 3. corporis sarcina deposita, cœlestia petiit. Ordinationibus duabus, mensibus Martio, & Decembri, Episcopos 65. Presbyteros 19. & Diaconos 8. creauit. Sepulturam habuit ad sanctum Petrum. Vacauit sedes, eo mortuo, dies 15.

ANNOTATIO.

Monasterium sanctorum Siluestri & Martini prope S. Petrũ hunc nobis dedisse Pontificem affirmat Martinus Polonus Ord. Prædicatorum, uel Cistercienſis, & Archiepiscopus Consentinus chronici sui, lib. 4. sic inquiens; Hic primum a parentibus ob studia litterarum in Monasterio sancti Martini, confessor, iuxta Ecclesiam beati Petri Apostoli positus fuit: ubi non solum in scientia, sed etiam in conuersatione, tanquam perfectus Monachus profecit. *Confirmatur hæc eius sententia a Trittemio, lib. 4. cap. 7. Panuino in chronicis, Ecclesiastico, & Pontif. Roman. Plata lib. 2. cap. 28. supracitato; Supplemento chro. lib. 11. & aliquot recentioribus, ut Francisco Sansouino in chronico, quos breuitatis causſa subticeo. Patris nomen diuersè a diuersis scribitur, quibusdam Radulphum, alijs Rodulphum, nonnullis Radualdum legentibus, quod uitio scriptorum factum puto.*

STEPHANVS VII.

STEPHANVS VII. dictus VI. Ioannis Presbyteri Cardinalis filius, Romanus, ex Monacho Monasterii de Brandalo Ord. S. Benedicti, Congregationis primæ Benedictinæ, Episcopus Anagninus a

For-

Formoso Papa factus: deinde in locum Bonifacij VI. Pontifex Maximus creatus anno 898. die 4. Idus Aprilis: Sedit menses 4. dies 23. Obiit Calendis Septembris eiusdem anni, & sepultus est ad S. Petrum. Vacauit sedes dies 8.

ANNOTATIO.

Theodoricus Præpositus Leodiensis, vt refert Petrus Bugianus, hunc Monachum fuisse probat. Asserit & illud Gonsaluus Illescas in Hist. Pont. lib. 4. cap. 45. cui assentitur & Franciscus Yuannez in Compendio vir. ill. Ord. S. Benedicti, qui ambo Benedictinum illum scribunt, ex eodem cœnobio de Brandalo assumptum. Supplementum Chron. lib. 11. & Marcus Guazzus in historia sua, Monachatus eius post Pontificatum meminerunt: sed cum nullus qui vitas Pontificum scribit illum unquã depositũ fuisse asserat, arbitramur aut mẽdosos Codices esse, aut certè ipsos auctores hallucinatos. Reliqua de annis vitæ et Pontificatus ex Panuino desumpta.

IOANNES IX.

IOANNES IX. Rampoaldi filius, Romanus, ex Monacho cœnobij Sancti Benedicti Tiburti, Congregationis primæ Benedictinæ, & S. R. E. Diacono Cardinale Christi Vicarius in terris, 5. Idus Octobris Anno Christi 898. Indict. 1. electus, eius uices egit A. 2. & D. 15. obijtque A. C. 900. Ind. 3. die 8. calen. Nouembris, nulla creatione Cardinalium facta, depositus ad S. Petrum: Vacauit sedes, dies 15. Scripsit de Vita sancti Gregorij Magni, Epistolam unam ad Ludouicum Balbum Imperatorem, quæ vtrum excusa sit nescio.

ANNOTATIO.

Solus Panuinus in vtroque Epitome, & Chronico, hunc Monachum, temporum iniuria, & scriptorum negligentia ab hominum memoria deletum, sua nobis diligentia restituit. Monasterij nomen ex lib. 8. cap. 66. Petri Aequilini Episcopi in Catalogo sanctorum, ex coniectura ueri simili adiecimus. In reliquis Platinam, & Panuinum sequimur. Quare vocetur a Platina huius nominis decimus, hoc effecit fabula interposita de Ioanne fœmina.

S. LEO V.

S. LEO V. Ardeatinus è Villa Priapi, cuius pater hactenus ignoratur, ex Monacho de Brandalo, Congregationis primæ Benedictinæ; octauo calen. Iunii Anno Christi 905. Ind. 8. Papa proclamatus, quadragesimo suæ ordinationis die à Christophoro presbytero coactus abdicauit, & ad Monasterium suum rediit, in quo non longè post ex mœrore animi mortuus, in Lateranensi Ecclesia sepultus est. Non vacauit Sedes.

ANNO-

ANNOTATIO.

Trittemius lib. 4. cap. 8. & Plata de bono Stat. Relig. lib. 2. cap. 28. & nonnulli recentiorum, huius Monachatum testantur; vbi autem sit Monasterium illud de Brandalo, siue Brondolo, quod citant, ingenuè fateor hactenus me nescire. Cæteri Historici Monachatus tantummodo, quem post Pontificatum assumpsit, meminerunt.

SILVESTER II.

SILVESTER II. Agilberti filius Aquitanus, Gallus, Gerebertus antea vocatus, ex Monacho Floriacensi in Gallijs & Abbate Bobiensi, Congregationis Cluniacēsis primo Archiepiscopus Remensis, post Rauennas, postremo toti Ecclesiæ præpositus ipsis calendis Nouembris Anno Christi 998. Indictione 11. eandem gubernauit A. 4. M. 6. D. 12. Et cum nullos Cardinales creasset obijt Romæ 4. idus Maii, Anno Christi 1003. Ind. 1. in basilica Lateranensi sepultus. Vacauit sedes dies 23.

ANNOTATIO.

Monachum hunc Floriacensem fuisse, omnes omnino quos viderim historici vnanimi assertione asseuerant, quos inter præcipui, & a quibus acceperunt alij, sunt, Annonius, siue Annonius lib. 5. cap. 46. Hist. Franc. Platina in eius vita. Trittemius lib. 4. cap. 9. & in alijs suis operibus frequenter: Panuinus in utroque Chron. & Epitome, Plata lib. 2. cap. 28. & alij infiniti, quos longum esset recensere. Nomen patris eius ab omnibus reticetur. In Monasterio tamen S. Trinitatis Cauæ in quodam uetustissimo Pontificum Romanorum Catalogo in membranis conscripto, illud reperi sic annotatum; Silvester II. Aquitanus ex patre Agilberto, sedit annos 4. mensem 1. dies 9. *Quod autem genuina sit hæc patris eius nomenclatura, coniecturam facit scriptorum diuersitas in nominis ipsius Gereberti pronunciatione, alijs Gilbertum, alijs autem Gerebertum aut Gerbertum legentibus; ob affinitatem maximā quæ intercedit inter Agilbertum, & Gerebertum: quā non considerantes nonnulli auctores nomen patris eius sæpissime, littera tantum prima dempta, ei attribuerunt, Gilbertum eum appellantes; quæ causa fuit ut usque in hodiernum, patris eius nomen ab historicis sit ignoratum. Fabulam de eius Magia, & pacto cum Dæmonio egregiè refutant, Panuinus in annotationibus suis ad Platinam: Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronologiæ: Robertus Bellarminus, Tomo 1. in tertia controuersia generali, de Summo Pontifice, lib. 4. cap. 12. Plata de bono Status Relig. lib. 2. cap. 28. supracitato, & alij nonnulli. Errorem peperit quod tunc temporis, illo præsertim seculo, id est anno 900. quo nullum fuit indoctius, & infelicius, qui philosophiæ, aut mathemati-*

*cæ,operam darent, hisq́, studijs delectarentur, ij uulgò Astrologi,& Magi appellabantur: quod eo facilius a rudibus de hoc homine creditum est, quem, cum externus esset, alijs omnibus in tanto honore prælatum uidebant. Verum tamen & doctissimum,& sanctissimum fuisse,ex multorum grauium historicorum testimonijs,probare licet:quorum primus occurrit præfatus Annonius lib. 5.cap.46. sic inquiens,*Gebertus autem intelligens,quod iniustè Pontificalem susceperet dignitatem, (*Remensem scilicet*) pœnitentia ductus est. Altercationem uero Geberti Pontificis & Leonis Abbatis ualde utilem plenius inuenies in gestis pontificum Remorum. Post hæc Domnus Gebertus electus est Pontifex in urbe Rauenna,ab Othone Imp. & a populo eiusdem vrbis. Residenteque eo in eadem urbe Pontificè, quam plurimos annos, defunctus est Papa vrbis Romæ.Statimque omnis populus Romanus, sibi dari adclamat Dominum Gebertum : assumptus itaque de vrbe Rauenna, Ordinatus est Pontifex in Vrbe Roma. *Hæc Annonius. Blondus item decadis 2. lib. 3. huiusmodi de eo testimonium profert.* Nullus scriptorum affirmare dubitat Siluestrum secundum litteris, moribusque ornatissimum fuisse. *Hæc ille. Visitur & legitur vsque in hodiernum in Lateranensi Ecclesia sepulchrum huius Pontificis cum Epitaphio posito a Sergio Papa IIII. uiro utique Sancto omnium scriptorum attestatione, & qui annis tantum quinque Siluestro posterior fuit,in quo tamquam optimus Pontifex laudatur Siluester,vt cuique legenti patebit, est enim tale.*

Iste locus mundi,Siluestri membra sepulti,
Venturo Domino conferet ad sonitum.
Quem dederat mundo celebre doctissima virgo
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede,
Remensis populi Metropolim patriæ.
Inde Rauennatis meruit conscendere summum
Ecclesię regimen nobile sitque potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit,
Vt toto pastor fieret orbe nouus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.
Tempus vterque comit clara virtute Sophię.
Gaudet & omne seclum,frangitur omne reum.
Clauigeri instar erat,cœlorum sede potitus.
Terna suffectus,cui uice pastor erat.

Iste

Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit,abegit
Luſtralis ſpatio ſęcula morte ſui.
Obtiguit mundus diſcuſſa pace triumphus.
Eccleſiæ mutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos,
Succeſſorque ſuis, compſit amore ſui.
Quiſquis ad hunc tumulum deuexa lumina uertis,
Omnipotens Domine,dic miſerere ſui.

Obiit anno Dominicę Incarnationis 1003. Indictione 1. menſe Maii die 12.

Diſcipuli eius præterea, qualis & quantus fuerit oſtendunt: quorum primus Otho. III. Imperator: ſecundus Robertus Galliæ Rex: tertius uerò Leothericus Senonenſis poſtmodum Archiepiſcopus,qui ita ab eodem fue runt inſtructi, vt omnibus illius ſeculi hominibus, prioris in rebus agendis prudentia; medij, ſanctitas,vitæq; innocentia; poſtremi verò, eruditio & doctrina admirabiles haberentur. Sed huic ueritati obſtare uidetur ſcriptura illa,quæ in Eccleſia S.Crucis in Hieruſalem Romæ,ad dexteram ingredientibus Capellam ſubterraneam tali modo legitur.

Anno Domini M. III. tempore Otthonis III. Sylueſter Papa II. qui fuerat antea eiuſdem Otthonis præceptor, non ſatis ritè forſan Pontificatum adeptus, a Spiritu præmonitus, qua die Hieruſalem accederet,ſe fore moriturum, neſciens forrè hoc ſacellum eſſe Hieruſalem ſecundum,ſui Pontificatus anno quinto, ſtatuta die, rem hic diuinam faciens,ipſa die moritur. Eo tamen Diuina gratia ante communionem, cum ſe iam tunc moriturum intellexiſſet, propter dignam pęnitudinem & lacrymas,ac loci ſanctitatem ad ſtatum ueriſimilem ſalutis reducto: reſeratis enim poſt Diuina populo crimi nibus ſuis, & ordinatione præmiſſa, ut in criminum ultionem exanime corpus ſuum ab indomitis Equis, per Vrbem quaquauerſum diſcurrentibus traheretur, & inhumatum dimitteretur, niſi Deus ſua pietate aliud diſponeret, Equisq; poſt longiorem curſum intra Lateranam ædem moratis,iſthic ab Otthone tumulatur. Sergiusq; III. ſucceſſor Mauſoleum deinde expolitius reddidit. Sunt qui dicunt Hiſtorico referente Vincentio, Aſylum Romæ, quod primum inter duos lucos Tarpeium & Palatinum, impunitati Virorum & Fœminarum Romulus dicauerat, aucta Vrbe ex Cœlio monte per Tullum Hoſtilium III. Roman. Regem, ad finem ipſius montis intra Vrbis Pomerium translatum fuiſſe ex ipſo fermè loco ubi nunc Baſilicam Hieruſalem conſtructam cernimus,ut ubi olim fuerat flagitiis

gitiis impunitas, ibi sub Christo accedentibus omnium peccatorum venia tribuatur. *Hæc ibi. At scripturam hanc suspectam admodum & dubiam esse ex multis coniecturari licet; primo quod Sergius Papa uocetur III. eius nominis, cum fuerit IIII. deinde quod ab Otthone Imperatore dicatur illic tumulatus, cum constet Otthonem mortuum fuisse anno Domini* 1001. *ipsis Calendis Februarij, Imperij sui anno* 17. *mense* 1. *die* 21. *tribus ferè annis antequam hic Siluester moreretur: tertio, quod vbiq; coniecturis vtitur, non veritate, ut patet ex aduerbijs illis, forsan, & forte. Et aliis huius modi multis, quæ breuitatis gratia prætermimus: tum quod fundamento careant, tum etiam a quibus posita fuerit hæc scriptura prorsus ignoretur. Hæc igitur de Siluestro nostro dicta sufficiant.*

IOANNES XIX.

Ioannes XIX. aliis XX. Platinæ uero XXI. Gregorii filius Romanus, & Benedicti VII. dicti, VIII. Frater de familia Comitum Tusculanorum, ex Monacho S. Anastasii Romę, Congregationis Cluniacensis, & S.R.E. Card. Episcopo Portuensi, Summus Pontifex pridie cal. Maii Anno Christi 1024. Ind. 7. electus; Pontificatum tenuit A. 8. M. 7. Dies. 9. & Romæ nulla Cardinalium memoria relicta 6. Idus Decembris A.C. 1032. Ind. 15. mortuus, ad S. Petrum sepultus est: Vacauit sedes, dies 2.

Annotatio.

Ioannis huius Monachatus a Plata lib. 2. cap. 28. de bono Status Religiosi his significatur verbis. Deinde an. 1009. Sergius 4. anno 1022. Ioannes 19. Pontificatum iniere; hic ex Monasterio S. Anastasii Romæ, ille ex incerto, sed tamen ex Benedictina familia. *Confirmatur & a Guidone Monacho Clarœuallense, & Theodorico Leodiensi præposito, ut refert Bugianus colloquio primo historiæ Monasticæ, & Gonsaluus Illescas in Hist. Pontif. lib. 5. cap. 4. his uerbis:* Pero lo cierto es, que fue Monje de Sant Benito en el Monasterio de Sant Anastasio en Roma, come dize Guido, y Theodorico Autores, antiguos. *Guidonem tamen & Theodoricum adhuc minime uidere potui, quamuis illos cum diligentia perquisierim. De reliquis qui de eius Monachismo agant nescio neminem. Vocatur hic a Platina huius differentia huius nominis XXI. ab aliis XX. a Panuino uero & Plata, XIX. causa autem huius differentiæ est, quod Platina Ioannem VIII. fœminam, & Ioannem XVIII. qui in Schismate contra Gregorium V. creatus est, inter Pontifices numeret: & sic duobus his ad XIX. adiunctis, numerus eius XXI. resurgit. Alii uero Ioanne fœmina omisso, uigesimum appellant. At Panuinus, eiusq; sequaces Ioanne VIII. & XVIII. de Catalogo Pontificum*

Roma-

Romanorum resecatis, decimumnonum rectè nominant, causamq; reddit idem Panuinus in Epitome suo in quarto, cur Ioannem XVIII. de Catalogo Pontificum abraserit, eam scilicet, quod nominis eius ratio a tribus Pontificibus proximè sequentibus, qui Ioannis nomen habuere, in numero Romanorum Pontificum recepta non fuerit. Trittemius de vir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. cap. 20. Ioannis huius Momachismum, in dubium reuocat.

S. LEO IX.

S. Leo IX. Hugonis filius, regio Comitum Habsburgi genere, natione Germanus, Prouincia Alsatia, Bruno antea uocatus, ex Monacho Tullensi, in Leucis, Congregationis Cluniacensis, eiusdem ciuitatis Episcop. ac authoritate Imp. Henrici III. Augusti, Rom. Pontifex renunciatus, habitum Pontificium, quo indutus Romam petebat, suasionibus & consilijs Abbatis Cluniacensis, & Hildebrandi Monachi (qui postea fuit Gregorius VII. PP.) tanquam malè acquisitum dimisit, & seipsum Pontificatu abdicauit, electione libera Clero, & Populo Romano restituta; Quod factum ita Deo gratum fuit, vt illud manifesto oraculo, uoce de cœlo lapsa dicente, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, comprobare uoluerit. At uerò Romanus Clerus, Hildebrando sic operante, ac Deo ita disponẽte, eundem Brunonem imposito Leonis nomine, in Pontificem, Anno Christi 1049. Ind. 2. pridie Idus Februarii, eligit, eodemque (erat enim prima Dominica Quadragesimæ) cõsecrationis munus & coronationis insignia suscepit. Sedit in Apostolica sede An. 5. Mens. 2. dies 8. Aliquot ordinationibus, multos Cardinales creauit, ex quibus 14. solum reperta nomina; uidelicet, Episcoporum 4. Presbyterorum 6. & Diaconorum 4. Et tandem Romæ bonis operibus plenus obijt, 13. calen. Maij, Anno Christi 1054. Indictio. 7. in Sancto Petro sepultus: Vacauit sedes, Menses 11. dies 28. Scripsit ad Constantinum Monomachum Imperatorem,

De extirpandis hæresibus, Lib. 1.
Ad Patriarcham Constantinopolitanum, Lib. 1.
Contra errores Græcorum, lib. 1.
Ad Episcopos Africæ & Aegypti, Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, Lib. 1.

Quæ omnia excusa sunt partim Coloniæ, cum operibus Leonis I. Papæ: & partim item ibidem, apud Birckmannum anno 1569.

ANNOTATIO.

Notatur & huius Pontificis Monachismus a Trittemio in Chronico Hirsaugensis Monasterij his verbis: Anno Domini 1048. Monasterio

Hirsaugiæ uacante 46. anno, Bruno Episcopus Tullensis destinatione Imperatoris, &c. *& paulò post:* Erat autem filius comitis de Elingen, & Monachus Ordinis nostri, *&c. Trittemium sequutus est D. Franciscus Yuannez Monachus Hispanus in Compendio uirorum illustrium Ordinis S. Benedicti: & Illescas lib. 4. cap. 8. Monachum autem fuisse Tullensem, in eo, quod ab eius nomine, Monasterium nunc S. Leonis vocatur, coniecturam verisimilem nobis peperit S. Humbertus Monachus qui ex eodem Monasterio ab eodem Leone assumptus, non longe post S. R. E. Episcopus Cardinalis S. Rufinæ, creatus est.*

S. STEPHANVS X.

S. STEPHANVS X. dictus IX. Fridericus antea vocatus, Gozelonis Ducis Lotharingiæ filius, ex Monacho, & Abbate Casinensi, & S. R. E. Presbytero Cardinale, T. S. Chrysogoni, Bibliothecario & Cancellario, Anno Christi 1057. Ind. 10. 4. Nonas Augusti, Pontifex Maximus renunciatus: Prouinciam illam administrauit, menses 7. dies 28. ac Florentiæ, Anno Christi 1058. Indict. 11. 4. calen. Aprilis, cum vnum solũ Cardinalem Episcopum S. Petrum Damianum, Sabbato quatuor Temporum Martii creatset, defunctus est, ibidem in Ecclesia Cathedrali sepultus: Vacauit sedes, dies 13.

ANNOTATIO.

In tantum notus est omnibus huius Sancti Pontificis Monachismus, vt superfluum quodammodo sit auctores qui de eo loquuntur annotare, annotabo tamen ex multis præcipuos, ne ab instituto semel incepto deflectere videar, sunt igitur: Platina in eius vita; Leo Ostiensis in Chron. Cas. lib. 2. cap. 98. 99. 100. & 101. Petrus Diaconus de vir. ill. Mont. Cas. cap. 17. & de Sanctis eiusdem cœnobij. cap. 57. Trittemius lib. 4. cap. 10. & alibi sæpius: Panuinus in vtroque Epitome, & Chronico. Supplementum Chronicorum lib. 12. Raphael Volaterranus antropologiæ, lib. 22. Plata de bono statu Religiosi lib. 2. cap. 28. & alij infiniti, qui ab his acceperunt. Reliqua, id est, generis eius nobilitas, tempora creationis, regiminis, & mortis ex tribus præcipuè, Platina, scilicet, Leone, & Panuino desumpsimus: ad quos Lectorem remittimus, qui de eo plura requirit.

S. GREGORIVS VII.

S. GREGORIVS VII. Bonicij filius, Tuscus, Soanensis de familia Comitum Petiliani, Hildebrandus antea vocatus, ex Monacho, & Priore Cluniacensis cœnobij apud Matisconem in Burgundia, Abbas primum Sancti Pauli extra muros Vrbis, Congregationis Cluniacensis, & Subdiaconus Cardinalis S. R. E. à Leone PP. IX. deinde à Nicolao Papa II. Archidiaconus Cardinalis; postremò omnium

nium Cardinalium, & aliorum piorum suffragijs Petri successor Anno Christi 1073. Ind. 11. die 10. calen. Maij creatus; Romæ 3. calen. Iulij, consecrationis munus, & coronationis insignia suscepit. Fuit in tali potestate Ann. 12. M. 1. D. 3. Aliquot ordinationibus multos Cardinales creauit, inter quos fuere Episcopi 4. Presbyteri 11. & Diaconi 6. Moritur tandem Salerni in Brutijs 8. calen. Iunij, Anno Christi 1085. Indict. 8. & ibidem in Ecclesia Cathedrali sancti Matthæi Apostoli sepultus est: Vacauit sedes Annum vnum.

ANNOTATIO.

Vniuerso ferè Historicorum consensu, huius confirmatur Monachatus: & Chronici quidē Cluniacensis Monasterij in quo vitam hic Monasticā egit, verba hęc sunt: De Gregorio Papa VII. legimus, qui & Hildebrādus, antea uocabatur qui ex discipulis pariter eius *(S. S. Hugonis Abbatis)* fuit. Hic cū Prior claustralis Cluniacēsis esset in Papā est assumptus. *Eundem in modū loquuntur Trittemius lib. 4. ca. 11. & alibi sæpius: Supplementum Chronicorum lib. 12. Panuinus in vtroq; Epitome, & Chronico. Plata lib. 2. c. 28. & alij recentiores. In quibusdam codicibus, vt apud Mart. pol. lib. 4. pro Tuscus, uel Ethruscus, Teuthonicus: & pro Soanensis, Suppl. Chron. Senensis, & pro Hildebrandus, Hildebrannus, Ilderbrandus, & aliquando aliter, & pro Bonicij filius, Boanicij sæpissimè legimus: sed hæc parua sunt & nullius momenti, quæq; a diligenti lectore facile emendabuntur. Quod autem legitur apud M. Attilium Serranum in Tractatu de septem Ecclesiis Vrbis Romæ, Monachum hunc fuisse in Monasterio S. Laurentij extra muros Vrbis, non sic intelligendum est, quod professionem in Monasterio illo emiserit, sed quod Monachus fuerit illius Congregationis, Cluniacensis scilicet, sub qua tunc temporis militabant Monachi cœnobij Sancti Laurentij.*

B. VICTOR III.

B. VICTOR III. Dauferius in seculo, & Desiderius iam Monachus & Abbas antea vocatus, Samius, Beneuentani Principis filius, familia Epiphania, ex Monacho cœnobii sanctæ Trinitatis Cauæ Abbas primum Casinensis, ac S. R. E. Presbyter Cardinalis; demum 9. calend. Iunii, Anno Christi 1086. Indict. 9. Romæ, Ecclesiæ regimini Præpositus, non nisi anno sequenti Capuæ, 12. cal. Aprilis consecrationis munus, & coronationis insignia suscepit: hocideò quod cum inuitus omnino, ac renitens creatus fuisset, electioni de se factæ indignum se tanto munere asserens, consentire noluisset. Sedit autem in Apostolico solio à die electionis Annno 1. menses 3. dies 24. Et nulla Cardinalium creatione facta, obiit, in Monasterio

Montis Casini 16.cal.Octob.Anno Christi 1087. Ind.10. ibidemq; in Capitulo fratrum sepultus, exinde ad Capellam sancti Bertarii Abbatis & martyris,ubi nunc iacet,trânslatus est. Vacauit sedes eo mortuo,menses 5.dies 24.

ANNOTATIO.

De huius Monachatu agunt, Platina in eius vita, Supplementum Chron.lib.12.Volaterranus lib.22.Trittemius lib.4.c.12.& alibi:Panuinus in vtroque Epitome, & Chronico: Carolus Sigonius de Regno Italiæ, lib.9.Plata,lib.2.cap.28.& alij Neotherici,qui brevitatis caussa reticentur. In quo tamen cœnobio vitam Monasticam primum duxerit controuertitur, Casinensibus,quos sequitur Panuinus, suum esse asserentibus, Cauensibus uero negantibus:Casinenses, & Panuinum fefellerunt uersus illi Epitaphio eius adscripti,qui sic leguntur,

Intactam sponsam,matrem,patriamque, propinquos,
Spernens,huc propero,Monachus efficior.
Abbas dehinc factus, studui pro tempore totum,
Vt nunc aspicitur, hunc renouare locum.

At non ita intelligendos esse uersus hos, ut putemus Desiderium primũ Monasticæ uitæ institutum Casini arripuisse, docet Ioannes Abbas in uita S.Alferij, primi Cauensis Abbatis,his uerbis: Cæperũt ergo nonnulli seculum relinquere,& eius se magisterio subiugare:inter quos & vir venerabilis Leo Lucensis, & Desiderius Beneuenti nobilis, ad æmulandum piæ uirtutis eius studium, se eius magisterio subdiderunt. Quorum nimirum alter, post eum Cauensi Monasterio præfuit, alter Sancti Benedicti Montis Casini Abbas constitutus, dehinc in totius orbis culmine, videlicet Romanæ Ecclesiæ Pontificatum sublimatus est. *Hæc Ioannes; qui fortassis fictus nonnullis erit, quod Monachus cum fuerit Cauensis, in fauorem Monasterij sui loqui videatur: testes igitur domesticos, eosq; Monachos Casinenses adducamus,cum ut ueritas eluceſcat,tum maximè ut sine aliqua adulatione loqui cognoscamur. Leo Ostiensis Episcopus in Chron.Casinensi lib.3.cap.3. quod intitulatur, De fuga eius ad Monasterium Cauæ, inter cætera sic loquitur:* Huius aduentu Guaimarius lætior factus, admiransque tantum in adolescente feruorem, annuit postulatis, eumque secum diebus paucis retinens, nullique se illum redditurum fidelissimè pollicens, ad Monasterium Sanctæ Trinitatis (quod ad Cauam dicitur) non longè a Salerno, eodem petente transmisit. *Hæc Leo. Eandem in sententiam Petrus Diaconus in lib.de uir.illust.Mont.Casini, cap.18.Scribit, sic inquiens:* Victor & ipse Apostolicæ sedis Pontifex,

Casinensis

Casinensis Abbas, compunctione, timorisque Dei plenus, castitate singularis, professione, & opere Monachus, in nuptijs sponsam suam relinquens Eremum petiit, ibique Sanctę Religionis habitum sumpsit. Cuius fugam rabido furore insequentes, eum repertum, vestem Monasticam exuunt, militaribusque illum tegminibus induentes, ad eius genetricis domum Samnium vsque deducunt. Inde igitur nacta quadam hora aufugiens Sanctæ Trinitatis cœnobium petiit. *Hæc ille cum cæteris quæ sequuntur. Ex his ergo manifestum est, Desiderium, primum Cauæ professionis Monasticæ uotum edidisse, deinde, ut ijdē auctores dicunt, Maiellæ, postea Tremiti, & postremo Casini, ubi & Abbas effectus est, diuersis ex caussis, uitam Monasticam duxisse, eamq; sanctissimam, qua demum mediante in Romanum Pontificem electus est.*

B. VRBANVS II.

B. VRBANVS II. Otho antea vocatus Milonis filius Gallus, Castillionensis, quod oppidum est in Diœcesi Remensi, ex Monacho & Priore Monasterii Cluniacensis, eiusdem Congregationis, & S.R.E. Episcopo Card. Ostiense: Terracinæ à Cardinalibus ouilis Dominici custos electus; 4. idus Martii, Anno Christi 1088. Indictio. 11. consecratus, & coronatus est. Ministerio à Deo sibi demandato præfuit, An. 11. menses 4. dies 18. summa cum laude, ac tandem sanctitate plenus Romæ, in Palatio Petri Leonis potentissimi ciuis, quo se, ob Vuicpertinam persequutionem, contulerat, obdormiuit in Domino, Anno Christi 1099. Indict. 7. die 4. calend. Augusti. Corpus eius in Ecclesia Principis Apostolorum sepultū est. Vacauit sedes, dies 17. ordinationibus nonnullis Cardinales 30. creauit, Episcopos, uidelicet, 7. Presbyteros 13. & Diaconos 10.

ANNOTATIO.

Chronicon Cluniacense huius Monachatum his annotat uerbis: Huius etiam beatissimi uiri Hugonis discipulus, & Monachus, fuit Otho, siue Oddo, Prior Cluniacēsis, qui assumptus in Papā Vrbanus secundus dictus est. *Cuius Chronici sententiam sequuntur, Platina in eius uita; supplementum Chronicorum lib. 12. Trittemius lib. 4. c. 13. & alibi sæpius: Panuinus in utroque Epit. & Chronico. Plata lib. 2. cap. 28. & alij recentiores: a quibus omnibus Monachus Cluniacensis agnoscitur. Quod ideo dico, quia non desunt nostræ ætatis uiri, qui probare nituntur, immo etiam scriptis suis illud inseruerunt, Monachum hunc fuisse S. Trinitatis Cauæ, ratione ducti quorumdam ipsius Vrbani verborum, qui ad Petrum Abbatem Cauensem sic scribit:* Indulgentes eidem Monasterio, contemplatione cuiusdam prærogatiuæ specialis charitatis, quam experti

fuimus in eodem cœnobio: *& alibi*, Iustis tuis petitionibus annuentes, chariſſime in Chriſto, atque Reuerentiſſime confrater, & Commonache Petre, *&c. Sed tantorum uirorum opinioni obſtant uerba Chronici Cluniacenſis ſupracitata, & omnium hiſtoricorũ conſenſus, quorum nonnullorum ſententiam hoc loco adferre uiſum eſt, ut dubia pro certis non recipiantur. Horum primus occurrit Platina ſic inquiens:* Vrbanus ſecundus, Otho uel Oddo antea uocatus, Monachus Cluniacenſis primo, deinde Cardinalis Oſtienſis, *&c. Hunc ſequitur ſupplementum Chron. lib.* 12. *in hæc uerba:* Vrbanus Papa eius nominis ſecundus, Odo antea uocatus, Cluniacenſium Abbas, *&c. Confirmat Trithemius lib.* 4. *cap.* 13. *ſic.* Vrbanus ſecundus, Otto antea uocatus, Monachus Cluniacenſis primo: *& cap.* 26. Odo ex Monacho Cluniacenſis cœnobij Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalis. *His adeſt Panuinus in Epitome in folio ſic loquens*, Sanctiſs. D. N. Vrbanus II. Pont. Max. Gallus, Otho, natione Gallus patria Caſtilionen. quod oppidum eſt in Diœceſi Remenſi, Monachus Ordinis S. Benedicti, in Monaſterio & congregatione Cluniacenſi: *item in Epitome in quarto.* Vrbanus Papa II. Domnus Otho antea appellatus, natione Gallus, oppido Caſtilionis, quod eſt in Diœceſi Remenſi, prius Canonicus Regularis Lateranenſis, mox Monachus Cluniacenſis factus: *&c. in Chron. quoque Pont. Rom.* Vrbanus II. Iunior Gallus, Milonis filius, ex oppido Caſtilionis, Remenſis Diœceſis, Canonicus Regularis Lateranenſis, poſt Monachus Cluniacenſis: *&c. & in Chron. Eccleſiaſtico:* Vrbanus II. Iunior Gallus, Otho, Milonis filius Remenſis, Monachus Cluniacenſis ex Epiſcopo Oſtienſe creatus. *Deinde Platina lib.* 2. *cap.* 28. Huic Victori ſuffectus eſt Vrbanus II. ex cœnobio Cluniacenſi in Gallia. *Poſtremo, alijs ne longior ſim, prætermiſſis, Domnus Alexander Neapolitanus, Monachus Cauenſis in Chronico ſuo MS. a capite* 65. *ad* 78. *uitam huius Vrbani deſcribens, Monachum Cluniacenſem etiam fuiſſe confirmat, ſed aliquanto tempore in Cauenſi Monaſterio habitaſſe cum Petro Abbate, tanti uiri conuerſatione delectatum. Et eo modo intelligenda ueniunt uerba illa Vrbani ſupracitata, de charitate ſcilicet quam expertus fuerat in Monaſterio Cauenſi, ad quod ex Cluniacenſi cum Petro Commonacho ſuo, acceſſerat, ut aperte indicant uerba eiuſdem Vrbani in eodem priuilegio ſupracitato, hoc modo ſubſequentia:* Præterea Cluniacum locum illum famoſum dirigens *(ſcilicet Gregorius VII.)* inde te ut Abbatem præfato Monaſterio præponeret aſciuit: *&c. Monachus igitur fuit Cluniacenſis noſter Vrbanus; Cauenſis uerò hoſpes ſolum, & conuictor.*

S. Pa-

S. PASCHALIS II.

S. Paschalis II. Reginerius antea vocatus, Crescentij, & Alsaciæ filius, Tuscus, oppido Bleta in comitatu Galliatæ, ex Monacho, & Abbate Sanctorum Laurentij, & Stephani extra muros Romæ, Congregationis Cluniacensis, & S.R.E. Presbytero Cardinale, TT. S. Clementis, expetente populo, eligente Clero, ac collaudante Cardinalium Senatu, in Schismate contra Clementē III. Antipapam 18. cal. Septembris, Anno Christi 1099. Indict. 7. ad oues Christi tuendas luporum rabiei expositas præpositus: eas verbo, & exēplo præcessit ann. 18. M. 5. & D. 7. idque in maxima temporum varietate: quibus, Episcopos per diuersa loca, 100. Presbyteros 50. & Diaconos 30. diuersis ordinationibus factis, creauit: ac tādem 15. calēd. Februarij, anno Christi 1118. Indict. 11. extinctus, in Basilica Vaticana sepulturam meruit. Vacauit sedes dies 3. Scripsit ad diuersos Epistolarum, lib. 1. quare quædam extāt, sed vbi impressæ sint, ignoro. Eius Registrum fecit Ioannes Cardinalis, qui postea Gelasius II. vt infra patebit.

Annotatio.

Auctores præcipui, qui de huius Monachatu agunt, sunt Platina in eius vita, & Chronicon Casinense, lib. 4. cap. 19. Trittemius, lib. 4. c. 14. M. Attilius Serranus, libro de septem Vrbis Ecclesiis. Panuinus in vtroq; Epitome, & Chronico. Supplementum Chronicorum, lib. 12. Plata, de Bono statu Religiosi, lib. 2. c. 28. & nonnulli alij recētiores. Panuinus, & Ioannes Mariana, Monachum eum Cluniacensem faciunt, quorum verba non sunt eo sensu accipienda, vt putemus eundem in cœnobio Cluniacensi, quod est in Gallia, uitam monasticam professum, sed quod Monachus eius Monasterij fuerit, cuius institutum primarium ad Cluniacenses Monachos referebatur, vt rectè habet Attilius præfatus in tractatu de Ecclesia S. Laurentij, sic loquens. Fuit iuxta illam antiquum Cluniacensium Monasterium, ex quo prodierunt Sancti Ioannes Ficocia Romanus Abbas, Gregorius septimus Soanensis, & Paschalis secūdus Romani Pontifices. *Quod verò uocetur à Plata Monachus Casinensis, puto illud, siue inaduertentia, aut certè calcographorum negligentia accidisse.*

S. GELASIVS II.

S. Gelasius II. Ioannes antea vocatus, Crescentij filius Caietanus, ex Monacho sacri Casinensis cœnobii, & S.R.E. Diacono Cardinale, TT. S. Mariæ in Cosmedin, omnium Cardinalium uotis, 11. cal. Februarij, ann. Christi 1118. Indict. 11. in demortui Paschalis 2. locum impositus, atque Caieta calendis Martij, consecratus, &

coronatus, eundem tenuit anno 1. & dies 5. Eodemque quo coronatus est die, Cardinalem unum, is fuit Petrus Rufus Diaconus Cardinalis S. Marię in Cosmedin, creauit. Demũ Cluniaci in Gallijs, quo timore Imper. Henrici V. Augusti, confugerat, 4. cal. Februarij, anno Christi 1119. Indict. 12. mortuus, cadauer eius ibidem sepultum est intra Crucẽ, & altare, post chorum. Vacauit sedes dies 2. Scripsit adhuc Monachus, Passiones Sanctorum, Erasmi, Anatoliæ, & Cæsarii, versibus.

Factus Cardinalis, Registrum Paschalis II. Papæ.

Papa verò multa contra Imperatorem, ut refert Petrus, cap. 45.

ANNOTATIO.

Monasticæ uitæ institutis addictum à pueritia ipsa fuisse testantur, Chronicon Casinense, lib. 4. c. 66. Petrus Diaconus de uir. ill. Mont. Casini, c. 45. & de Sanctis eiusdẽ monast. c. 64. Platina in eius uita. Trittemius lib. 4. cap. 15. Supplementum chronic. libr. 12. Panuinus in utroque epitome & chronico. Plata, lib. 2. c. 28. Gilbertus Genebrardus chronologia lib. 4. & alij recentiores. De eodem sic loquitur chron. Cluniacense MS. quod apud me est. Anno verò 1119. apud Cluniacũ obijt Gelasius Papa secundus, sepultusque est inter crucem & Altare, post chorum: & Guido Viennensis Archiepiscopus apud Cluniacum in Romanum Pontificem est electus, qui & Calixtus secundus dictus est.

CALISTVS II.

DOMN. CALISTVS II. Guido antea vocatus, Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, Burgundus, Gallus, ex Monacho Monasterij de Falleri in Gallia, Congregationis Cluniacensis, & Archiepiscopo Viennense in Gallia, calendis Februarij, an. Christi 1119. Indict. 12. Gelasio II. surrogatus; electioni de se factæ consentire noluit, donec eorum quoque Cardinalium, qui Romæ essent, voluntatem cognouisset: qua habita, statim Cluniaci suæ consecrationis, & coronationis insignibus susceptis, Romam perrexit; & in beatissima Petri sede, sedit ann. 5. mens. 10. dies 13. Ordinationibus quatuor mensibus Martio, & Decembri celebratis, multos Cardinales creauit, ex quibus xvij. tantum memoria supereſt, videlicet Episcoporum 2. Presbyterorum 7. & Diaconorum 8. Obiit Romæ idibus Decembris, anno Christi 1124. Indict. 2. ac in Ecclesia Lateranensi sepultus est. Vacauit sedes eo mortuo dies 10. Scripsit composito sermone, & maxima diligentia,

De miraculis S. Iacobi Apostoli, Libri 1. qui ferè integer repetitur apud Vincentium in Speculo Hist. lib. 26. à capite 30. ad 42.

De

De obitu, & vita Sanctorum, Libri 1.
Epistolarum ad diuersos, Libri 1.
Decreta quædam eius, cum cæterorum Pontificum decretis, sunt excusa Coloniæ.

ANNOTATIO.

Plata de bono statu Religiosi, lib. 2. cap. 28. Monachatum huius Pontificis similibus verbis annotat: Quo tempore Cardinales, qui in eius comitatu *(Gelasii II. scilicet)* Fuerant Calisto II. eam dignitatem detulere, qui Gulielmi Burgundiæ Ducis filius, prius in Monasterio, vel Falleritano, vel Cluniacensi (vtrumque enim à varijs traditur) religiosam vitam duxerat, tum verò Viennensem Archiepiscopatū gerebat. *Hæc Plata. Falleritanum Monachum fuisse Guido Monachus Cistertiensis; Cluniacensem verò Raymundus Monachus Hispanus in suo collectorio, asserunt, vt refert Petrus à Bugiano Histor. Monast. colloquio primo. Guidonem sequuntur Franciscus Yuannez Monachus Hispanus, in compendio vir. ill. Ord. S. Benedicti, & Illescas in Hist. Pontific. libro 5. c. 18. Quod ad Raymundum attinet, quamuis auctor chronici Cluniacensis apertè non dicat Monachum fuisse illius cœnobij, ex verbis tamen eius colligi potest eodem in Monasterio uitam duxisse Monasticam: sic enim loquitur.* Eadem verò die *(qua scilicet canonizatus est S. Hugo Abbas)* communium suorum assidentium assensu largitus est fœlix Papa Calixtus Cluniacēsi Ecclesiæ speciali, & propriè suæ, ut Abbas Cluniacensis, semper & ubique Romę fungatur officio Cardinalis, manuque propria ipse Pontium anulo suo inuestiuit. *Hæc ille, cuius uerba, speciali, & propriè suæ, si rectè considerentur, multum fauent opinioni prædicti Raymundi. Vtriusuis tamen Monasterij Monachus fuerit parum ad nos attinet, cum utrumque cœnobium sub Diui P. N. Benedicti Regula militasse feratur. Errant Bugianus, & Plata, qui eum filium Gulielmi Ducis Burgundiæ faciunt, cum in toto Catalogo Ducum Burgū diæ, nullus huius nominis Gulielmi reperiatur: fuit tamen Gulielmi, nō Ducis, sed Comitis Burgundiæ ad Sequanam, quæ nunc, Franca Contea dicitur, filius, ut rectè annotarunt Claudius Paradinus, & Franciscus de Rosieres in Genealogijs Comitum Burgundiæ; & Panuinus locis supracitatis.*

ANASTASIVS IIII.

DOMN. ANASTASIVS IIII. Conradus antea uocatus, Benedicti filius, Romanus ex nobili Familia, quæ de Subura dicebatur ortus, ex Monacho & Abbate Monasterij S. Rufi, Veliternæ Diœcesis, Congregationis (vt puto) Cluniacensis, tergemina Tiara ornatus 6. idus Iulij, anno Christi 1153. ac paulò post coronatus, & consecratus

secratus Christi vices in terris egit, anno 1. mens. 4. dies 23. & cum mense Decembri Pontificatus sui anno 1. Cardinalem vnum Episcoporum creasset, Obiit Romæ, 4. nonas Decembris, an. Christi 1154. Indict. 2. ac Laterani inhumatus est. Vacauit sedes diem 1.

ANNOTATIO.

Anastasii Monachismum in Monasterio præfato S. Rufi Velitern. diœcesis testantur Platina in eius vita; Supplementum chronicorũ, lib. 12. Trittemius, lib. 4. c. 16. et 29. Hieronymus Plata de bono stat. relig. lib. 2. c. 28. Panuinus in epitome Pont. Rom. in folio: & alij recentiores, sententiam suam horum grauium uirorum auctoritate comprobantes. Mirari satis non possum Panuini alioquin diligentissimi errorem, qui cum loco citato rectè posuisset Anastasium Abbatem S. Rufi Velitern. diœcesis, sententiam suam postmodum retractans in epitome, scilicet in 4. & in vtroque chronico, eundem Abbatem S. Rufi prope Valentiam in Gallijs, describit; cum nullus omnino, ne uerbo quidem, S. Rufi Valentini memoriam agat, sed omnes Rufi Veliterni, quorum princeps est Platina qui sic ait: Anastasius IIII. patria Romanus, patre Benedicto, Abbas antea Sancti Rufi Veliternæ diœcesis. *Sequitur Supplem. chron. cuius uerba sunt.* Anastasius Papa eius nominis IIII. natione Romanus ex patre Benedicto natus, Sancti Rufi Viletrinæ diœcesis Abbas. *Confirmat Trittemius, libro 4. cap. 16. sic inquiens:* Anastasius IIII. patria Romanus, ex Abbate S. Rufi Veliternæ diœcesis: *Item Plata,* Suffectus est ei (*Eugenio III. scilicet*) Anastasius IIII. Abbas sancti Rufi in diœcesi Veliterna: *postremò ipsemet Panuinus loco citato sic:* Sanctiss. D. N. Anastasius IIII. Pont. Max. Romanus, Cunradus natione Italus, patria Romanus de regione Suburræ, ex patre Benedicto, Monachus Ordinis S. Benedicti Congregationis..... Abbas S. Rufi Veliternæ diœceseos, &c. *Qua uerò ratione, aut unde motus, errorem hunc absurdum Panuinus suis scriptis posterioribus inseruerit, quamuis diligenter inuestigarim, minimè adhuc rescire potui. Dicere, quod ipse adducit in epistola sua ad Lectorem in epitome in 4. præfatum epitome in folio partum suum non esse, sed furto illi sublatum, ideoq; hoc posterius epitome in 4. edidisse, ut legitimus, à furtiuo partu dignoscatur, non facit ad propositum, cum quæ semel bene quis scripserit, retractatione non indigent. Quod autem bene scripserit in promptu est, omnium præfatorum grauium scriptorum unanimis consensus. Corrigendus ergo mihi uidetur hac in parte Panuinus: quin & Gonsaluus Illescas, lib. 1. cap. 24. qui & ipse in eodem errore uersatur cum Panuino. Eadem etiam censura emendandus est Trittemius, lib. 4. cap. 29. qui hunc Anastasium, ante Pontificatum Be-*

ne-

nedictum uocatum refert, cum sit patris eius nomen, ipse uerò Cunradus uocabatur.

HADRIANVS IIII.

DOMN. HADRIANVS IIII. Nicolaus Breackſper antea vocatus, Anglus, Villa Malniesbiria, ditionis oppidi Sancti Albani, Bateonienſis Diœceſis, obſcuriſſimis parentibus ortus, Roberti cuiuſdã qui poſtea Monachus Sancti Albani martyris Ordinis Sancti Benedicti in Anglia Congregationis Giribennæ Cluniacenſis effectus eſt, filius, in eodem cœnobio, vna cum Patre aliquot annis uitam duxit, deinde ad Eccleſiã Sancti Iacobi de Melgorio Magalonenſis Diœceſis in Galliis translatus, ex ea poſtmodum in Abbatem Monaſterii Sancti Rufi propè Valentiam Congregationis Cluniacenſis, aſſumptus, & ab Eugenio III. Epiſcopus Cardin. Albanus, creatus, ſtatim poſt obitum Anaſtaſii IIII. Romæ 3. nonas Decembris, anno Chriſti 1154. Indict. 2. omnium Cardinalium ſuffragiis ſummus Pontifex renunciatus, paulò poſt Romam Pontificatus inſignia ſuſcepit. Quatuor Ordinationibus menſibus Martii, & Decembris celebratis, creauit Cardinales 14. Epiſcopos, uidelicet, tres, Presbyteros 5. & Diaconos 6. Diem obiit Anagniæ calend. Septembris, anno Chriſti 1159. Indict. 7. Pontificatus ſui, ann. 4. menſ. 9. Vacauit ſedes dies 4. Scripſit Epiſtolas plures ad diuerſos, quarum vna reperitur excuſa Francofurti, anno 1585. in fol. ad finem Appendicis incerti auctoris ad Radeuicum, cuius initium eſt, Lex Diuina, ſicut parentes; & eſt ad Fridericum I. Imperatorem.

ANNOTATIO.

Canonicum fuiſſe Regularem, & Abbatem eiuſdem Ordinis in Monaſterio S. Rufi prope Valentiam in Gallijs, auctor eſt Gulielmus Neubrigenſis, lib. 2. cap. 6. rerum Anglicarum. quem videtur ſequi Panuinus in epitome in 4. & in vtroque ſuo Chronico. Eorum tamen opinioni reclamant quæ ipſemet Noubrigenſis adfert eodem cap. 6. Adrianum hunc ſcilicet, qui tunc Nicolaus uocabatur, aliquamdiu cum Patre ſuo Roberto vitam monaſticam duxiſſe in Monaſterio S. Albani in Anglia; quod cœnobiũ ſub inſtitutis Diui P. N. Benedicti tunc maximè florebat, vt ex verbis Polydori Virgilij, apertè cognoſcimus, qui lib. 4. hiſtor. Angl. ſic ait. Reliquias corporis Diui Albani magno ſtudio perquiſiuit (*ſcilicet Offa Rex Merciorum*) easque inuentas, ac in ſcrinium auro & gemmis ornatum coniectas locauit in cœnobio, quod ipſe diuo Albano poſuerat, illudque magnis collupletauit poſſeſſionibus, vbi etiam loci ſtatuit familiam Monachorum Diui Benedicti. Huius quoque

regis

regis opus esse ferunt cœnobium Monachorũ eiusdẽ Ordinis, quod est Bathoniæ. *Confirmatur & Polydori sententia, Monasteriũ uidelicet S. Albani sub Regula D. Benedicti à primaria sua institutione ad hęc usq; nostra tẽpora fuisse, à Matthęo Vuestmonasteriẽsi in floribus historiarum pluribus in locis. Reclamãt, & quæ Panuinus ipse in Epitome suo in folio rectissimè scripserat sic inquiens,* S.D.N. Hadrianus IIII. Põt. Max. Anglus, F. Nicolaus de Maluisebiria, oppido S. Albani, Bathonienſis Diæceſis, Anglicus, Monachus Ordinis S. Benedicti, congregationis ..... Abbas Monasterij S. Rufi. prope Valentiam in Gallijs. *&c. Adde quod ipse Panuinus non dicit Monasterium S. Rufi fuisse Ordinis Canonicorum regularium vt asserit Neubrigensis. sed solum, ex Canonico Regulari, Abbatem S. Rufi creatum: quod & de duobus alijs nostris Pontificibus factum legimus, Vrbano scilicet, & Paschali, secundis qui Canonici Regulares cum essent, uitam postea Monasticam sub Regula Diui Benedicti amplexi sunt, ille Cluniaci, hic autem in Monasterio S. Laurentij, cuius postea & Abbas effectus est. Monasterium uero S. Rufi prope Valentiam Ordinis Diui Benedicti fuisse affirmant, Trittemius de vir. illust. Ord. S. Ben. lib. 4. cap. 17. & 31. Plata item lib. 2. cap. 28. qui postquam omnium Pontificum Ordinis Diui Benedicti memoriam egisset, sic concludit:* Hi sunt igitur, nisi qui forte me fugerunt, Pontifices omnes ex Monachorum *(Benedictinorum scilicet)* Ordine, nunc de alijs familiis, *&c. Adducam & Iacobi Philippi Bergomensis testimonium celebre de eius Monachatu, lib. 12. suppl. Chron. sic inquientis:* Hadrianus Papa eius nominis quartus, natione Anglicus, professione Monachus, hoc anno Anastasio Pontifici suffectus, sedit annos 4. & menses 10. *Hunc proximè insequitur Marcus Guazzus in Chronica sua his Italicis uerbis;* Fu per natione Inglese Papa Adriano di tal no me 4. visse nel Papato anni 4. mesi 10. fu il 177. Papa, & fù creato do poi la morte di Nastagio quarto, l'anno 1155. fù costui gia Monacho, & gran Predicatore: &c. *Monachi uerò nomen, tempore illo maximè, nullis alijs solere tribui, quam professoribus Regularum Diuorũ Basilij, & Benedicti, summorum Pontificum decreta, & omnes quotquot scripserunt historici, manifestissimè declarant: nec unum quidem inuenies, qui Canonicos, Regulares, Monachi etymologio adornet. Abijt tamen iam ferè in dissuetudinem, & quod Monachis proprium erat, factum est, & alijs Religionibus commune, solis Canonicis regularibus hoc in ordine minimè comprehensis, qui nunquam, nec à recentioribus quidem, quod sciam, Monachi uocantur, sed solo nomine Religiosi, uel Canonici, contentos legimus. Cuius uerò Congregationis fuerit Hadrianus cõtrouertitur. Nonnulli enim*

quos

quos & libentius sequor, Congregationis Cluniacensis fuisse affirmant, quę per totum ferè Orbem eo tempore maximè florebat; Alij sub institutis Congregationis Giribennæ uixisse dicunt, opinionem suam, vt arbitror, fundantes, quod Monachus cœnobij S. Albani in Anglia fuerit, quod eiusdem Congregationes extitisse, antequam Cluniacensis oriretur, ex historijs constat. Quibusdam etiam placet, quod Congregationis fuerit Cistertiensis, & ex consequenti eiusdem quoque Ordinis Monachus, quorum sententiam non reprobare videtur D. Gonsaluus Illescas in historia sua Pontificali lib. 5. ca. 25. cum de Hadriano IIII. loquens, huiusmodi testimonium profert; Fue Monje de S. Benito y Abbad de S. Ruffo en Francia; algunos dizen que de la Congregacion del Cistel. *Horum autem omnium sententias si quis rectè examinet, profecto inueniet nec vnum quidem esse, Neubrigensi solo excepto, qui Monasterium S. Ruffi in Gallia Ordinis Canonicorum Regularium faciat, sed aut S. Benedicti, uel certe Cistertiensis, qui sub auspicijs eiusdem Patris in hodiernum vsque militare noscitur. Et hæc de Adriani nostri Monachismo dicta sufficiant. Reliqua, scilicet anni Creationis, regiminis, & mortis, ex Platina, Panuino, Volaterano, & alijs desumpta sunt.*

INNOCENTIVS IIII.

D. Innocentivs IIII. Sinibaldus antea vocatus, Obizzonis filius, Ligur, Genuensis, ex nobili familia Flisca, & Lauaniæ Comitibus ortus, Monachus primum Sancti Benigni Fructeriæ in agro Taurinensi Congregationis Cluniacensis, postea cum esset vtriusque iuris consultissimus, Auditor literarum contradictarum, & S.R.E. Vicecancellarius, ac Presbyter Cardinalis T. S. Laurentij in Lucina, ac postremo post unius anni, mensium 8. & dierum 14. sedis vacationem Anagniæ, omnium Cardinalium, qui illuc aduenerant, assensu, 8. cal. Iulij Anno Christi 1243. Ind. 1. Papa electus, ibidem 3. cal. Iulii, consecratus, & coronatus est. Præfuit toti Ecclesiæ A. 11. M. 5. D. 14. Tribus ordinationibus mense Decembri factis, 17. Cardinales nouos creauit, ex quibus Episcopi, 7. Presbyteri 3. & Diacones 7. fuere. Neapoli 7. idus Decembris, Anno Christi 1254. Ind. 12. mortuus, ibidem in Ecclesia Cathedrali sepultus est: Vacauit sedes dies 13.

Annotatio.

Innocentij IIII. Monachismum, prodit Illustris Eques Philibertus Pingonius in sua Augusta Taurinorum ad annum Domini 1242. ex Archiuo Monasterij Fructerensis, his verbis: Anno Christi M.CC.XLII. Innocentius quartus Genuensis Pontifex Maximus Taurini a Thoma.

ma Sabaudo Amedei tertij Fratre excipitur: Thomas enim Pontificis ex Fratre Thedisio Fliſco Lauaniæ comite neptem, Beatricem duxerat, & iuribus in hanc ciuitatem ab Amedeo donatus fuerat. Pontifex uerò (qui olim Fructuarienſis cœnobij Monachus) illud, & alia Monaſteria perluſtrat, pleraque ad pietatem ſingulis indulget. *Hæc Pingonius. Conſtat de Monachiſmo, nunc de Monaſterio, cuius Ordinis ſit videamus. Illud nobis explicat Philippus Bergomenſis in ſupplemento Chron. lib. 12. ſic inquiens, de Monaſterijs a Marchionibus Montisferrati conſtructis*; Monaſterium quoque aliud, ſub Titulo Sancti Benigni confeſſoris, Ordini Beati Benedicti dicatum, non longe a Taurinenſi Vrbe condiderunt: cui in prouentibus aſſignarunt ſingulo anno ducatos. 2000. *Monaſterium autem iſtud in agro Fructuarienſi conſtitutum eſſe, habemus ex Panuino in Epitome in 4. & in folio, qui agens de octo electoribus nationis Italicæ, qui Felicem V. Antipapam elegerunt, unum ex illis recenſet Abbatem S. Benigni Fructuarienſis ſic dicens:* Frater Aleranus de Carrecto Genuenſis, Abbas Monaſterij S. Benigni Fructuarienſis, Eporedienſis diœceſis. *Cur autem a nemine alio Innocentij 1111. Monachiſmus explicetur, in cauſa eſt, quod, ſicut & in aliis multis uſu uenit, conditio uel profeſſio Monachorum, præcipuè Benedictini Ordinis, a nullo ferè hiſtorico ſatis prodignitate tractetur; & ſi qui eorum, quod rarò etiam contingit, aliquid tranſeunter dicant, hoc ita nudè, & macrè faciunt, ut aliquando plus confuſionis, & controuerſiæ legentibus inferant, quam lucis.*

CLEMENS VI.

Domn. Clemens VI. Petrus Rogerij antea vocatus natione Gallus, Prouinciæ Tholoſanæ, oppido Malmonte, Lemonicenſis Diœceſis, ex familia Monſtria, originem duxit: fuit primum Monachum profeſſus in cœnobio Caſæ Dei Claromontenſis Diœceſis, Pariſijs Theologię Magiſterium aſſumpſit; mox Prior Cõuentualis, deinde Abbas Monaſterii Sanctę Trinitatis Fiſcanenſis in Northmandia Congregationis Cluniacenſis factus, deinde Epiſcopus Attrebatenſis, poſtea Senonenſis Archiepiſcopus, tum Rothomagenſis, demum S.R.E. Presbyter Cardinalis, TT. SS. Nerei, & Achillei, poſtremo Auinione in Monaſterio Prædicatorum, nonis Maij, anno Chriſti 1342. Indict. 10. Pontifex Maximus renunciatus, ibidem 14. cal. Iunij, die Pentecoſtes ſuæ conſecrationis, & coronationis inſignia ſuſcepit. Prouinciam ſibi demandatam laudabiliter rexit, anno 10. & menſ. 7. Quatuor ordinationibus, mẽſibus Maio, Septembri, & Decembri factis, Cardinales 25. creauit, Epiſcopos ſcilicet duos, Presbyte-

byteros 15. & Diaconos 8. Obiit Auinione in Palatio Apostolico, 8.idus Decembris, anno Christi 1352. Indict. 5. cuius corpus primo in Ecclesia Cathedrali Auinionensi sepultum fuit; post ad Monasterium Casæ Dei, ubi religionis sumpserat habitum delatum, ibidem honorificè conditum est: Vacauit sedes dies 11.

ANNOTATIO.

Clementis Monachatum scribunt, Platina in eius vita, Supplementum Chronicorum lib. 13. Trittemius lib. 4. ca. 18. & alibi sæpius: Panuinus in utroque Epitome, & Chronico: Plata lib. 2. c. 28. & Thomas Vualsinghamius in Historia breui, his uerbis. 1340. Mortuo Benedicto XII. successit Clemens VI. Hic de Abbate Ordinis S. Benedicti, factus est Attrebatensis Episcopus: postea successiue ad Archiepiscopatū Senonensem, & Rothomagensem assumptus; deinde ad Cardinalatum, & tandem ad Papatum ascendit. *Vocatur hic a Panuino in Epitome in 4. Archiepiscopus Arelatensis, quod errore factum puto, ut pro Attrebatensi sit positus: nam apud omnes, huius Arelatensis Episcopatus historia muta est: at de Attrebatensi iam diximus quid dicat Thomas; cui suffragantur Tabulæ Episcoporum Attrebatensium, & picturæ eorundem, quæ in Ecclesia S. Mariæ Ciuitatis Attrebatensis cernuntur, ubi hic Clemens in habitu Summi Pontificis depictus uisitur, uti ego non semel uidi. Trittemius item lib. 4. c. 18. sic dicens*, Clemens sextus patria Lemonicensis, Petrus Rogerij antea uocatus, primo Abbas Fiscaniensis, deinde Episcopus Attrabacensis, postea Rothomagensis Archiepiscopus, & Cardinalis: *& cap. 37.* Petrus Rogerij Abbas Fiscaniensis, Doctor facundus & eruditus, primo fuit Episcopus Attrabacensis, postea Senonensis Archiepiscopus, deinde Rothomagensis, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, &c. *In reliquis Platinam, & Panuinum sequimur. Titulum Sanctæ Trinitatis, Monasterij Fiscaniensis, ex Ypodigmate Neustriæ Thomę Vualsinghamij, apposuimus.*

S. VRBANVS V.

S. VRBANVS V. Magister Frater Gulielmus antea uocatus, Grimaldi militis filius, natione Gallus, prouincia Tholosana, oppido ditionis paternæ Grisaco, Diœcesis Mimmatensis ortus, Decretorum, & Sacræ Theolo. Doctor, ex Monacho Monasterii Cluniacensis in Burgundia primū Abb. Antisiodorensis, deinde ab Innocentio Papa sexto Sancti Victoris Massiliæ, Cōgregationis eiusdem Cluniacensis, ac demum Auinione omnium Cardinalium suffragijs absens, & non Cardinalis, 5. cal. Nouembris, ann. Christi 1362. Indictione 15. supremus Pastor acclamatus, Auinionem veniens, 8. idus Nouem-

Nouembris, consecrationem simul & coronationem suam perfecit. Dominici gregis curã strenuè gessit, & administrauit per ann. 8. mensem 1. & dies 17. Quatuor ordinationes mensibus Maio, Iunio, & Septembri perfecit, in quibus Cardinales 14. nouos creauit, Episcopos videlicet tres, & Presbyteros 11. Auinione in domo Angelici Cardinalis nepotis sui Albanensis Episcopi, 14. cal. Ianuarij, anno Christi 1370. Indictione 8. obiit: Cadauer Massiliam deportatum in Ecclesia S. Victoris, cuius olim Abbas fuerat, sepultum est: vacauit eo mortuo sedes, dies 10.

ANNOTATIO.

Hic familiæ Benedictinæ vltimus, Pontifex fuit, cuius Monachismi auctores præcipui sunt, Platina in eius vita; Supplementum Chronicorum lib. 14. Trittemius lib. 4. ca. 19. & 40. & alibi sæpius. Panuinus in vtroque Epitome & Chronico. Plata lib. 2. cap. 28. de bono statu Religios: Thomas Vualsinghamius in historia breui, cuius uerba sũt ad annũ 1362. Obijt hoc anno mense Augusti Papa Innocentius VI. cui successit Domnus Gillerinus, Abbas Ordinis S. Benedicti Marciliatensis, patria Anglicus, doctor egregius, & auditor in curia; & secundo calendas Nouembris consecratur, & uocatur Vrbanus quintus. *Auctor quoque Chronici Cluniacensis. MS. apud me, tale de eo profert testimonium:* Tempore huius Hugonis floruit Vrbanus Papa V. circa annum Domini 1372. Hic fuit Monachus Cluniacensis, & Decanus, Decretorum Doctor, & Sanctus reputatur, fecit namque & Crucem prædicari contra Turcos, & passagium ordinauit. Ad ipsum Beata Brigida fuit missa a Christo pro confirmatione Regulæ. Hic inflixit pœnas maximas spirituales & temporales contra inuasores regni, receptores, & fautores eorundem: quarum bulla est in Thesauro Parisius, & copia in Monasterio Cluniacensi registrata. Et reduxit antiquam decimam beneficiorum ad medietatem, & eam decreuit haberi pro integra, intoxicatus obijt. *Hæc ille. Vitio ut puto librariorum, irrepsit apud Panuinum in Epitome in quarto vt pro Cluniacensi, Monachus Chiriacensis appelletur: uti & apud Vualsinghamium, Gillerinus, pro Gulielmo: qui similiter deceptus æquiuoco Monachi Anglici, siue Angelici, qui ab Vrbano Papa V. Fratre suo in purpuratorum numerum relatus est, Vrbanum natione Anglicum putauit. Numerus 1372. ab auctore Chron. Cluniac. appositus est pro 1362. sed is fortasse scriptoris inaduertentia. Correctione etiam indiget Trittemius lib. 4. cap. 19. & 40. dum dicit Vrbanum, Cardinalem creatum fuisse a Clemente Papa VI. cum constet eundem absentem, & non Cardinalem, dum*

legatum

Legatum ageret apud Vicecomites Mediolanenſes, omnium Cardinalium ſuffragijs Eccleſiæ regimini prælatum. Cætera ex Platina Panuino, & Volaterrano deſumpta ſunt a nobis.

De alijs Summis Pontificibus Ordinis S. Benedicti Nigrorum, quorum profeſsionis locus ignoratur. Cap. II.

S. Gregorius II.

GRegorius II. Marcelli filius, Romanus, ex Monacho Ord. Sancti Benedicti, & S. R. E. Diacono Cardinale, Eccleſiæ Catholicæ præpoſitus, ac Pontificialibus infulis 11. cal. Aprilis Anno Chriſti 716. Ind. 14. decoratus: eo in honore permanſit An. 15. M. 10. D. 22. Ordinationes ſex, menſibus Iunio, & Septembri, habuit, in quibus Epiſcopos 149. Presbyteros 35. & Diaconos 4. creauit. Et multis in Eccleſia Dei præclarè geſtis animam cœlo reddidit Idibus Februarij Anno Chriſti 731. Ind. 14. & in Eccleſia Vaticana ſepultus eſt. Vacauit ſedes Menſ. 1. D. 5. Scripſit plena eruditionis quædam opuſcula, de quibus ſunt, ad interrogationem Iuſtiniani, Reſponſionum, lib. 1.

Contra Leonem Auguſtum, lib. 1.

Ad Ioannem Epiſcopum Conſtant. . . . . lib. 1.

Epiſtolarum, lib. 1. quarum nouem ſunt excuſę in Tomo 2. Epiſtol. Decretalium, Romæ, 1591.

ANNOTATIO.

Huius Pontificis Monachatus annotatur a Trittemio lib. 3. c. 161. de uir. ill. Ord. S. Bened. his uerbis, Gregorius Papa Secundus ex Monacho, Patria Romanus uir doctiſſimus, & Hæreticorum expugnator egregius, multa ſanctitate & uirtute reſulſit in populo, &c. *Conſentit & Plata lib. 2. c. 28. ſæpecitato, quin in concluſione Monachiſmi Gregorij II. & III. ſic inquit,* Atque hunc utrumque Monachum fuiſſe conſtat ex Cathedra Pontificali, quam ſupra diximus, alijque auctores conſentiunt. *Qui autem ſint illi auctores, præter Trittemium, & Bugianum uidi neminem, aliqui tamen vt ſint oportet, nam & Trittemium ab aliquo alio id accepiſſe fatendum eſt.*

S. Zacharias.

S. ZACHARIAS, Polychronij filius, Græcus, ex Monacho Benedictino,

nedictino, incerti tamen loci, & S.R.E. Presbytero Cardinale, Sacerdos maximus creatus 7. Idus Decemb. anno Christi 741. Indict. 9. 4. Idus eiusdem munus consecrationis accepit. Sacerdotio functus est ann. 10. mens. 3. die 9. Trina ordinatione mense Martio creauit Episcopos 85. Presbyteros 30. Diaconos 5. quibus peractis defunctus est Idibus Martij anno Christi 752. Indict. 5. Sepultus ad S. Petrum: & vacauit Sedes dies 9. Transtulit de Latino in Græcum Sermonem, quatuor libros Dialogorum S. Gregorii Papæ: qui excusi sunt cum Operibus eiusdem, Romæ, anno 1590. in folio. Epistolas quoque nonnullas; quarum 14. Sunt excusæ in Tomo 2. Epistolarum Decretalium Romæ 1591.

ANNOTATIO.

Panuinus in Chronico Pontificum Romanorum, Monachum hunc fuisse docet sic inquiens, Zacharias, Polycronii filius, Græcus, Monachus, S.R.E. Presbyter Cardinalis a Gregorio III. creatus, &c. *Idem prodiderat Petrus Bugianus ex Raymundo, Pontif. Cathedræ auctore. Confirmatur hæc ueritas ex ipsius Zachariæ uerbis in Priuilegio Monasterio Casinensi concesso, quod ultimum est, inter alia Summorum Pontificum Priuilegia, post finem Chronici Casinensis excusa ubi sic ait circa finem:* At uero qui pro intuitu huius nostri Apostolici instituti obseruator existit, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro, per intercessionem Beatissimi P. N. Benedicti consequatur, & uitæ æternæ præmia adipisci mereatur: *verba enim illa, B.P.N. Benedicti, manifestissime ostendunt eundem aliquando sub S.P.N. Benedicti magisterio, & Regula militasse, quem Patrem suum appellat. Cætera, tam in hoc Pontifice, quam præcedentibus, & subsequentibus, ex Platina, Panuino, & alijs quibusdam desumpta sunt.*

S. SERGIVS IIII.

S. SERGIVS IIII. Martini filius, Romanus, Petrus antea vocatus, ex Monacho cuiusdam cœnobii instituti S. Benedicti; Summus Pontifex renunciatus 12. cal. Septembris Anno Christi 1009. Ind. 7. Fuit cum potestate An. 2. M. 9. D. 12. quibus exactis sanctorum consortio connunctus est cal. Iunij, Anno Christi 1012. Ind. 10. ac Laterani sepultus. Vacauit sedes dies 8. Nonnulla scripsisse fertur, de quibus tamen nihil aliud vidi præter Epitaphium Siluestri II. Papæ, quod est in Laterano.

ANNOTATIO.

Huius Monachismus ex Cathedra Pontificali annotatur a Bugiano, colloquio primo, quem sequitur Illescas lib. 6. c. 30. & Plata lib. 2. cap. 28.

de

de bono statu Religiosi sic inquiens: Deinde anno M.IX. Sergius IV. anno M. XXII. Ioannes XIX. Pontificatum iniere, hic ex Monasterio Sancti Anastasij Romæ, ille ex incerto, sed tamen ex Benedictina familia. *Si qui sint alij, vidi neminem. Sanctitatis eius testimonium adfert Platina in eius vita.*

ALEXANDER IIII.

ALEXANDER IIII. Philippi filius, ex nobili comitum Signiæ familia ortus Gregorii Papæ IX. nepos, natione Hernicus, patria Anagninus, Rainaldus antea appellatus, ex Monacho incerti cuiusdam Monasterii, Ord. S. Benedicti, & S.R.E. Episcopo Cardinale Ostiensi & Veliterno Neapoli Campaniæ, 12. cal. Ianuarij Anno Christi 1254. Ind. 12. in locum Innocentij IIII. quum esset Cardinalium Episcoporum Prior, Pontifex Maximus repositus, die Natalis Domini consecratus & coronatus est. Præfuit Ecclesiæ Dei An. 6. M. 5. & D. 5. Obiit Viterbii 8. calen. Iunii Anno Christi 1261. Ind. 4. cum ordinatione unica Cardinalem unicum creasset, ac in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii sepultus est. Vacauit eo mortuo sedes Romana Mens. 3. & dies 4.

ANNOTATIO.

Domnus Paulus Langius, Monachus Spanheimensis, & Trittemij Abbatis discipulus, in Chronico Citizensis Ecclesiæ, quod nuper cum alijs Scriptoribus Germanicis Francofurti primum excusum est, huius Alexandri Monathatum ad annum 1254. his annotat verbis, Innocentius Neapoli obijt, cui Alexander Quartus nostri Ordinis, Diui videlicet Benedicti, successit, natione Campanus (nam Hernicos olim, nunc Campanos uocant) patria Anagninus, qui Monasterio nostro glorioſum Priuilegium dedit: *Item & ad annum 1260.* Ipse etiam Alexander Benedictinus, ubi ab externis negotiis uacuus fuit, aliquid semper quod ingenium saperet, edidit. *Hæc Paulus, qui tamen in quo cœnobio vitam Monasticam duxerit, non explicat. Veritatem autem ex hoc scribere arbitror, quod a nemine, quem hactenus uiderim, memoretur, cuius conditionis, uel professionis, ante Papatum fuerit hic Alexander: & quod ab alijs ignoratum fuit, ipse sua diligentia inuestigare promeruit, & reperire, auctoritate ductus cuiusdam diplomatis pro immunitate sui Monasterij, ab ipso Papa Alessandro concessi.*

De alijs Pontificibus, qui Monachi fuisse referuntur, dubia tamen fide. Cap. III.

S. BENEDICTVS I.

BENEDICTVS Bonosus, Bonifacij filius, Romanus, ex Monacho Summus Pontifex 16. calend. Iunii, Anno Christi 577. Indictio. 10. creatus: sedit An. 4. menses 2. dies 15. Ordinatione vna mense Decembri creauit Episcopos 21. Presbyteros 15. & Diaconos 3. Obijt pridie calendas Augusti, Anno Christi 580. Indictio. 13. & in Secretario Diui Petri sepultus est. Vacauit sedes menses 4. Scripsit Epistolam vnam satis prolixã ad Dauidem Episcopum, de sancta Trinitate, quæ excusa est in Tomo 1. Epist. Decretalium; Romæ, anno 1591. in folio.

ANNOTATIO.

Hieronymus Plata de bono statu religiosi, lib. 2. cap. 28. & Donnus Augustinus Florentinus Monachus Camaldulensis, hist. Camald. lib. 12 cap. 14. ex Collectorio Raymundi Hispani Monachi, libri Cathedræ Pontificiæ auctoris, huius Pontificis Monachatum adnotatum habent. Confirmatur eorum auctoritas pictura ante annos centum, id est anno 1480. facta in claustro primo Monasterij nostri S. Benedicti, quod vulgo claustrum S. Symeonis appellatur, in quo hic Pontifex in habitu Monachi depictus cernitur, cum hac inscriptione; Benedictus Primus, ex Monacho, Seruus Seruorum Dei electus & uocatus.

S. PELAGIVS II.

S. PELAGIVS II. Vinigildi filius; Romanus, ex Monacho quarto vacantis sedis mense, pridie calendas Decembris, Anno Christi 580. Indict. 13. Sancto Benedicto surrogatus, eius vices egit, Annos 10. mens. 2. dies 10. Quo tempore ordinationibus diabus mense Decembri, fecit Episcopos 48. Presbyteros 28. & Diaconos 8. bonisque operibus plenus mortuus est, die 6. Idus Februarij, Anno Christi 591. Indictione 9. sepulturam habuit apud sanctum Petrum; & vacauit sedes, menses 6. dies 24. Scripsit Epistolas Decretales quinque: quæ excusæ sunt in Tomo 1. Episto. Decretalium, supracitato.

ANNOTATIO.

Auctores supracitati Monachismum eius attestantur, & Platæ equidem verba hæc sunt. Pelagium quoque II. eum, cuius Gregorius

alumnus

alumnus & successor fuit, ex Monastico ordine processisse tradunt, tum alij auctores, tum eius libri auctor, qui Cathedra Pontificalis inscribitur, in quo Pontificum series diligenter texitur. *Reliqua ex Panuino desumpta.*

S. BENEDICTVS II.

S. Benedictvs Ivnior II. Ioannis filius, Romanus, ex Monacho Romano, incerti tamen Monasterij, Petri successor, Anno Domini 684. die 13. calendas Iulii pronunciatus, præfuit in omni sanctitate mensibus 10. & diebus 27. & omnibus carus & acceptus decessit ipsis Idibus Maii, anno 685. ad S. Petrum sepultus. Vacauit sedes eo mortuo, menses 2. & dies 9.

Annotatio.

Hieronymus Plata de bono stat. relig. lib. 2. cap. 28. ex collectorio Raymundi Monachi Hispani, quem & citat Bugianus, colloquio primo hist. Monasticæ, huius Monachatum diligenter annotat, eiusq; opinio fulciri videtur auctoritatibus Platinæ, Iacobi Philippi Bergom. lib. 10. Supplem. Chron. & aliorum nonnullorum, asserentium hunc Benedictum Romæ ab ineunte ætate Deo militare cœpisse, necnon doctrina, & exercitatione rerum Diuinarum in tantum excelluisse, vt obinde admirabilis, & singularis ab omnibus haberetur. Verbum autem Militare, vt plurimum (scimus enim & aliter accipi posse) in rebus sacris accipi solet pro obsequio, quod Deo offertur in cœnobijs sub obseruatione alicuius Regulæ, vt videre est in Regula S. P. N. Benedicti, cap. 58. Ecce lex sub qua militare vis: *& cap. 61.* Et quia in omni loco uni Domino seruitur, uni regi militatur.

S. SERGIVS I.

S. Sergivs, Tiberii filius Antiochenus Syrus, Panhormi in Sicilia ortus, ex Monacho S.R.E. Presbyter Cardinalis T. S. Susannæ ad duas domos à Cunone Papa factus, deinde, Pontifex Maximus creatus, Anno 687. die 16. calen. Ianuarii, consecratus verò die Natalis Domini; sedit annos 13. menses 8. dies 23. ordinationibus duabus mense Martio fecit Episcopos 16. Presbyteros 18. & Diaconos 4. Obiit 6. Idus Septembris, Anno Domini 701. & sepultus est ad S. Petrum.

Annotatio.

Monachum fuisse testatur Bugianus in Colloquio primo ex Chronica sua antiqua, quem sequitur Illescas lib. 6. c. 30. in repetitione nominum Pontificum Ordinis Monastici, at in corpore libri vitam eiusdem Pontificis describens, nihil simile de eo loquitur, nec quicquam de eius Monacha-

tu adfert. In pictura Claustri S. Benedicti Mantuani in habitu Monachali visitur cum eius nomine subscripto, sed Elogium illi appositum ex uetustate perijt. Præter hos legi neminem qui de eius Monachismo nec uerbum quidem adferat, & ideo eius fides apud prefatos auctores remaneat.

S. IOANNES VI.

S. Ioannes VI. Græcus, ex Monacho, Pontifex creatus, anno 701. in locum Sergii ipsis calendis Nouembris, & consecratus 8. Idus eiusdem, sedit annos 3. menses 2. dies 13. ordinatione unica creauit Episcopos 15. Presbyteros 9. & Diaconos 11. Obiit (ut nonnulli aiunt) martyrio, anno 705. sepultus ad S. Petrum.

Annotatio.

Bugianus ex Raimundo, quem sequitur Illescas lib. 6. c. 30. in Recapitulatione Pontificum, eius Monachismi auctores sunt. Depictus est in Claustro Mantuano, cum hoc Elogio sibi, & alijs duobus commune: Gregorius Magnus, Hilarius I. Ioannes VI. tam magni uirtute, quàm doctrina clari, ex Monasticę Religionis professione ad sublime Flaminij fastigium prouecti. *Trittemius tamen lib. 4. c. 20. omnino Monachum fuisse pernegat, quem & nos libenter sequimur, cum eius rei testes satis probabiles non exstent.*

S. GREGORIVS III.

S. Gregorivs III. Ioannis filius, Syrus, ex Monacho, & S. R. E. Presbytero Cardinale, die 14. calendas Aprilis Papa creatus, octauo calendas eiusdem consecratus est, Anno Christi 731. Indictio. 14. & tribus ordinationibus, mense Decembri celebratis, in quibus Episcopos 80. Presbyteros 24. & Diaconos 3. creauit, obiit die 4. calendas Decembris, Anno Christi 741. Indictio. 9. cum sedisset, An. 10. menses 8. dies 10. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes, dies 8. Scripsit ad Leonem & Constantinum Imperatores; Commonitorium, lib. 1. Ad eosdem, lib. 1. Contra eosdem, lib. 1. Epistolarum, lib. 1. quarum quinque reperiuntur in Tomo 2. Epistolarum Decretalium supracitato. Scripsit & ad Vrsum Ducem Venetorum Epistolam unam, cuius exemplar extat apud Sabellicum Enneadis 8. libro 7.

Annotatio.

Petrus Bugianus colloquio primo hist. Mon. & Plata lib. 2. cap. 28. ut supra diximus ex Raimundo Monacho Hispano Cathedræ Pontificalis auctore huius Monachatum scriptis suis inseruerunt. Si qui sint alij, præter Illescam, lib. 4. cap. 27. nullum uidi.

S. LEO

S. LEO III.

S. Leo III. Azuppij filius Romanus, ex Monacho S. R. E. Presbyter Cardinalis T. S. Susannæ, & postmodum Pontifex creatus 7. calen. Ianuarii, anno 796. die obitus Adriani Papæ, consecrationem accepit die sequenti, sedítque annos 20. menses 5. dies 18. ordinationes tres habuit mense Martio, in quibus Episcopos 126. Presbyteros 30. & Diaconos 11. creauit. Obiit pridie Idus Iunii, anno 816. & sepultus est ad S. Petrum. Vacauit sedes, dies 20.

Annotatio.

Bugianus solus ex Cathedra Pontificia huius Monachatum probat: videtur tamen & in Claustro depictus, ut ex eius nomine quod ibidem legitur liquet, at elogium uetustate corruit. Illescas etiam in recapitulatione eius meminit, at in corpore libri de eo silet. Lector quod uelit sequatur, non enim uolumus obtrudere, quod probare nequimus.

S. VALENTINVS.

S. Valentinvs, Leontii filius Romanus, ex Monacho S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, à Paschali Papa factus, eidem mediatè succedere meruit, anno 827. die 19. cal. Ianuarij, & consecratus est die sequenti. Sedit mensem 1. & dies 10. obiit 11. cal. Februarij, anno 828. & sepultus est in S. Petro. Vacauit sedes dies 3.

Annotatio.

Bugianus, ex sua Cathedra, & Chronica antiqua, cui suffragatur Illescas lib. 4. c. 31. Monachũ fuisse asserit. Consentit et pictura Mantuana, ubi depictus cernitur cũ hoc elogio: Valentinus I. Damasus I. Anastasius IIII. ex humili Monachorũ uita, ad Summũ Pontificij apicem dignè electi, & merito asciti. *Scribitur fuisse discipulus S. Paschalis I. Papæ, quod coniecturam magnã parit, eum aliquando fuisse Monachum.*

GREGORIVS VIII.

Gregorivs VIII. Albertus antea uocatus natione Samnis, patria Beneuẽtanus, familia de Mora, nobili & honorata ortus, ex Monacho, a Papa Adriano IIII. S. R. E. Diaconus Card. S. Susannæ, mox Presbyter S. Laurẽtii in Lucina; deinde Cancellarius: postremò Pontifex Max. creatus Ferrariæ, anno 1187. die 4. cal. Nouembris, sedit mensem 1. dies 27. Obiit eodem anno 8. cal. Ianuarii Pisis in Tuscia, & ibidem in cathedrali sepultus est. Vacauit sedes dies 8.

Annotatio.

Bugianus ex Cathedra, & Cronica antiqua, & Illescas lib. 5. c. 29. eius Monachatus meminerunt, qui cum valde nobis suspectus sit, quod nullus alius simile quid asserat, Lectoris arbitrio relinquimus.

De alijs nonnullis Pontificibus, qui Ordinis Monastici fuisse putantur, & non sunt. Cap. IIII.

ENVMERANTVR & alij Pontifices Ordinis Monastici, quorum primus est Alexander Papa II. quem Bugianus & Illescas, ex Cathedra Pontificali & Cronica antiqua Monachum fuisse affirmant; sed Ioannes Baptista Cauallerius in Iconibus Pontif. Rom. & alii non pauci, unanimi consensu Canonicum Regularem fuisse testantur, quibus libenter manus damus, tanquam opinioni veritati magis consentaneæ, ideoque ab cæterorum Catalogo hunc exclusimus.

Clemens III. citatus ab Illescas lib. 3. cap. 30. nominetenus tantum, in recapitulatione Monachorum Pontificum, a nemine, quod sciam, nec Monachus quidem fuisse memoratur; arbitrorque potius errore librariorum in scriptis uiri alioquin doctissimi irrepsisse, quam negligentia sua, præsertim quod cum de eo agit nihil tale de eo scribat.

Citat & Donnus Georgius Cabillau Aldenardensis, Monachus S. Petri Oudemburgensis, & meus in Nouiciatu Magister, in historia quam composuit de fundatione Monasterij nostri, Vrbanum IIII. tanquam Ordinis Monastici Religiosum, quod unde id acceperit penitus ignoro; ne dubia igitur pro certis afferre uidear, id tantum insinuasse sufficiet.

Trittemius lib. 4. cap. 20. ex aliorum sententia, Innocentij VI. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Monachorum, illius quidem ante Pontificatum, istorum uero post Pontificatum, meminit, quam opinionem, cum eodem Trittemio, ut friuolam & fundamento carentem, reprobamus, cum nullus omnino Historicus tale aliquid affirmare audeat.

Coronidis loco adfertur ab Illescas lib. 6. ca. 30. Paulus Papa IIII. tanquam Vineæ Benedictinæ palmes cuius uerba sunt: *Y algunos dizen que fue Monje de Sant Benito, y affirman que tomo el habito de aquella Santa Religion en el Monasterio de Sant Seuerino de Napoles: y si es ansi (como lo oy a personas de mucha authoridad, que affirmauan auer lo oydo a Folengio Monje Casinense, al qual embiò el mismo Paulo IIII. a visitar a Espana los Monasterios della) auran sido treynta y ocho los Pontifices desta Orden de Sant Benito, aunque*

otros

otros dizen que fueron quaranta y seys: Sed quam longè a ueritate aberret omnibus est manifestum, cum nec unquam Monasterium S. Seuerini vt Monachus fieret intrauerit, nec etiam in Matriculis Congregationis nostræ Casinensis, ut talis inscriptus reperiatur. Septem ergo ex industria omisimus, quos a præfatis auctoribus, non satis considerate, inter Monachos connumeratos agnouimus.

De Monachis, qui ad Pontificatum euecti, non re ctè pro Pontificibus se gessere, nam

Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Hebr. 5. Cap. V.

PHILIPPVS Antipapa.

PHILIPPVS Romanus, Monachus, & Abbas Monasterij Sancti Viti Romæ, Congregationis primæ Benedictinæ, & S.R.E. Presbyter Cardinalis, in Schismate, contra Constantinum II. Nepesinum ex laico contra Canones creatum, a quibusdam Clericis & Laicis, Summus Pontifex die 4. Idus Iulij renunciatus, necnon pridie calendas Augusti consecratus A.C. 767. Indict. 5. anno sequenti 768. Pontificatus sui anno primo, die 24. pridie nonas Augusti, coactus à Christophoro Primicerio, Pontificatu abdicauit, & ad Monasterium suum teuersus, in eodem Abbas, & Cardinalis, obijt.

Annotatio.

Pontificatus, & Monachatus huius Philippi, (qui à nonnullis Philippicus uocatur) notantur à Panuino in utroque Epitome & chronico, & quibusdam alijs recentioribus. Si Ecclesiæ auctoritas non obsisteret, quæ Philippum, inter Pontifices non enumerat, posset inter Pontifices legitimos cõputari, quod quodammodo bene creatus referatur, non in Schismate veri Pontificis (ut ego reputo) sed contra Constantinum laicum, qui cõtra Canones creatus fuerat, et ideo iustè, & rectè Pontifex renunciatus uidetur. Magistram attamen Ecclesiam sequi hic maluimus, quam aliquid nostra auctoritate dicere.

Ana-

ANASTASIVS III. Antipapa.

Anastasivs III. Romanus, Monachus & Abbas Ordinis S. Benedicti, Congregationis Specuensis, & S.R.E. Presbyter Cardinalis, T.S. Marcelli, deinde in Schismate contra Papam Benedictum III. Pontifex creatus, sedit dies aliquot: & non longè post coactus abdicauit.

Annotatio.

Quid de eius Monachismo sentiamus videto in annotationibus nostris ad Cardinales. Eundem esse cum eo qui a Leone quarto, depositus est asserunt tum Panuinus in Epit. tum etiam Illescas in Hist. Pontif. lib. 4. cap. 34. in Leone 4. Papa.

BENEDICTVS IX. dictvs X. Antipapa.

Benedictvs IX. dictus X. Ioannes Mincius antea vocatus, Guidonis filius, nobili Comitum Tusculanorum genere Romæ oriundus, Monachus Monasterii S. Anastasii Romæ ad aquas Saluias, deinde Episcopus Cardinalis Veliternus a Leone IX. creatus, mortuo Papa Stephano IX. à Romanis proceribus laicis propinquis suis præter canones, & contra Cardinalium voluntatem Pontifex renunciatus, pridie Idus Aprilis anni 1058. consecratus & coronatus est. Sedit menses. 9. dies. 20. Coactus à Cardinalibus, & Nicolao Papa II. abdicauit pridie Cal. Februarij anno 1059. & non longè post moriens ad S. Mariam Maiorem sepultus est.

Annotatio.

Bugianus ex Theodorico, huius Monachismum affirmat; & alios huius rei auctores colligitur vidisse Trittemius, lib. 4. c. 20. quamuis illis fidem non adhibeat. Adducimur tamen vt id credamus, quod Monasterij in quo Monachum egerit fiat mentio.

SILVESTER III. Antipapa.

Silvester III. Romanus, Theodoricus antea vocatus, Monachus, & Abbas Farfensis Congregationis primæ Benedictinę: deinde S.R.E. Presbyter Cardinalis à Clemente III. Antipapa factus; postremo post Albertum Atellanum in Schismate contra S. Paschalem Papam II. Cauensium opera, à Clementis III. Antipapæ factione solio Pontificio intrusus A. C. 1102. Indict. 10. Sedit menses 3. & dies 15. Sed tandem à Paschalis II. præsidijs captus, & Sacerdotio priuatus, in Monasterium Sanctæ Trinitatis Cauensis relegatus, & in eodem Monachus factus, Anachoreticam vitam diu ibidem duxit, in quo & moriens Sepultus est.

Anno-

ANNOTATIO.

Platina in vita S. Paschalis Papæ II. Panuinus in vtroque Epitome, & Chronico, & nonnulli recentiorum, huius Monachatum diligenter annotarunt. Quo anno ex hac uita migrauerit, a nemine quod sciam, traditum, sepultum tamen Cauæ relatione RR. PP. Cauensium didicimus.

PASCHALIS III. ANTIPAPA.

D. PASCALIS III. Ioannes antea vocatus, Hungarus, Monachus, & Abbas Strumiensis in Hungaria, Congregationis Cluniacensis à Callisto III. Antipapa, primum Episcopus Cardinalis Tusculanus, mox Albanensis factus; eo mortuo, opera Friderici Barbarossæ Imperatoris, in Schismate contra Alexandrum Papam III. Romę Pontifex pronunciatus A.C. 1169. sedit in sua obedientia, An. 7. M. 5. & dies aliquot. Demum Anno Domini 1176. die quinto calendas Augusti, Serenissimæ Reipublicę Venetę opera pace inter Alexandrum Papam III. & Imp. Fridericum composita, Venetijs nomen titulumque Pontificis exuit, Archiepiscopusque Beneuentanus factus, pernicioſissimo schismati finem imposuit. Hic Pontifex plures ordinationes Cardinalium feciſſe fertur, quorum memoria omnino intercidit, vel temporum iniuria, vel hominum qui superiori ætate vixere negligentia, vel (quod verisimilius est) quia ab Alexandro Papa III. qui his omnibus superstes fuit, omnia eius acta recisa, abolita, & antiquata fuerint.

ANNOTATIO.

De huius Monachatu agunt Platina in vita Alexandri Papæ III. Panuinus in vtroque Chronico, & Epitome. De nomine quod in Pontificatu habuit, non parua est inter Historicos dissonantia. Appendix enim cuiusdam anonymi ad Radeuicum de gestis Imp. Friderici Aenobarbæ, Callistum eum appellat, & prædecessorẽ eius Paschalem, cuius verba sunt: Anno ab incarnatione Domini 1166. apud Vuirzeburg in Pentecoste Curia celebratur, ubi coniuratio fit ab Imperatore & Principibus qui aderant tam secularis, quam ecclesiastici ordinis, quod Paschalis semper Papa habeatur, & eo mortuo, nullus nisi de sua parte eligatur: *& paulo post*: Eodem anno Albertus Frisingensis diu renitẽs, coactus iurauit obedire Paschali. *& infra.* MCLXVII. Imperator circa Autumnum Italiam intrauit, ibique cooperante Cancellario suo Christiano, Paschalem per iterata sacramenta confirmauit: *& non longe post*, Guido, qui & Paschalis, moritur, & in Basilica Beati Petri Romæ sepelitur, à Romanis, præter Centios, Ioannes Albanensis Episcopus eligitur, & Calistus Tertius nuncuparur.

patur. *Hæc ille, quem sequitur Panuinus in vtroque Chronico Pontificum, scilicet Rom. & Ecclesiastico. In vtroque Epitome vero, in folio videlicet, & quarto, sententiam mutans Paschalem semper appellat: cui suffragatur Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronologiæ. Platina loco citato, prioris quidem nominis, Joannis nimirum meminit, at posterius reticet. Nos cum Genebrardo, & Panuino, Paschalis nomen retinuimus; si qui tamen Callistum sequi velint, non impugnamus. Et hæc de nomine. De morte eius quando, vel quomodo, vel vbi acciderit, nihil quod proferam habeo.*

De Pontificibus Schismaticis, qui à Sede sua deiecti, Ordinem Monasticum Benedictinum profiteri coacti sunt: iuxta illud, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Psal. 82.* Cap. VI.

CONSTANTINVS II.

CONSTANTINVS II. Iunior, Nepesinus Ducis Nepesini filius, cum fratrum suorum vi cõtra Canones, laicus, Pontifex creatus fuisset, A. C. 767. Ind. 5. die 4. cal. Iulij. & sequenti consecratus; coactus abdicauit Pontificatus sui anno 1. mense 1. die 11. Laterani, 7. idus Augusti, & in Monasterio Cellæ Nouæ, Congregationis primæ Benedictinæ, effossis oculis relegatus, ac Monachi habitu indutus, in eodem consenescens obijt. *Platina in vita Stephani III. Papæ. Panuinus in Epitome & Chronico, & alij nõnulli.*

CHRISTOPHORVS.

CHRISTOPHORVS, Leonis filius, Romanus, S. R. E. Presbyter tituli S. Laurentij, & Damasi: ex summo solio, septimo sessionis suæ mense, tertio nonas Februarij, A. C. 906. Indict. 10. deiectus, & Monachus factus in Monasterio Casinensi, non longè post moriens in Monasterio suo sepultus est. *Platina, Panuinus, & Gonsalnus Illescas lib. 6. cap. 30. hist. Pontif. & Bugianus colloquio primo.*

BENEDICTVS V.

BENEDICTVS, Papa V. Romanus, S. R. E. Diaconus Cardinalis,

dinalis, in schismate contra Leonem VIII. creatus A. C. 964. Ind. 7. coactus abdicauit eodem anno 9. calendas Iulij, & in exilium, Hamburgi Saxoniæ oppido actus, & Monachus factus, ibidem anno sequenti 965. Indict. 8. mortuus in Cathedrali Hamburgensi sepultus est.

ANNOTATIO.

Vocatur hic ab Alberto Abbate Stadensi in Chronico suo, in quo Monachum fuisse asserit, quartus huius nominis; quod vel sua negligentia, aut certè librariorum incuria, factum putamus. Benedictus enim IIII. Romæ in pace quieuit: hic vero Hamburgi, vt referunt cum eo Platina, Panuinus, & alij Germanici Scriptores.

ALBERTVS.

Albertus Attellanus (siue vt nunc dicimus Auersanus) postquam in schismate contra Paschalem II. menses 4. sedisset; à militibus ipsius captus coactus abdicauit A. C. 1101. Ind. 9. & in Monasterio Sancti Laurentij, eiusdem Ciuitatis Auersæ Congregationis Cluniacensis relegatus, ibidem Monachus diem clausit: *Auctores citati.*

MAGINVLPHVS.

MAGINVLPHVS Romanus, contra Paschalem II. in schismate creatus A. C. 1102. Ind. 10. post aliquot menses ab ipsius Pontificis fidelibus detentus, ac Pontificatu abdicare coactus, & in Monasterio Cauensi Congregationis Cluniacēsis Monachali habitu indutus non longè post animi dolore moriens, periculoso schismati finem posuit. *Panuinus in Epitome, & Chronico, & alij nonnulli.*

GREGORIVS VIII.

GREGORIVS VIII. Burdinus antea vocatus, sed qui in assumptione Archiepiscopatus Bracarensis in Hispania, Mauritij sibi nomen imposuit; natione Gallus (non autem Hispanus, vt perperam volunt, Panuinus, & alij) patria Lemouicensis, in Schismate contra Gelasium II. ab Imp. Hemico. V. creatus A. C. 1118. Ind. 11. mense Aprilis; Quarto Pontificatus sui anno Christi, 1121. Ind. 14. abdicare coactus, in Turri Casinensis Cœnobij primum à Calisto II. inclusus, deinde in Monasterro Cauensi Sanctæ Trinitatis Congregationis Cluniacensis, ab Honorio III. relegatus, ibidem in Monastico habitu, vsque ad tempora Eugenij Papæ III. superuixit. *Rodericus Toletanus de rebus Hispaniæ lib. 6. cap. 28. Platina in vita Calisti II. Papæ. F. Onufrius Panuinus in Chronico, & Epitome Pontificum Romanorum, & alij infiniti.*

De

De S. R. E. Cardinalibus Ordinis S. Benedicti, Nigrorum, qui tanquam *Cardines Orbis Terræ.* 1. *Reg.* 2. Ad sanctam Ecclesiam sustentandam assumpti sunt. *Cap. VII.*

SECVNDVS Ordo Spiritualium, qui ad dexterã S.P. N.Benedicti depictus conspicitur, est S.R.E.Cardinalium, quorum numerus ab Historicis probatæ fidei ab ipso S. P. Benedicto, aduſque Concilium Constantiense dicitur fuisse 184. quibus si adiungantur alij quatuordecim, à tempore dicti Concilij ad hæc vsque nostra tempora creati, omnino resurget numerus à Genebrardo lib.3.Chronol.proditus, Cardinalium videlicet ferè ducentorum. Qui numerus non rectè à nonnullis intellectus, errorem illum absurdum peperit, qui in scriptis eorum reperitur de duobus millibus Cardinalium Ordinis S.Benedicti, vt videre est apud Bugianum nostrum, colloquio vltimo in fine hist. Monasticæ; & in plerisque picturis Monasteriorum huius Congregationis Casinensis per Italiam, necnon & alijs Historicis non paruæ auctoritatis, qui inconsiderate nimis, & nulla temporum discussione habita, Bugiano & huiusmodi apocryphis scripturis, fidem, plus æquo, præbuerunt. Errorem vero prædictum natum arbitrarer potius Calcographorum negligentia quam Scriptorum, qui illum reliquerunt, vitio, si numerus duorum Millium, ad plenum, & sine numeri nota, adscriptus nõ esset, facile enim est nota Arithmetica.0. quam nullam, siue Zero, nuncupant, adiecta, ex 200. 2000. facere. Non plures vero fuisse quam ducentos testantur Trittemius noster de vir.ill.Ord.S.Ben.lib.1.c.5. & lib.4.c.21.& in libro de Ruina nostri Ordinis, & alibi sæpius, M. Antonius Sabellicus, Enneadis 8.lib. 2.Raphael Volaterranus, Anthropologiæ, lib.20. Gilbertus Genebrardus Chronol. lib.3. in S.Ioanne, I. Papa; Hieronymus Plata de bono stat.relig.lib.2.c.29.Gonsaluus Illescas in hist.Põtif.& alii plurimi Neotherici.Quod ipsum ratione etiam probatur, nam si R.P.F. Onuphrii Panuini Veronensis quam de S. R. E. Cardinalibus historiam scripsit, diligenter examinemus, singulorumque Pontificum Ordinationes, & nomina Cardinalium, qui ab ipsis creati sunt, in

vnum

vnum conferamus, Monachisque, cæteros omnes, cuiuscumque status,uel professionis fuerint,connumeremus, dubio procul inueniemus omnes sic collatos numerum millesimum sexcentesimũ aut saltem septingentesimum non attingere. Quod si simul omnes à S. Petro,ad Clementem VIII. numerum 1700. non attingunt, solos Monachus Benedictinos duo millia perficere asseuerabimus? Turpissimæ igitur laudis mendacio acquisitæ notam cupientes effugere, numerum minorem ducentorum uidelicet Cardinalium, tanquam uerisimiliorem secuti sumus,quem etsi omnino non attigimus, exẽplariorum & librorum copia destituti, ad metam tamen quam proxime peruenimus, aliisq; occasionẽ dedimus reliquos perquirendi, qui à nobis non uoluntate, sed necessitate relicti sunt.

Cardinales incertæ quodammodo creationis. Cap. VIII.

DOMNVS Arator, Italus, Monachus cuiusdam Monasterii,Ordinis (ut arbitror) S.Benedicti,Congregationis primæ, quæ Casinensis, siue Benedictina appellata est: deinde Subdiaconus, postea S.R.E. Diaconus Cardinalis;uir doctissimus,& Poeta Laureatus, Claruit paulò post tempora S.P.N.Benedicti,ab anno 544.ad 560.uel amplius.Scripsit omnium primus elegãtissimo carmine, Epistolas duas,& Actus Apostolorum lib. 2. excusos Basileę in 4.anno ... cum reliquis ueterum poetarum operibus: & ibi item in 8. Lugduni in 16. Parisiis in folio.

ANNOTATIO.

Aratoris Monachatus in bibliotheca chronologica Philosophorum, his explicatur uerbis: Arator Italus Monachus,deinde Subdiaconus Romæ; scripsit carmine in Actis Apostolorum,&c. *Dedicauit autẽ hunc suum Librum, Trittemio teste de script. eccles. cuidam Floriano Abbati, quem arbitror Abbatem eius fuisse, ordinisque Diui Benedicti,quod passim etiam ipso S.Benedicto uiuente, Monasteria tam in Italia,quam Gallia,& Sicilia,sub eius magisterijs instituebantur: vt clarum sit & manifestum,Sanctorum Mauri, Placidi, & Aurelij Cassiodori Abbatum,& aliorum illius temporis,uitas legentibus. Cardinalem fuisse Subdiaconum testatur Trittemius, loco citato: Diaconum uero, Supplementum Chronichorum lib.9. & Marcus Guazzus in sua historia uulgari. Ex ratione temporum creatum putarem, à Vigilio Papa, uel certẽ, ab eius successore Pelagio.*

S. GRE-

S. GREGORIVS, Anicius, Frangipanis, Gordiani Senatoris filius, Romanus, Monachus, & Abbas Sancti Andreæ Romæ, ordinis S.Benedicti, Congregationis primæ Benedictinæ, seu Casinensis, S.R.E. Archidiaconus Cardinalis,& Apocrisarius ad Mauricium Imperatorem, à Pelagio II. Papa factus; anno Christi 582. Post Gregorius Papa, huius nominis primus. *Trittemius lib.4. cap. 22. Huius creationem alij ut Panuinus in Epitome, ad Pelagium II. alij, ut Sigonius de regno Italiæ lib. 1. ad Benedictum I. referunt.*

S. PETRVS, Romanus, Monachus S. Andreę Romæ. Ord.S. Ben.Congreg. primæ Casinensis, S.R.E. Diaconus Cardinalis, à S. Gregorio PP. factus anno Domini..... Obijt anno 605. in ipso Anniuersario S. Gregorij Papæ, die 12. Martij. *Petrus Bugianus in hist. Monast.& alij recentiores.*

S. BONIFACIVS Ioannis Medici filius, Valerienſis, Marsus, Monachus Monasterij S. Sebastiani in urbe Roma, Congregationis primæ Benedictinæ, S. R. E. Presbyter Cardinalis: postea Bonifacius Papa IIII. *Panuinus in utroque chronico, de Cardinalatu: Trittemius lib.4.cap.3.de Monachatu.*

S. ADEODATVS, Iouiani filius, Romanus, Monachus Monasterii Sancti Erasmi in Cœlio Monte, S.R.E. Presbyter Cardinalis, & post modum Pontifex Romanus creatus est. *Panuinus in utroque chronico.*

S. AGATHO, Pannonij filius, Siculus, Panhormitanus, Monachus S. Hermetis Panhormi, Ord. S.Bened. Cregregationis Siculæ, quæ à S. Placido Abbate & martyre instituta est, S. R. E. Presbyter Cardinalis: postea Papa. *Panuinus in Epitome.*

S. GREGORIVS, Marcelli filius, natione Italus, patria Romanus, Monachus Ord.S.Bened. Congregationis primæ Casinensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, à Papa Constantino factus: demum Papa Gregorius huius nominis secundus. *Panuinus in epito. de Cardinalatu, de eius Monachismo egimus in tractatu de Summis Pontificibus.*

S. ZACHARIAS, Polichronij filius, Græcus, Monachus, Ord. S.Ben. Cong.primę Casin. ac S. R. E. Presbyter Cardinalis, postea Papa. *Panuinus in chron. Pont. Roman. & nos item Monachum fuisse ostendimus in tractatu Summorum Pontificum.*

S. STEPHANVS, Constantini filius, Romanus, Monachus Casinensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis à Zacharia Papa factus, postremo Papa Stephanus III. dictus II. *Panuinus in epitomis, & Alphonsus*

phonsus Ciacon de perp. eccles. Pontif. MS. de Cardinalatu: nos de Monachatu egimus in Pontificibus.

D. ANASTASIVS Monachus Monasterij Casinensis,& S.R.E. Cardinalis Bibliothecarius, creatus (in quantum colligere licet) à Stephano Papa III. dicto II. Floruit anno Domini 754. scripsit nonnulla inter quæ vidi.

Historiam de Translatione partis Reliquiarum S.P.N.Benedicti, & sororis eius Scholasticæ, tali Exordio, Beatissimus Pater Benedictus, lib. 1. Hæc est Casini, & apud me, MS.

ANNOTATIO.

Archiuia Montis Casini, Monachum illius Monasterij fuisse confirmant, Cardinalem vero, coniectura ducimur uerborum illorum, S. R. E. Bibliothecarij, *quæ in principio Libri sui leguntur: non enim illo tempore ad illud officium assumebantur, nisi qui S.R.E.Cardinales forent.*

D. PHILIPPVS, natione Italus, patria Romanus, Monachus & Abbas S. Viti Romæ, Ord.S.Ben. Cong. 1. Cas.& S.R.E. Presbyter Cardinalis: demumque in schismate contra Constantinum II.Papa à nonnullis Clericis, & Laicis creatus. *Panuinus in vtroque Chronico, & Epitome, de Cardinalatu, & Monachatu.*

S. STEPHANVS, Olibrij filius, natione Siculus, patria Siracusanus, Monachus, & Abbas S.Chrisogoni Romæ, Ordinis S.Benedicti Congregationis primæ, quę Casinensis appellata est, ac S.R.E. Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Ceciliæ à Paulo Papa factus: demum Papa Stephanus IIII. dictus III.

ANNOTATIO.

Creatus refertur à Platina in eius vita, & Trittemio lib.4.c.6.& 24. à Zacharia Papa; à Panuino vero in vtroque Epitome à Paulo. Et certè inrerum tanta ambiguitate, quem sequendum dum hæsitaremus Panuini tandem opinio prævaluit, arbitramur enim Platinam, eiusq; sequacem Trittemium ex æquiuocatione nominis Stephani, vnum pro altero accepisse; maxime cum vterque à diuersis tertius huius nominis uocitetur, ea ratione, quod Stephanus secundus qui tertio Pontificatus sui die mortem obijt, à quibusdam inter Pontifices numeretur, ab alijs uero minime: cuius sententiæ cum essent Platina & Trittemius hunc Stephanum IIII. quem ipsi III. nominant à Zacharia Papa creatum putarunt. Panuini partes tuetur, & Alphonsus Ciacon de perpetuo ecclesiæ Pontificatu. MS.

S. PASCHALIS, Maximi filius, Romanus, familia Bonosa, Monachus, & Abbas S. Stephani, iuxta Sanctum Petrum Romæ,

Ord.S.Ben.Cong.1.Casinen.ac S.R.E.Presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis, à Leone Papa III. factus: postea Papa Paschalis huius nominis primus. *Panuinus in utroque Chronico, & Epitome.*

S. Gregorius, Ioannis filius, Romanus, Monachus Fossenouæ, iuxta Taracinam Campaniæ (in quo Monasterio postea S. Thomas Aquinas obijt) Ord.S.Ben. Cong.1.Cas.ac.S.R.E.Presbyter Cardinalis, tituli S.Marci, à Leone Papa III. factus: postremo Papa Gregorius IIII. *Platina in eius uita, & Panuinus in utroque Chronico & Epitome, Cardinalem fuisse probant, nos uero Monachum in tractatu de Summis Pontificibus.*

D. Anastasius, Romanus, Monachus & Abbas Ordinis S. Benedicti Cong. Specuensis. S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S.Marcelli, & Bibliothecarius, à Gregorio Papa IIII. creatus: postmodum anno Domini 850. in Synodo Romana, a Leone Papa IIII. priuatus est, quod ecclesiam suam contra canonum decreta, per annos quinque deseruisset. Cum esset vir doctissimus, plura ingenij sui Monimenta reliquit, inter quæ

Continuationem Historiæ Pontificalis Damasi Papæ ab eius obitu, vsque ad Adrianum Papam II.

Transtulit item e græco in latinum sermonem, Vitas Sanctorum, Ioannis eleemosinarij, Demetrij martyris, & aliorum Patrum. Vnam Dionysij hierarchiam: septimam synodum, & alia plura.

Annotatio.

Platina in uita S. Leonis Papæ IIII. agit de Cardinalatu, Panuinus in Chronico Ecclesiastico de Monachatu, & officio Bibliothecarij: Et quamuis Platina nihil de utroque agat, ex coniectura tamen eundem esse cum Anastasio à Leone 4. priuato, omnino putamus, nam ratio temporum non sinit esse diuersos. Meliora proferentibus libenter sententiam commutabimus.

B. Hvmvlarivs Portunatus, Germanus, Monachus Luxouiensis in Burgundia Ord. S. Ben. sub Congregatione S. Mauri, & Archiepiscopus Treuirensis, S. R. E. Cardinalis à Gregorio Papa IIII. factus anno Domini 829. Obijt anno 835.

Annotatio.

Trittemius de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 82. & libro de script. eccles. ubi de eius Cardinalatu agit dicit obijsse anno Domini 813. sub Ludouico Imperatore; sed cum eo anno Ludouicus, nondum esset Imperator patre suo Carolo Magno adhuc uiuente, manifestum est mendum in impressione latere, maximè cum lib. 2. c. 43. de uir. ill. Ord. S. Bened. sententiam suam

suam retractans, anno 830. claruiße, non autem obiiße, refert, quem sequitur, & Franciscus Belforestius in Cosmographia sua, ratioque temporum id iudicat, mißus enim fuit legatus Constantinopolin à Ludouico Pio Imp. ad Michaelem cognomento Thraulum, qui anno 820. imperare cæpit. Fortaße ex librariorum incuria in Trittemio pro 33. quo anno obiiße à nonnullis memoratur, 13. adiunctum est, quod facilis sit lapsus unius numeri in alium. Errorem Trittemij sequitur Bugianus noster colloquio quarto. De nominis sui Hamularij.

S. Leo, Rodulphi filius, Romanus, Monachus Sanctorum Siluestri, & Martini Romæ, Ord. S. Ben. Cong. 1. Caſ. & S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli quatuor Coronatorum, à Sergio Papa II. factus; postea Papa Leo IIII. *Platina in eius uita, & Panuinus in Epitomis de Cardinalatu, in Chronicis autem, cum Martino Polono lib. 4. de Monachatu item.*

D. Ioannes Rampoaldi filius, Romanus, Monachus Monasterij S. Benedicti Tiburti, Congregationis primæ Benedictinę: S. R. E. Diaconus Cardinalis: postea Ioannes Papa IX. *Panuinus in vtroque Chronico.*

D. Theodaldvs, Monachus cœnobij Casinensis, S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanus, à Ioanne Papa, XVI. anno Domini 995. factus: *F. Alphonsus Ciacon de perpetuo ecclesiæ Pontificatu nondum tamen excuso.*

D. Ioannes, Gregorij filius, & Benedicti Papæ VII. Frater, Romanus, ex Comitibus Tusculanis, Monachus S. Anastasij Romæ, S. R. E. Episcopus Cardinalis Portuensis: postmodum Ioannes Papa XIX. *Cum in tractatu de Summis Pontificibus ex Plata, & alijs demonstrauerimus hunc ex Monacho Pontificem creatum, ad eum locum Lectorem remittemus.*

Cardinales à Leone Papa Nono creati, id est à certo Pontifice. Cap. IX.

Dom. Hildebrandvs, Bonicij filius, natione Tuscus, patria Soänensis, ex nobilissima familia Comitum Pitigliani & Soäniæ, olim Monachus, & Prior Clauſtralis Monasterij Cluniacensis prope Matisconem in Burgundia, quod cœnobium caput erat illius Congregationis, Cluniacensis nuncupatæ: & postea Abbas S. Pauli extra Vrbem, uia Ostiensi, Ordinis S.

Benedicti, Congr. Cluniacensis: primum S.R.E. Subdiaconus Cardinalis, & Oeconomus, anno Domini 1049. à Leone Papa IX. deinde Archidiaconus Cardinalis tituli 1059. Sabbato IIII. temporũ, mense Martio, creatus: postremo Papa, Sanctus Gregorius, huius nominis septimus. *Trittemius lib.4.c.25. Panuinus in vtroque Epitome, & Chronico.*

S. DONATVS Humbertus, alias Vbertus, Francus Gallus, Monachus Tullensis in Leucis, Ordinis S. Bened. Congregationis Cluniacensis primus Archiepiscopus ad verbum Dei prædicandum Siculis factus. S. R. E. Episcopus Cardinalis Syluæ Candidæ: alias Sanctarum Virginum Rufinæ, & secundæ. *Panuinus in utroque Epitome, & Trittemius lib.4.c.34. & lib 2. c.89.*

D. IOANNES Mincius, Guidonis filius, Romanus, ex Comitibus Tusculanis, Monachus Monasterij S. Anastasij Romæ, Congregationis Specuensis, siue Benedictinæ primæ; & S.R.E. Episcopus Cardinalis Veliternus: post Benedictus IX. dictus X. Antipapa. *Theodoricus Bugianus, Illescas, & alij.*

D. STEPHANVS, Monachus, & Abbas, Sanctorum Andreæ & Gregorii, in cliuo Scauri de Vrbe; Ordinis S. Ben. Cong. 1. Cas. S.R.E. Presbyter Cardinalis. *Panuinus in utroque Epitome.*

D. MAINARDVS, Campanus Monachus Monasterii Casinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis: deinde ab Alexandro Papa II. Episcopus Card. Candidæ Syluæ, factus. *Panuinus in utroque Epitome. Leo Ostiensis in Chron. Cas. lib.3.c.8.*

D. STEPHANVS alter, Monachus Monasterii Casinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis. *Panuinus in utroque Epitome.*

D. DAVFERIVS, qui & Desiderius, Beneuentani Principis filius, Beneuentanus, Samnis, Monachus Sanctæ Trinitatis Cauæ, Ordinis S. Benedicti: S.R.E. Diaconus Cardinalis primum à Leone Papa IX. deinde à Nicolao Papa II. anno 1059. Sabbato IIII. temporum, mense Martio, Presbyter Cardinalis, tituli Sanctæ Ceciliæ, & Abbas Casinensis consecratus: postremo Papa. B. Victor. III. *Leo ostiensis lib.3.c.12. & Panuinus in utroque Epitome.*

VICTOR PAPA II.

D. FRIDERICVS, Gothelonis Lotharingiæ Ducis filius, Lotharingus, Gallus, Monachus, & Abbas Monasterii Casinensis, paulò ante electus, S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Chrysogoni creatus, Abbasque Casinensis consecratus est in Natiuitate S. Ioannis, anno Domini 1057. Sabbato IIII. temporum Pentecostes

Florentiæ

Florentiæ in Tuscia: ac demum Papa S. Stephanus X. dictus IX. *Leo Ostiensis lib. 2. cap. 97. Panuinus in vtroque Epitome, & alij nonnulli.*

STEPHANVS X. DICTVS IX. PAPA.

S. PETRVS de Honestis cognomento Damianus & Peccator nobilis Rauēnas, Monachus Monasterij S. Andreæ Eremi de Auellana, Ord. S. Ben. Cong. Columbę S. R. E. Episcopus Card. Ostiensis, creatus anno Domini 1058. mense Martio Sabbato quatuor temporum Quadragesimæ. Qui tandem Cardinalitia dignitate abdicata anno 1072. ad Monasterium suum redijt: obijtque Fauentiæ in cœnobio S. Mariæ, quod ipse cum quinque alijs construxerat, anno 1080. die. 22. Februarij.

ANNOTATIO AD PETRVM DAMIANVM.

Inter professores Regulæ Diui Augustini recensetur hic noster Damianus a Volaterrano lib. 21. Anthropologiæ, & nonnullis alijs. Falli autem ex multis demonstramus. Et primum Leo Ostiensis lib. 2. cap. 102. ex Eremo ad honorem Cardinalicium assumptum refert, sic inquiens, Quod cum Petrus Damianus vir valde Religiosus, quem eo tempore Stephanus Papa ab Eremo extractum in Hostiensi Ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, una cum Cardinalitus resistere, ac reclamare cæpit. *&c. Confirmat Bertoldus Constantiensis in appendice ad Herm. contract. ad annum 1066. his verbis.* His temporibus Venerabilis Petrus Damiani, ex Heremita Cardinalis Episcopus multa conscripsit, &c. *Nullos autem Eremitas, eo tempore maximè, Regulam Diui Augustini obseruasse ex historijs manifestum est. Sub Diui vero Benedicti Regula multos huius professionis militasse, auctores sunt Petrus Diac. lib. de Sant. Mont. Cas. cap. 4. in vita S. Martini Eremitæ Montis Marsici. Ioannes Dabranius lib. 6. hist. Boiemicæ in vita SS. Quinque Monachorum Erimitarum Broumouiensium, Martinus Cromerus in Hist. Polonica, de eisdem agens, & alij Polonici scriptores. Eremitæ vero nomen ideo habuit Damianus, quod, vt in eius vita legitur, refertque Augustinus Florent. parte 2. hist. Camald. lib. 5. cap. 7. Monachi Monasterij S. Andreæ de Auellana, quod nunc S. Crucis titulum gerit, tunc temporis bini, ac bini, diuisis in cellulis commanebant, psalmodiæ, Orationi, lectioni, abstinentiæ, obedientiæ, aliisque huiusmodi pietatis operibus, religiosisq; officijs, operam dantes. Monachum autem fuisse probant & Abbatem, cum eius uita, per Hieronymum Rubeum lib. 5. hist. Rauen. quæ est apud Mosandrum Tomo 7. Surij: tum etiam idem Augustinus lib. citato a cap. 6. ad 15. & Iacobus Philippus in suppl. Chron. lib. 12. sic dicens:* Petrus

Damianus ex Monacho, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Episcopus, in diuinis scripturis Doctor eruditissimus, his temporibus eas ob res magno in precio habitus est: *Honorius item de script. Eccles. Panuinus in Chron. Pont. Rom. & alij. Regulæ vero Diui Benedicti professorem referunt, Trittemius lib. 2. cap. 93. & lib. 4. cap. 35. de vir. ill. Ord. S. Ben. libro item de scriptor. Eccles. & in Chronico Hirsaugiæ. Panuinus in Epitome in folio, cum dicit*, Petrus Damiani Monachus Casinensis, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Cardinalis Ostiensis. *Monachus autem Casinensis dicitur, quod in cœnobijs illis uitam Monasticam duxerit, quæ Casinensi Monasterio subijciebantur. Addam, vt cæteros recentiores omittam, & ipsius Damiani testimonium in sermone de S. Ben. vbi S. Benedictum magistrum & Patrem suum vocat, quem reperire licet apud Mosandrum Tomo 7. Surij die 21. Martij, quod tale est:* Cui vero sic specialiter totus Euangelicæ lectionis excursus assignari potest, quemadmodum Patri, & Magistro nostro Beato Benedicto? *Item in Epistola ad quendam Petrum Abbatem, quæ est in Appendice Margarini de la Bigue, ad Bibliothecam Sanctorum Patrum, clarius loquens, Sic inquit statim in principio:* Succensetis enim, ac nos conquerentes arguitis, quia non debuimus vestros Monachos, contra Beati Patris nostri Benedicti præcepta Suscipere: *& infra postquàm verba P. N. Benedicti attulit*, Hæc, *inquit*, itaque nostra non sunt, sed eiusdem Patris nostri uerba, *&c. In alijs etiam Epistolis quæ ibidem reperiuntur, sæpe sæpius idem repetit, S. Benedictum Patrem & Magistrum appellans. Ad extremum Monasteria in quibus habitauit ipse Damianus Monachus, & nondum Abbas, vt S. Vincentij, Casini, & Pomposæ, clare demonstrant Diui Benedicti alumnum; illudque, quod ipsi Monachi de Auellana, ad hæc vsque nostra tempora, quibus Congregationi Camaldulensi vniti sunt, a primaria ipsius cœnobij sui institutione Regulam Diui P. N. Benedicti obseruasse, se ingenue profitentur. Cognomentum Damiani illi fuit, non, vt ait Panuinus, quod Damiani filius fuerit, sed quod cum a Fratre suo, Damiano nomine, Fauentiam primum, Parmam deinde missus fuisset, vt litteris operam daret, in sui grati animi testimonium, nomen Damiani ab eius nomine sic vsurpauit, ut se Petrum Damiani semper subscriberet, ut rectè docet idem Augustinus cap. 6. de Ordine Columbæ (sic dicto propter Ludulphi primi Auellanæ institutoris incredibilem Columbæ simplicitatem) agunt ipse Augustinus cap. 5. & Beneuenutus Imolensis in comment. paradysi Danthis. cap. 21. Putatur hic a Trittemio lib. 2. cap. 93. Monachus Viuarensis: a Volaterrano Sanctæ Mariæ Rauennatis; & a Bugiano S. Mariæ Fauentiæ: qui tres*

sic

sic conciliari possunt, vt dicamus cum Trittemio post professionem emissam in Monasterio S. Andreæ de Auellana, aliquo tempore in cœnobio Vinarienſi habitasse; exercuisse autem sese ante professionem per 40. dies, ad Eremitici rigoris similitudinem in cœnobio S. Mariæ Rauennatis, periculum facturus, utrum Monasticæ vitæ laborem laturus esset, ut asserit Augustinus cap. 6. & Danthes Aligerius, his verbis,

In quel luogo fui io Pietro Damiano
E Pietro peccator fui nella casa
Di nostra Donna in sul litto Adriano. *&c.*

Mortuum tandem in cœnobio S. Mariæ de Fauentia anno 1080. die octauo calendas Martij, vt & Augustinus lib. 5. cap. 14. & Rubeus in eius vita rectissime prodiderunt. Bertoldus tamen Constantiensis in append. ad Contractum, anno Domini 1072. mortuum refert sic inquiens: M. LXXII. Petrus Damiani piæ memoriæ Cardinalis Episcopus, iamdudum mundo crucifixus, migrauit ad Dominum, VIII. calen. Martij. *Quæ uerba sic exponenda mihi uidentur, ut sensus sit, non de morte temporali, sed de morte officij & dignitatis, quando scilicet Cardinalicio honore repulso, Mundo & eius pompis mortuus est: nam quod post annum 1072. uixerit probant legationes eius quas obiuit tempore Gregorij Papæ VII. qui non nisi anno 1073. Pontifex renunciatus est. Illud autem quod dicit Trittemius Damianum Magni Gregorij Antistitis exemplo, amore quietis & solitudinis Episcopatum dimisisse, & ad cœnobium suum reuersum fuisse, non ita venit intelligendum, ut putemus Trittemium de S. Gregorio Magno Papa loqui, sed de Gregorio Episcopo Nazianzeno, qui eodem spiritu, quo Damianus, incensus, Episcopatu abdicato, ad solitariam uitam redierat.*

D. Albericvs, Labicanus, Monachus cœnobij Casinensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis. Obijt Romæ, & sepultus est iuxta Ecclesiam SS. quatuor Coronatorum.

Annotatio.

Panuinus in Epitome in folio a Stephano Papa IX. creatum dicit; in Epitome autem in quarto, ab Alexandro Papa II. Nos priorem sequimur opinionem, quod hanc eius etiam promotionem ad Stephanum retulerint Petrus Bugianus diario, siue colloquio 4. hist. mon. & Scipio Mazella in descriptione regni Neapolitani. De hoc Alberico agit Chron. Cas. lib. 3. c. 33. De eius sepultura uero Petrus Diac. de uir. ill. Mont. Cas. c. 21.

D. Petrvs Romanus Monachus Monasterij Casinensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, & Cancellarius. Post a Nicolao Papa II. ex Diacono Presbyter Cardinalis T. Sancti Chrysogoni.

ANNOTATIO.

Huius creationem hic annotant idem Scipio Mazella loco citato, & Panuinus in Epitome in folio: in Epitome uero in quarto eius non meminit: uidetur tamen mihi is esse, quem in eodem Epitome in quarto, sub Alexandro II. & Gregorio VII. Præpositum Sancti Georgij in Lateranensi patriarchio nominat.

NICOLAVS PAPA II.

D. ODERISIVS, Oderisij Comitis Marsorum filius, Monachus Monasterij Casinensis, & Abbas: S.R.E.Diaconus Cardinalis, creatus anno Domini 1059. mense Martio, Sabbato iiij. Temporum: postea ab Vrbano Papa II. Presbyter Cardinalis factus. Obijt Nonas Decembris Anno Christi 1105. sepultus in Monte Casino. *Leo Ostiens. in Chron. Cas. lib. 3. cap. 14. & sequentibus: & Panuinus in utroque Epitome.*

ALEXANDER PAPA II.

D. GERARDVS, Germanus, Ratisponensis, Monachus, & Prior maior cœnobij Cluniacensis in Burgundia; S.R.E.Episcopus Cardinalis Ostiensis, anno Christi 1072. creatus. Migrauit an. 1077. die quinto Decembris.

ANNOTATIO.

Bertoldus Constantiensis in append. ad Contractum, creatum refert anno 1072. Sic dicens: Petrus Damiani piæ memoriæ Card.Episcopus, iamdudum mundo crucifixus migrauit ad Dominum, octauo calendas Martii, cui Domnus Geroldus, reuera Monachus, scientia scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, in Episcopatū Succesſit. *Auctor tamen Chronici Cluniacensis huic suæ opinioni refragari uidetur, a Gregorio enim Papa VII. promotum ait, cuius uerba sūt:* Geraldus uerò de quo superius memorauimus, fuit Ratisponensis ciuitatis Scholasticus, & rogatus a Sancto Vuldarico, adierunt Romanam Vrbem: obtenta uero suorum absolutione peccatorum, exploratores uirtutum ad Sanctum deuenerunt Hugonem Cluniaci, & subipso in Cluniacensi Monasterio secundam regenerationem susceperunt. Iste Geraldus erat sapientia, consilio, ac morum grauitate insigniter præpollens: nam post multos uero annos, maior Prior constitutus est. Sed postmodum iubente Apostolicæ sedis Præsule, Gregorio septimo, Hostiensis Ecclesiæ Pontificatu sublimatur: cuius curam cum summa rexit solicitudine, creditæque sibi negociationis talentum Domino suo cum duplicata reportans usura, meruit audire, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium

dium Domini tui. *Hæc ille, qui tamen errare conuincitur, ut colligere licet ex Epistola eiusdem Gregorij Papæ VII. ad eumdem Giraldum scripta, Anno sui Pontificatus primo qui erat a Natiuitate Christi* 1073. *data Romæ secundo Cal. Maii, octaui uidelicet ab eius creatione die, in qua conqueritur Pontifex, quod commonitus (ut puto ab Alexandro II.) ut ad Curiam reuerteretur, non solum reuersus non fuerit, uerumetiam nec causas, cur non rediret, non indicauerit, sic enim habet lib.* 1. *Registri sui, Epist.* 6.

Gregorius in Romanum Pontificem electus, Giraldo Episcopo Ostiensi, & Raimbaldo Subdiacono, in legatione Galliæ constitutis, Salutem in Domino Iesu Christo.

Cæterum de mora uestræ reuersionis ualde miramur, præsertim cum iam redire commoniti, in tanta uestri reditus expectatione, nec morarum quidem nobis causas indicastis: *&c. Ex quibus uerbis clarissime patet Gerardum antequam Gregorius Pontifex renunciaretur, iam Ostiensem Cardinalem fuisse, legationemque Apostolicam in Galliarum partibus egisse: & ideo Bertholdum sequentes, ab Alexandro creatum diximus, sicut etiam & Panuinus in utroque Epitome, quamuis de eius Monachatu nihil agat. Obiit anno Domini* 1077. *quinto Decembris ut annotat Bertoldus Constant. ad eundem annum, sic inquiens:* Geraldus uenerabilis Ostiensis Episcopus, de quo supra commemorauimus, iamdudum seculo uiuus, mundo crucifixus, de huius uitæ ergastulo liberatus est, IX. Idus Decembris.

D. Bernardvs, Gallus, Monachus & Abbas Sancti Victoris Massiliæ, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis, Migrauit Anno Christi 1079. die 20. Iulii.

Annotatio.

Panuinus in Epitome in quarto, huius creationis meminit; in epit. autem in folio minime. Fuit autem uir exemplis singularis, cuius mors e Bertoldo Constantiensi sic annotatur ad annum 1079. In hac æstate Venerabilis Abbas Massilienſis Bernardus, uir plenus charitate, requieuit in pace XIII. Calendas Augusti. *De eius Legatione ad Henricum Imp. agit Platina in uita S. Gregorii Papæ VII. Trittemius de uir. ill. Ord. S. Ben. lib.* 4. *cap.* 41. *eius etiam meminit. Extat ad eundem Epistola una Gregorii VII. quæ est* 23. *lib.* 4.

D. Ricardvs, Gallus Monachus Cluniacensis, Ordinis S. Ben. & præfati Bernardi Frater, S.R.E. Presbyter Cardinalis: ac deinde Fratre suo Bernardo defuncto, Abbas S. Victoris Massiliæ, creatus anno 1080.

Anno-

ANNOTATIO.

Ex utroque Epitome Panuini huius Monachatum,& Cardinalatum hoc loco annotauimus. De ambobus,eiusque legatione in Hispaniã agunt Ioannes Mariana Societatis Iesu de rebus Hispaniæ lib.9.cap.11.& 18. ad annos 1076.& 1091.& Gregorius Papa VII. lib.7.Epist.7.& 8.& lib.9.Epist.6.& 29. quæ scriptæ sunt ad eundem Richardum,& Monachos S. Victoris.

D. ALDEMARIVS Capuanus, ex Clerico Ecclesiæ Capuanæ, Ricardique Principis Capuani Cancellario, Monachus Monasterij Casinensis, & Abbas Sanctorum Stephani & Laurentij, extra muros Romæ, Ord.S.Ben.Congeg.Cluniacensis,S.R.E.Presbyter Cardinalis. *Leo Ostien. in Chron. Cas.lib.3. cap.24.& Panuinus in Epitome in 4.*

D. THEODINVS, Berardi Marsorum Comitis filius, Monachus Monasterij Casinensis, S.R.E. Diaconus, post Archidiaconus. *Leo Ostiens.lib.3. c.24.& Panuinus in vtroque Epitome.*

GREGORIVS PAPA VII.

D. OTHO, de Castillione, Diœcesis Remensis, Gallus, ex Canonico Lateranensi, Monachus Monasterij Cluniacensis in Burgundia,Ord.S.Benedicti: postmodum in cœnobio sanctę Trinitatis Cauæ, eiusdem Ordinis, & Congregationis cum S. Petro Salernitano, quondam magistro suo, ac loci illius Abbate, commoratus; ex quo à Gregorio Papa VII. euocatus, tandē S.R.E.Episcopus Cardinalis Ostiensis:ac postremo Papa. B. Vrbanus, huius nominis secundus, renunciatus est. *Platina in eius uita: & Panuinus in Epitomis: Chroniconq; Cluniacense, MS.*

D. IOANNES, Gallus,Monachus & Abbas Dolensis in Britannia minori, Ordinis S.Ben.Congreg.Cluniacensis.S.R.E.Presbyter Cardinalis, Sanctorum, Silvestri & Martini, tituli Equitij,post factus Archiepiscopus Dolensis. *Panuinus in Epitome in 4.*

D. GEBIZO, Monachus & Abbas Sanctorum Bonifacij, & Alexii in monte Auentino Romæ,Ord. S.Ben.Congreg.primæ Casinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis. *Panuinus in Epitome in 4. & Ciacon de perpet.ecc.pontificatu.*

D. REGINERIVS, Crescentii filius, Tuscus, Bleranus,ex comitatu Galliatæ, ex Canonico Lateranensi, Monachus & Abbas, Sanctorum Laurentii & Stephani, extra muros Vrbis u ia Tiburtina, Ord.S.Ben.Cong. Cluniacensis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Clementis: post Papa, S. Paschalis II.

ANNO-

ANNOTATIO.

Reginerij, Raginarij, siue Raynerij, meminit Panuinus in Epitome in 4. R. P. F. Alphonsus Ciacon de perpetuo eccles. pontif. MS. & Ioannes Mariana Hispanus de reb. hisp. lib. 9. c. 18. ubi de eiusdem ad Hispanias legatione satis fusè agit. Vocatur autem à Panuino, & Mariana, Monachus Cluniacensis, non quod illius cœnobij alumnus fuerit, sed quod eo in Monasterio, Sancti Laurentij scilicet, vitam Monasticam duxerit, quod sub Cluniacensi Congregatione florere noscebatur.

D. IOANNES, Monachus & Abbas Sublacensis, Ordinis S. Benedicti, Congregationis primæ Casinensis, vigesimus secundus Leuita sacri Palatii, tituli S. Mariæ in Dominica. *R. P. F. Alphonsus Ciacon de perpetuo ecclesiæ pontificatu MS. ex archiuio Monasterij Sublacensis.*

VICTOR PAPA III. siue CLEMENS III. ANTIPAPA.

D. THEODORICVS, Monachus & Abbas Farfensis, Ord. S. Ben. Congregationis. 1. Casinensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis: postea Syluester III. Antipapa.

D. NICOLAVS, Monachus & Abbas, Sancti Syluestri Romæ, Ord. S. Bened. Congeg. 1. Cas. S. R. E. Presbyter Cardinalis.

D. NICOLAVS alter; Monachus & Abbas S. Pancratii Romæ, eiusdem & Ordinis & Congregationis, S. R. E. Presbyter Cardinalis.

ANNOTATIO.

Horum trium creationem Panuinus in Epitome in 4. Clementi III. Antipapæ tribuit: in Epitome autem in folio priorem subticens, duos posteriores ab Alexandro Papa II. creatos refert. Scribit tamen Alphonsus, Ciacon in libro suo de perpet. eccles. pontif. MS. omnes tres à Victore Papa III. ad Cardinalatum promotos. Nobis quid definiamus non habentibus, satis fuit Monachos ostendisse, & ex Monachis Cardinales creatos fuisse, si auctoritas nostra interponenda esset, Ciaconis opinionem approbaremus, omittimus tamen, & Lectori diiudicandam relinquimus.

VRBANVS PAPA II.

Creatio Prima Anno Primo sui Pontificatus, Christi 1088.

D. LEO, cognomento Marsicanus, ex Campania ortus, Monachus, & Bibliothecarius Monasterii Casinensis, S. R. E. Episcopus Cardinalis Ostiensis. Obiit sub Paschali Papa II. Vir fuit doctissimus, scripsitque

Chro-

Chronica sacri Monasterii sui Casinensis, lib. 3. qui excusi sunt Venetiis anno 1513. in 4.
Sermones de Natiuitate Domini, & Paschate.
Historiam Peregrinorum, lib. 1.
Vitam S. Mennatis, lib. 1.
Vitam S. Ianuarii Monachi Casinensis, lib. 1.

ANNOTATIO.

Huius creatio diuersè à diuersis ponitur. A Bugiano nostro colloquio quarto Hist. Monasticæ, cui suffragatur Panuinus in Epitome in folio, ab Vrbano Papa II. promotus dicitur: qui tamen Panuinus in Epitome in 4. à Paschali Papa II. creatum reliquit: quem ex hoc falli arbitror, quod cum uno eodemq; ferè tempore duo Monachi Casinenses, eiusdem nominis, Leonis scilicet, ad Cardinalatum promoti sint, quorum primus Episcopus Ostiensis, alter Diaconus Cardinalis, de quibus Petrus Diaconus de uir. ill. Mont. Casini capp. 30. & 31. putauit Panuinus unum eundemq; esse, indeq; natus error ille, qui posteriori suo Epitome insertus est. His cõtradicit Scipio Mazella in descript. regni Neapolitani, qui anno 1087. à Victore Papa III. creatum uult. Nos, Vrbani II. creationem magis approbamus, & ratio est, quod eo uiuente, alius ad Episcopatum Ostiensem, cuius ipse titulum gerebat, promoueri non debuit, quod factum fuisset si Leo à Victore III. promotus crederetur. Paschalis etiam creatio non uidetur ueri similis, eo quia necesse fuisset toto tempore quo sedit Vrbanus II. sedem Ostiensem uacasse, quod nequaquam æstimandum est.

D. AMICVS, Monachus & Abbas, S. Vincentii iuxta Capuam, Ord. S. Ben. Congreg. 1. Casinensis; S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Crucis in Hierusalem. *Alphonsus Ciacon de perpet. eccles. Pontificatu MS.*

D. IOANNES, Crescentii filius, Caietanus, familia, scilicet, & patria, Monachus Monasterii Casinensis, ex Subdiacono, & Vrbani Papæ II. præsignatore, S.R.E. Diaconus Cardinalis, tituli S. Mariæ in Cosmedin, & Cancellarius: ac postea S. Gelasius Papa II. *Chron. Cas. lib. 4. c. 7. & 66. Panuinus in Epitome.*

D. GREGORIVS, Monachus & Abbas, Sublacensis, Ord. S. Ben. Cong. primæ Casinensis: S.R.E. Diaconus Cardinalis. *Panuinus in epit. in 4.*

D. GREGORIVS alter, Monachus & Abbas, Sanctorum Andreæ & Gregorii in cliuo scauri Romæ, eiusdem Ordinis & Congregationis, S.R.E. Diaconus Cardinalis, tituli S. Eustachii. *Panuinus in Epitome in 4.*

PASCA-

PASCHALIS PAPA II.

Creatio prima, ante sextum sui Pontificatus annum.

D. Leo, Monachus Cœnobii Casinensis, S.R.E. Diaconus Cardinalis. Scripsit Registrum Vrbani Papæ. II. & Epistolas plures.

Annotatio.

Ob rationem in Leone Marsicano allatam, Leonis huius creationem hic reposuimus, de quo Petrus Diaconus cap. 31. supracitato, tale fert testimonium. Leo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Casinensis cœnobii Monachus, insignis studio, ac eloquentia, Scripsit ex nomine Vrbani Papæ quamplures Epistolas; fecit & Registrum.

Creatio secunda, anno sexto sui Pontificatus, mense Septembri 1105.

D. Henricvs, Siculus, Monachus, & Decanus, cœnobii Mazarensis, Ordinis S. Bened. Congregationis Siculæ; S. R. E. Diaconus Cardinalis, tituli S. Theodori. *Panuinus in utroque Epitome.*

D. Oderisivs de Sangro, Campanus, Monachus & Præpositus Monasterii Casinensis; S. R. E. Diaconus Cardinalis, tituli Sanctæ Agathæ, post Abbas Casinensis 42. demum à Calisto Papa II. in tertia creatione, Anno 1121. Pontificatus sui tertio, mense Martio, Romæ Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Cyriaci in Thermis creatus est. *Panuinus in utroque Epitome: & Petrus Diac. in Chronic. Cas. lib. 4. c. 44.*

D. Roscimanvs, Campanus, Monachus cœnobij Casinensis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, tituli S. Georgij in velabro. *Panuinus in utroque Epitome: & Chronicon Casinense lib. 4. cap. 44. & 66.*

Creatio tertia, anno octauo sui Pontificatus, 1107.

D. Cvno, Germanus, Eginonis Vrracensis Comitis filius, Monachus & Abbas Eremi Trunciberenger, Ordinis S. Bened. Congregationis Arrosianæ, S. R. E. Episcopus Cardinalis.

Annotatio.

Agnoscitur hic pro Monacho & Abbate Benedictino à Petro Bugiano colloquio secundo hist. Monastice; à Panuino vero Eremita Trunciberenger appellatur, Ordinis Arrosiani: quod ante eum prodiderat Robertus de monte in appendice ad Sigebertum ad ann. 1114. sic de ordine illo loquens: In ciuitate Beluacensi, à Canonicæ Sedis Apostolicæ legato concilium celebratur. Hic est Cono, vnus ex illis Religiosis, qui Eremiticam uitam, apud Truncum Berenger primo duxerunt, & Arrosiani Ordinis Authores extiterunt: qui ordo vsque hodie

floret

floret & crescit. *Hæc Robertus. Erratum est à Bugiano, primo in Cardinalatus titulo, Portuensis scilicet, cum non hic, sed alius nomine Cunradus Monachus Ordinis Cistercensis, eo sit titulo ornatus, hic autem Prænestini: erroris causam Bugiano dedit, quod hic Cuno à nonnullis alijs etiam Cunradus uocitetur. Erratum est & à Panuino qui illum, Cunradum Monachum Cistercensem, Eginonis Comitis Vracensis filium facit, cum Henrici Nigri Bauariæ Ducis filius fuerit, ut ipsemet lib. 2. Princip. Rom. fatetur, & nos cum ad eum ueniemus, demonstrabimus. Erratum est secundo a Bugiano non in annis quibus hic floruit; qui recte ab eo annotantur* 1098. *sed in personis, & temporibus, quibus hæc quæ narrat accidisse refert. Non enim hic Cuno, fraterque eius Bertoldus ijdem sunt, cum Cunone, qui & Cunradus uocatur, & Eginone, Fratribus, Eginonisq; Comitis Vracensis filijs, qui à Bertholdo. 4. Zæringiæ Duce, eorum per matrem Iuditham, Auo, Friderico I. Imperatori, (siue ut uult Bugianus Philippo, sed male) ad eluendam suspicionem affectati Burgundiæ Arelatensis regni, obsides dati sunt circa annum Domini* 1180. *sed longè diuersi, ut ex tribus maxime colligere licet: quorum primum est, quod hi nostri Cuno & Bertholdus ab omnibus appellentur; illi vero Cunradus (siue etiam Cuno sed rarius) & Egino: Secundum quod nostri ab anno* 1090. *ad* 1120. *floruisse & vixisse scribantur, illi autem ab anno* 1170. *ad* 1190. *& amplius: Tertium quod nostros Monachos fuisse constet, illos uero uxores duxisse, quorum primus Comites Friburgenses protulit, secundus Fustebergies propagauit. Schisma quod inter Philippum Imp. & Bertholdum Zeringiæ Ducem fuit anno* 1199. *erroris materiam Bugiano dedisse manifestum est. Et hæc satis.*

Incertæ creationis.

D. Pandvlphvs, Monachus Monasterij Montis Casini: S.R.E. Cardinalis primum a Paschali Papa II. deinde ab Innocentio Papa secundo, post mortem Leonis Cardinalis Episcopi Ostien sis, Episcopus Cardinalis Ostiensis creatus.

Annotatio.

Recensetur hic inter Cardinales a Petro Diacono lib. de uir. ill. Mont. Cas. cap. 25. cum ait; Pandulphus Ostiensis Episcopus, paruulus & ipse in Casino Beato Benedicto oblatus, scripsit sermones de totius anni festiuitatibus. Rythmum quoque in Laudem S. Mariæ composuit, & alia nonnulla quæ in nostras manus nondum venerunt. Fuit vero temporibus, Alexij, Ioannis, Henrici, Lotharijque Imperatorum. *Hæc Petrus. A quo tamen promotus sit, quo tempore, & quando obie-*

obierit, incertum. Si quid uero coniecturari licet, dicerem creatum anno Domini 1131. defunctum autem anno 1134. & in eius locum successisse Drogonem Abbatem Laudunensem. Hunc eundem esse puto cum eo, cui Petrus Diaconus librum suum de uir. ill. Montis Casini dedicauit, sic inquiens: Coactus assiduis tuis imperijs Pandulphe præsul Venerande, &c.

CALISTVS PAPA II.

Creatio prima Cluniaci Anno Christi, 1119. Pontificatus primo.

S. D. PONTIVS, Margulienſis Comitis filius, Gallus, Monachus, & Abbas Monasterij Cluniacensis septimus: S. R. E. Cardinalis. Obijt Cluniaci, An. Domini 1122. die 29. Decembris, ibidem in Ecclesia maiori, iuxta altare S. Martini sepultus.

ANNOTATIO.

Trittemius in Chronico Hirsaugiæ, creatum refert ab Honorio Papa. II. anno 1124. At cum, ut est in Chronico Cluniacensi MS. & Nicolao Vignierio in Chron. Burgundiæ, constet ipsum Pontium mortem obiisse anno 1122. & Honorius II. non ante 1124. Pontifex renunciatus sit, non potuit ab illo creari cum iam duobus ante annis a seculo migrasset. Rectius ergo Chron. Cluniacense qui eius creationem reponit ad annum primum Calisti Papæ II. cum adhuc esset in Monasterio Cluniacensi.

HONORIVS PAPA II.

Creatio prima Anno Christi 1125. Pont. 2. Romæ.

S. D. MATTHAEVS, Gallus Remensis, Monachus primum S. Martini de Campis in ciuitate Parisiensi, Ord. S. Be. 1. Congreg. Cluniacensis; deinde Prior claustralis Monasterii Cluniacensis, sub Petro Mauritio Abbate; postremo S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanus. Obiit Cluniaci, ipso die Natiuitatis Domini miraculis clarus, & in Ecclesia S. Fridiani sepultus est. Eius uitam S. Petrus Mauritius præfatus descripsit. *Chronicon Cluniacense MS. Vitam eius & res gestas require in Martyrologio nostro die 25. Decembris.*

Creatio secunda Anno Christi 1126. Pontificatus sui tertio, Romæ mense Decembri.

D. CONRADVS de Suburra, Benedicti filius, Romanus, Monachus & Abbas S. Rufi Velitrnæ Diæceſis, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis; S. R. E. Episcopus Cardinalis Sabinus, ac postea Anastasius Papa IIII.

ANNOTATIO.

Panuinus in Epitome in quarto, Canonicum Regularem, & Abbatem S. Rufi

S. Rufi Valentinæ Diœcesis in Gallijs fuisse refert, sed quid hac de re sentiamus, diximus in annotationibus ad Anastasium IIII. Papam. Agit de eodem Trittemius lib. 4. cap. 29. sed corrigendus est in nomine, non enim Benedictus uocatus est, sed Conradus; Benedictus autem, nomen Patris eius fuit.

ANACLETVS II. Antipapa.

D. Petrvs, Pisanus, Monachus Monasterij Casinensis, S.R.E. Diaconus Cardinalis, T.S.Georgii in Velabro, anno 1130. Sabbato Sancto Romæ ab Anacleto Papa II. Pontificatus sui primo in Schismate creatus: Receptus postea ab Innocentio Papa II. in numerum Cardinalium S.R.E. *Panuinus in Epitome in quarto.*

D. Rainaldvs Calamentanus, Monachus Monasterii Casinensis; S.R.E. Subdiaconus ab Anacleto II. factus: deinde Abbas Casinensis 45. electus in Schismate contra Rainaldum Etruscum, quarto post mense ab Innocentio Papa II. ab administratione semotus est. *Chronicon Casinense lib. 4. cap. 120. ubi dicitur ab Anacleto II. filio Petri Leonis Subdiaconus ordinatus.*

INNOCENTIVS PAPA II.

Creatio secunda, anno 1134. Pontificatus sui 5. mense Decembri, Pisis,

D. Drogo, Laudunensis, Gallus, Monachus & Abbas S. Ioannis, Laudunensis, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis, S. R. E. Episcopus Cardinalis Ostiensis, & post Episcopus Laudunensis. Scripsit nonnulla opuscula, inter quæ est. De passione Domini, lib. 1. Qui excusus est in Tomo 8. Bibliothecæ SS. Patrum Margarini de la Bigue. Obijt anno 1137. *Trittemius lib. 4. c. 32. Panuinus in Epitome in 4. & Franciscus Belforestus in Cosmographia.*

Creatio quarta. 1138. Pontif. 9. mense Decembri, Laterani Romæ.

D. Albertvs, Beluacensis, Gallus, Monachus cœnobij Cluniacensis; S. R. E. Episcopus Cardinalis Ostiensis, ac Apostolicæ sedis in partibus Hierosolymitanis legatus.

Annotatio.

Vocatur hic à S. Bernardo epistola 219. ad quatuor Episcopos Curiæ, & alibi, & à Panuino in Epitome in 4. Albericus: sed hac in re sequimur auctoritatem Chronici Cluniacensis, MS. in quo Albertus uocatur, cuius verba sunt. Albertus Cluniacensis suo tempore Monachus, deinde Hostiensis Episcopus factus est. Hic scripsit Petro Cluniacensi, & Religiosis, commendans eis suam peregrinationem, de quibus habetur Epistola in 2. libro cap. 18. *Hæc ibi.*

D. Adinalfvs, Monachus & Abbas Monasterij S. Mariæ Farfæ,

fæ, Ordinis S. Ben. Cong. Cluniacensis, S. R. E. Cardinalis. *Alphonsus Ciacon de perpet. eccles. Pontif. MS. ex archiuio Monasterii Farfensis.*

Creatio quinta, 1140. Pontif. 11. mense Decembri, Romæ.

D. RAINALDVS, ex Comitibus Marsorum Campanus, Monachus, & Abbas 47. Monasterij Casinensis; S. R. E. Cardinalis, tituli Sanctorum Marcellini & Petri. Obijt Casini anno 1166. idibus Iulij, ac ibidem ante Capitulum sepultus est. Vt erat doctissimus scripsit inter cætera, quæ vidi,

Vitam S. Seueri Episcopi Casinensis, Lib. 1.
De eodem, Hymnus 1.
De S. Mauro Abbate, Hymnos 3.
De S. Placido Abb. & Mart. Hymnos 3.
} Excusi sũt in Breuiarijs Casinensib. ann. 1568. & 1572.
De Sanctis Benedicto, & Mauro, versus nonnullos.

Panuinus in Epitome, in 4. & Placidus Romanus in supplemento historiali ad Chronicon Casinense, cuius fragmenta potiora apud me reperiuntur MS. & Petrus Diaconus in epistola dedicatoria ad eundem, præfixa lib. 4. Chronici Casinensis: & idem Petrus de uir. ill. cap. 44.

Creatio sexta, 1142. Pontif. 13. mense Decembri, Romæ.

D. IMARVS, Gallus, Monachus primum S. Martini de Cãpis Parisijs, Ordinis S. Ben. Cong. Cluniacensis; demum Abbas Puteanensis, Ordinis, & Cong. eiusdem; ad vltimum S. R. E. Episcopus Cardinalis Tusculanus. Obiit Cluniaci.

ANNOTATIO.

S. Bernardus Abbas epist. 219. supracitata, hunc Ignaratum appellat: Panuinus item in epitome in folio, Omarum: in 4. autem veritatem iam edoctus Ymarum, cuius esse legitimam lectionem, didicimus ex chron. Cluniacensi MS. in quo eius vita, eo qui sequitur ordine describitur. In istis etiam diebus floruit Ymarus Tusculanensis Episcopus. Hic apud S. Martinum de Campis, sub Domno Matthæo tunc temporis Priore, postea verò Venerabili Albanensi Episcopo in iuuenili cõstitutus ętate habitum suscepit Monachalem. Deinde Cluniacũ ducitur, ubi à Pontio Abbate professione, pariterq; benedictione completa Monasterialibus sacramentis arctius implicatur. Inde verò suffragantibus meritis Custos Ordinis efficitur. Abbas postmodũ noui Monasterij Puteanensis ordinatus, ubiq; strenuus rector, pręcipuus Ordinis cultor, suę religionis & sapiẽtię clarissima monimẽta reliquit. Succedente autẽ tẽpore à Domino Innocentio Papa in Patriarchio Lateranẽsi, Cardinalis Pontifex cõsecratur Episcopus, & coadiutor Romani Põtificis, in partẽ solicitudinis aduocatus, Late-

ranensis & Tusculanensis Ecclesiæ titulo decoratur. Sub Domino quoque Lucio Papa legatione fungens, in Angliã transfretauit, vbi vices Apostolicas, manus suas excutiens turpi munere, ad subuertendum iudicium, nullis potuit pecuniis expugnari. Tandem sicut in voto semper habuerat, in sepulchro, videlicet Patrum suorum collocari, et ad ipsos apponi desiderans, ad nos ueniens collegit quicquid habere potuit, & tã in Stagno faciendo, quàm in reliquis beneficiis, quæ conuentui grataнter impendit, amplius quam quadraginte millia solidos deuotus expendit. *Hæc auctor.*

EVGENIVS PAPA III.

D. Nicolavs Breackspere, Anglus Malmesberiensis, ex oppido S. Albani, Bathoniensis Diœcesis, primum Monachus Monasterij S. Albani (una cum Patre suo, qui clericus cum fuisset, in eodem cœnobio uitam ducebat cœnobiticam) Ord. S. Ben. Congregationis Giribennæ; inseruiuit deinde Ecclesiæ S. Iacobi in Melgorio, Magalonensis Diœcesis, in Britannia minori; ex qua in Abbatem S. Rufi prope Valentiã Galliæ electus; postmodum ob singularem doctrinam, & morum Sanctitatem S. R. E. Episcopus Cardinalis Albanus, ac Noruegiæ Legatus, creatus, anno 1146. tandem Adrianus Papa IIII. euasit.

Annotatio.

Trittemius lib. 4. cap. 31. & Panuinus in epitome in folio, Benedictinum agnoscunt. In epitome autem in 4. Canonicus regularis vocatur: de qua re vide annotationes nostras ad Adrianum Papam IIII.

D. Hvgo de Folietto, Gallus, Monachus S. Petri Corbeiensis Galliæ, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis: S. R. E. Cardinalis Presbyter, tituli S.....

Annotatio.

Volaterranus antropologiæ, lib. 21. & Panuinus in epitome in 4. Cardinalem ex Canonico regulari S. Petri Corbeiæ, creatum affirmant. Ex multis tamen Monachum Benedictinum fuisse clarissimum est. Primò ex Monasterij Corbeiensis fundatione a S. Bathilda Regina Franciæ, quòd sub Regula Diui Benedicti fundatum demonstrant Belforestius in annal. Franc. & alij infiniti historici: patetq́, ex multis Sanctis de illo cœnobio ad Episcopatus assumptis, ut S. Ansgarius ad Bremensem, & alij in Episcopis nostris notati, Sanctus item Paschasius Abbas Corbeiensis, qui ab omnibus, ut Trittemio, Sixto Senensi, Baronio, Galesinio, Molano, & alijs, Monachi Ordinis Diui Benedicti appellantur: Vt probaret autem Belforestius omnia tunc temporis Monasteria fuisse Ordinis

nis Diui Benedicti per totam Galliam, in Cosmographia sua, folio 375. numeri primi (bis enim in illo primo uolumine numeri repetuntur) adducit Monasterium S. Quintini Beluacensis, quod fundatum fuit a Sancto Iuone, anno Domini 1067. dicitq; fuisse primum cœnobium et Abbatiam primam Ordinis Canonicorum Regularium in Gallia. Confirmatur & in uita S. Maioli Abbatis apud Surium tomo 3. in aduentu ipso Sancti Mauri Abbatis, discipuli P. N. Benedicti ad Gallias, omnia Galliæ cœnobia eius se magisterio subdidisse. Adde secundo, quòd hic Hugo, Monachus ab historicis uocatur (quod nomen, uti in superioribus diximus, nũquam Canonicis regularibus datur) ut uidere est lib. 12. Supplem. chron. ubi sic legitur: Hugo Monachus Corbeiensis in diuinis scripturis sufficientissimè eruditus, &c. *& in Bibliotheca Philosophorum:* Hugo Corbeiensis Monachus, qui etiam Folietanus dicitur, scripsit de claustro tractatus quatuor. *Apud Trittemium item, non solum Monachus, sed Monachus Ordinis D. Benedicti fuisse legitur, lib. 2. cap. 115. de uir. ill. Ord. S. Ben. & libro de Scriptoribus Eccles. cũ dicitur,* Hugo Monachus Corbiensis, Ordinis Sancti Benedicti, dictus de Folietto: &c. *Monasterium aũt istud D. Petri illud esse quod a Bathilda Regina fundatũ est, & non aliud, habemus ex epist. 24. B. Nicolai Papæ I. ad Trasulfum Abbatem Monasterij beatorum Principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, in qua eiusdẽ cœnobij priui legia confirmantur, cuius uerba sunt.* Vnde quia nõ multis interceden tibus annis Monasterium beatorũ Apostolorũ Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeiæ, venerabilis qui tunc fuerat Abbas Odo, &c. *& post pauca:* Nunc verò aduenies venerabilis Odo Beluacensis Eps qui prius Abbas Corbeiensis Monasterii fuerat: &c. *Statimq;:* Decernimus vt Monasterium Corbeię, quod ad laudem Dei in honorem Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli cõstructum esse dignoscitur, & a Batilde Regina Francorum, filioque eius Lothario a principio fundatum, & donariis, rebusq; necessariis locupletatum, quod est in pago Ambianensi super fluuium Summa situm, rerum suarum liberã in omnibus habeat disponendi regulariter potestatẽ, &c. *Odonem uerò præfatum, qui Episc. Beluacensis factus est postea, Ord. D. P. Benedicti fuisse testantur, cum Catalogi Episcoporum illius Ecclesiæ, tum etiam Trittemius de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 210. Probatur & ex S. Theodofredo, qui primus illius loci Abbas a S. Bathilde constitutus est, euocatus ex Monasterio Luxouiensi, quod cõsentientibus omnibus historicis, tũc temporis sub Regula S. P. Benedicti, militare noscebatur. Ad eam rem facerẽt alia multa, ut libri excusi S. Paschasii Abbatis,*

qui ubique Abbas Ordinis S. Benedicti uocatur, & huiusmodi plurima, quæ tamen ut breuior sim omitto, hæc pro Monachatus Hugonis nostri probatione dixisse, sufficere existimans.

D. IOANNES, Gallus, Monachus, & Abbas Dolensis in Britannia minori, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis. S. R. E. Cardinalis, tituli ..... *D. Benedictus Luchinus in colloquio suo MS. rerum eccles. huius, promotionem citat, sed unde habuerit ignoro.*

D. SYLVESTER, Monachus & Abbas Sublacensis Monasterij, Ord. S. Ben. Congregationis Specuensis; S. R. E. Cardinalis: *Panuinus in epit. in folio: nomen uero Syluestri ex Luchino desumpsimus, qui illud habuit ex archiuio Mon. Sublacensis cum ibi Priorem ageret.*

ADRIANVS PAPA IIII.

Creatio secunda, 1155. Pontif. 2. mense Decembri Romæ.

D. GVLIELMVS, Ciuis & Archidiaconus Papiensis, Monachus Ord. S. Ben. Congregationis ..... S. R. E. Diaconus Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in uia lata: & post ab eodem in tertia creatione, anno 1158. Presbyter Card. S. Petri ad Vincula, tituli Eudoxię: demũ ab Alexãdro Papa III. in quarta creatione, anno 1176. Pontif. sui 18. mense Decembri, Episcopus Card. Portuensis, & S. Rufinæ, factus: Obijt decimoquinto Calendas Februarij, in Monasterio Casinensi sepultus. *Ex Calendario Vetusto Montis Casini, quod est in primo scamno Bibliothecæ ad dexteram statim in ingressu, in quo nomina defunctorum olim annotabantur.*

Creatio tertia, 1158. Pontif. 4. mense Martio, Romæ.

D. SYMON, Monachus & Abbas, S. Scholasticæ Sublacensis, Ord. S. Ben. Cong. Specuensis: S. R. E. Diaconus Cardinalis, Tituli S. Mariæ in Dominica. *Panuinus in Epitome in 4.*

CALISTVS III. ANTIPAPA. *Creatio Anno Domini 1165.*

D. IOANNES, Hungarus, Monachus & Abbas Strumiensis, Cœnobii, in Hungaria, Ord. S. Ben. Congregationis Cluniacensis; S. R. E. Episcopus Cardinalis Tusculanus in Schismate; post Paschalis III. Antipapa. *Panuinus in Epitome in 4.*

ALEXANDER PAPA III.

Creatio prima, anno 1163. Pontif. 5. mense Decembri, in Galliis.

D. MANFREDVS, Monachus Ord. S. Ben. Cong. ..... S. R. E. Diaconus Cardinalis, Tituli S. Georgii in Velabro: post in quarta creatione, 1176. ab eodem factus est, Episcopus Cardinalis Prænestinus: Obiitque die decimosexto Calendas Februarii. *Ex eodem Calendario Vetusto Montis Casini.*

Creatio

Creatio secunda 1175. Pontif. 7. Romæ, mense Decembri.

D. THEODINVS, Monachus cœnobij Sancti Benedicti de Padolyrone, extra Mantuam, Ordinis S. Benedicti, Congregationis; S.R.E. Presbyter Cardinalis Sancti Vitalis, tituli Vestinæ: ac deinde in quinta creatione, 1178. ex Presbytero, Episcopus Card. Portuensis, & S. Rufinæ, ac legatus Apostolicæ sedis in Angliam, ad Henricum II. Regem, pro causa S. Thomæ Episcopi & martyris. *Ex libro uetusto Monasterij nostri S. Benedicti de Mantua, quod est in Bibliotheca parua ipsius cœnobij, in quo nomina 1309. Monachorum descripta leguntur.*

Creatio quinta 1178. Pontif. 20.

D. PETRVS, Monachus S. Benedicti de Padolyrone, Ordinis S. Ben. Congeg. Cluniacensis, S.R.E. Episcopus Cardinalis Tusculanus creatus. *Ex eodem libro, in quo sic circa finem legitur*, Theodinus Portuensis Episcopus, & Petrus Tusculanus Episcopus, ab Alexandro III.

Creatio sexta, 1179. Pontificatus 21. Romæ.

D. THEOBALDVS Gallus, Monachus primum, & Prior Monasterij Crispeij, in Galliis, Ord. S. Ben. Congre. Cluniacensis: post Abbas S. Basoli, eiusdem Ordinis & Cong. deinde Abbas Generalis XV. Monasterii Cluniacensis: demum S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Crucis in Hierusalem: postremo à Lucio Papa III. in secunda creatione, Veronæ 1184. facta, feria 4. Cinerum, Pontificatus sui anno tertio, creatus est Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus. Obiit anno 1188. pridie nonas Nouembris, & in Monasterio suo sepultus est.

ANNOTATIO.

In Chron. Cluniacensi eius promotio his annotatur verbis. Theobaldus primus, Abbas Sancti Basoli, Abbas noster quintusdecimus, incepit regere anno 1179. Rexit ferè vno anno: & eodem anno assumptus est in Episcopum Hostiensem. Obijt secundo nonas Nouembris, anno 1188. *Panuinus autem in epitome in quarto anno 1184. à Lucio Papa III. in secunda creatione creatum refert. Nos auctoritatem chron. Cluniacensis sequimur.*

LVCIVS PAPA III.

Creatio secunda, 1184. feria 4. Cinerum, Veronæ: Pontif. sui 3.

M. D. ROLLANDVS, Gallus, Monachus, & Abbas electus Dolensis, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis: S.R.E. Diaconus Cardinalis, tituli S. Mariæ in porticu.

ANNOTATIO.

Panuinus in epitome in quarto. Rollandum nominat: in illo verò in folio, Ioannem; nos Rollandum retinuimus: arbitramur enim Ioannem, illum eſſe qui creatus eſt ab Eugenio Papa III. ut annotat Luchinus.

CLEMENS PAPA III.

Creatio tertia, 1190. Pontif. ſui 3. menſe Septembri, Romæ.

D. GANDVLPHVS, Placentinus, Monachus, & Abbas Sextus, Monaſterii S. Sixti Placentiæ, Ord. S. Bened. Congregationis Cluniacenſis, S.R.E. Diaconus Cardinalis, tituli Sanctorum martyrum Coſmæ & Damiani. Obiit anno 1229. Abbatis regiminis 44. in Monaſterio ſuo ſepultus.

ANNOTATIO.

A Domino Felice Paſſaro Monacho Caſinenſi in Opuſculo, de ſitu, & laudibus Monaſterij S. Sixti Placentiæ, creatus dicitur ab Vrbano Papa III. Sed cum ut ait Panuinus in epitome in quarto, Vrbanus Cardinales nullos crearit, arbitrati ſumus cum eſſe, qui in eodem Panuino in fol. in Clemente III. ſic annotatur, G..... Diaconus Card. SS. martyrũ Coſmæ, & Damiani. *Cardinalem verò fuiſſe teſtatur, & Petrus de Ripa alta, in Annalibus ciuitatis Placentiæ, qui reperiuntur MS. apud Dñum Conſtantium Caietanum Syracuſanum Siculum, Monachum Catanenſem Congreg. Caſinenſis, cuius Petri uerba hæc ſunt*. Anno 1185. Gandulphus ſextus Abbas, qui factus eſt Cardinalis: qui tempore Vrbani Papæ III. curam adhibuit ad inueniendum corpus S. Sixti Placentiæ in confeſſionibus dicti Monaſterij S. Sixti Diuina reuelatione de hoc habita. *Hæc Petrus. Fundatum eſt autem ut ex eodem Petro liquet, prædictum Monaſterium ſub honore S. Reſurrectionis ab Angilberga Imperatrice, Ludouici iunioris Imper. uxore repudiata, anno Domini* 852. *ſic enim ait*, Anno 852. Angilberga vxor Ludouici Imper. facit cœnobium Placentiæ in honorem Reſurrectionis. *In eodem autẽ ſanctimonialibus collocatis, prima eis præficitur Abbatiſſa Cunigunda, anno* 853. *deinde aliæ per ordinem, uſque ad annum* 1112. *quo Febronia ultima Abbatiſſa in ordinem redacta, cœnobium, in uſum Monachorum conuerſum eſt; ut ex catalogo ſequenti, Abbatiſſarum, & Abbatum, patebit, qui hoc modo à Petro præfato deſcribitur.*

Anno

583 Electa eſt prima Abbatiſſa Cunigunda.

867 Theodarga, ſecunda Abbatiſſa.

877 Angilberga Imperatrix, tertia Abbatiſſa: & eo anno facta eſt donatio Monaſterio prædicto ab hac Domina, qui erat an-

annus secundus Caroli Calui Imperatoris.

889 Frontharius Episcopus Bituricensis, obijt Placentiæ tempore Angilbergæ Abbatissæ.

915 Berta, quarta Abbatissa, Hæc fuit Amita Berengarij II. (alias III.) Imp. ut ex Carolo Sigonio liquet, lib. 6. de Regno Italiæ ad annum 950.

960 Scamburga, quinta Abbatissa.

1002 Ita, sexta Abbatissa.

1038 Adeleyda, septima Abbatissa.

1059 Febronia, vltima Abbatissa.

Anno 1112. Odo (Monachus S. Benedicti de Mantua) factus primus Abbas Placentię à Mathilda.

1135 Petrus, secundus Abbas.

1145 Berardus, tertius Abbas.

1180 Bernardus, quartus Abbas.

1185 Adrardus, quintus Abbas.

1185 Gandulphus, sextus Abbas, qui factus est Cardinalis.

1229 Leonardus, septimus Abbas.

1237 Ioannes de Brachifortis, octauus Abbas.

1247 Ioannes de Pado, nonus Abbas.

1248 Bonifacius, decimus Abbas.

1265 Andreas, undecimus Abbas.

1272 Benedictus, duodecimus Abbas, turrim reædificauit.

1307 Obertus de medio capite, decimustertius Abbas.

1308 Tedixius Claponus, decimusquartus Abbas.

1317 Gulielmus Flandronus, decimusquintus Abbas.

1348 Federicus de Ferrarijs, decimussextus Abbas.

1363 Franciscus Tronus, decimusseptimus Abbas.

COELESTINVS PAPA III.

Creatio tertia, 1191. Pontif. sui anno 2. Romæ.

D. Roffredvs, Monachus, & Abbas, 52. Monasterij Casinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli Sanctorum Marcellini, & Petri. Obiit Casini anno 1208. tertio Calendas Iunij, ibique sepultus. *Vocatur hic malè à Panuino in epit. in 4. Rainaldus, ut ex catalogis Abbatum Montis Casini cognouimus, in quibus Roffredus semper appellatur.*

INNOCENTIVS PAPA III.

Creatio sexta 1206. Pontif. sui 9. mense Decembri, Romæ.

D. Pelagivs, Monachus Ord. S. Bened. Cong. ..... S.

R.E. Diaconus Cardinalis, tituli S.Luciæ in Septisolio, anno 1206. Pontif. sui nono, mense Decembri Romæ, creatus; postmodum ab eodem anno 1211. Pontificatus sui 14. Episcopus Cardinalis Albanus factus: Obiit tertio calendas Februarii, Casini sepultus. *Ex calendario uetusto montis Casini supracitato.*

Incertæ creationis ab eodem Innocentio III.

D. PETRVS, Comes Campanus, Monachus Monasterij Casinensis, ob vitę meritum, & sapientiæ doctrinam, S. R. E. Presbyter Cardinalis, & post Abbas Casinensis creatus; Obijt anno 1210. 5. calend. Februarij, & Casini sepultus est.

ANNOTATIO.

Trittemius de uir. ill. Ord. S. Bened. lib. 4. cap. 28. huius quidem promotionis meminit, sed tempus quo floruit, aut à quo creatus sit non exponit. Putamus eundem esse cum illo Petro Abbate Casinensi, cuius memoria agitur in catalogis Abbatum illius cœnobij, his uerbis. Petrus secundus, cognomento Comes, Abbas 53. sedit menses septem, dies 4. & sepultus est in Casino, quinto calendas Februarij, anno Dom. 1210. *Coniecturam nobis fecit, quod Comes à Trittemio uocetur, & nullus alius huius nominis Petri inter Abbates Casinenses, hoc uocabulo Comitis ornatur, præter hic Petrus. Si quis melius inuenerit, libenter doceri patiemur.*

HONORIVS PAPA III.

Creatio prima 1216. Pontif. 1. mense Decembri, Romæ.

D. PETRVS..... Duacensis, Belga, Monachus, Ord. S. Bened. Electus Cameracensis, & Innocentij III. ad Regem Franciæ Legatus, S. R. E. Episcopus Card. Sabinus. Obijt anno 1252. Perusij, & ibidem sepultus est.

ANNOTATIO.

Monachum hunc fuisse coniectura ducor particulæ illius, Fratris, *nomini eius antepositæ, à Matthæo Vuestmonasterienſi in floribus historiarum, qui ad annum 1199. sic de eo loquitur:* Propter captionem fratris Petri de Douay, Cambracensis electi, interdicta est Francia. *Fratris verò prænomine, Monachos omnes Ordinis Sancti Benedicti, à prima sua Origine ad hæc usque nostra tempora, maximè in partibus Vltramontanis, ornatos fuisse, ita omnibus notum est, ut illud velle probare superfluum foret. Monachum autem ideo dicimus, quod eo tempore anno Domini scilicet 1200. mendicantium Ordinibus nondum suscitatis, alij ordines non reperiebantur in Belgio, quam Benedicti, & Cistercienſis: cuius Ordinis Monasteria in ciuitate mea Duacensi, in*

qua

qua hic natus est, nec in toto eius districtu, cum non reperiantur, Ordinis uerò D. Benedicti plura, & ampla, illius professorem scripsimus. De eius promotione ad Cardinalatum agit Franciscus Belforestius Annalium Frãciæ, lib. 3. c. 69. ad annum 1199. cuius uerba de Gallico in Latinum translata sic habent. 1199. F. Petrus Duaci natus, Card. TT. S. Sabinæ, venit Legatus in Franciam pro Papa Innocentio III. *Hæc de uerbo ad verbum. Ex quibus uerbis uidetur Cardinalis fuisse etiam illo tempore cum ad Gallias accessit: sed cum in Panuino promotio eius non prodatur usq; ad Honorij III. tempora, illum sequendum hac in parte duximus.*

GREGORIVS PAPA IX.

Creatio prima 1227. Pontificatus 4. in Quatuor Temporibus Septemb. Romæ.

D. Io. Francioigia de Abbatisuilla, Gallus, Monachus Cluniacensis, & Abbas S. Petri de Abbatisuilla in Picardia, Ord. S. Bened. Congreg. præfatæ, Archiepiscopusque Bisuntinus, S. R. E. Episcopus Cardinalis Sabinus. Scripsit nonnulla opera, de quibus citantur subiecta;

Sermones de Tempore, Lib. 2.
Sermones de Sanctis, Lib. 2.

In his autem scribendis, primo breues lectiones euangelicas, & Apostolicas breuiter exponẽdo inserit: postea verò alios sermones, tam Dominicales, quàm festiuos, adeo prolixos intermiscet, tot scripturarum inducens testimonia, ut uix possint memoriæ commendari.

Annotatio.

Panuinus in Epitome in quarto, & alij plurimi huius Ioannis Monachatum, & Cardinalatum prodiderunt. Cognomentum Francioigia addit Ciaconus. Videtur tamen mihi omnino is esse de quo agit F. Sixtus Senensis in Biblioth. sancta, lib. 4. uocaturque ab eo Ioannes Halgrinus ab Abbatisuilla, & Cardinalis Sabinensis. Et ratio quæ me mouet est, quod nec in Panuino, nec in alijs qui de Cardinalibus ex professo agunt, nullus alius reperitur Ioannes ab Abbatisuilla Cardinalis Sabinus, præter quam hic noster, de quo agimus. Quod si ita esset, ut ego arbitror, opera quæ dicitur composuisse, uidelicet, Expositio, quæ uocatur Sexta, in Cantica Canticorum, nouo interpretationis genere, de Christo, & Matre eius facta, hic inserenda esset, quæ expositio sic incipit, Ad honorem Matris, & Filii, Cantica Canticorũ expositurus. *Excusa q, est Parisiis, apud Ascensium, anno Domini 1521. insuper quoque, & ipse Sixtus emendandus, qui dicit eum, anno 1450. floruisse.*

MA-

MAGISTER Domnus Sinibaldus de Fliſco, Obizzonis filius, ex Lauaniæ Comitibus, Genuenſis, Ligur, Monachus primum Monaſterii S. Benigni Fructuariæ, in agro Taurinenſi, Ordinis S. Bene. Congreg. Cluniacenſis, deinde ex S.R.E. Vicecancellario, Presbyter Cardinalis, T. S. Laurentii in Lucina; poſtremo Innocentius Papa IIII. renunciatus eſt. *De Cardinalatu agit Panuinus in Epitomis, nos de Monachatu egimus in annot. noſtris ad Innocentium IIII.*

D. RAINALDVS, Philippi filius, ex Comitibus Signiæ, Anagninus, Nepos, & Subdiaconus Papæ, Monachus Ord. S. Ben. Congreg..... & S.R.E. Diaconus Cardinalis, T. S. Euſtachii, deinde ab eodem in tertia creatione, anno, 1234. Pontificatus 8. menſe Decembri Romæ, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, creatus; poſtremo Papa Alexander, IIII. *Cardinalatum prodit Panuinus in Epitomis: Monachiſmum probauimus in annotationibus ad Alexandrum Papam IIII.*

Creatio quarta 1240. *Pontif.* 14. *Romæ.*

D. RICARDVS Hannibaldenſis, Romanus, Monachus, & poſt Abbas 58. Monaſterii Montis Caſini; S.R.E. Diaconus Cardinalis, T. Sancti Angeli, creatus; obiit Caſini anno 1263. regiminis Abbatialis, 12. & ibidem ſepultus eſt. *Ex Catalogis Abbatum Montis Caſini, MS. in quibus Presbyter Cardinalis T. S. Cyriaci ſcribitur.*

INNOCENTIVS PAPA IIII.

Creatio prima 1224. *Pontif.* 2. *Lugduni in Concil. Generali Tempore Aduentus.*

D. GVLIELMVS, Gallus, Monachus, & Abbas S. Facundi, Ordinis S. Ben. Congreg. Cluniacenſis S.R.E. Presbyter Cardinalis, Baſilicæ Sanctorum duodecim Apoſtolorum. Obiit Lugduni anno 1250. ac ibidem ſepultus eſt. *Panuinus in Epitome in quarto.*

Creatio ſecunda 1252. *Pontif.* 9. *Peruſii, in quatuor Temporibus Aduentus.*

D. IACOBVS, Monachus.... Ordinis S. Benedicti, Congregationis..... S.R.E. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruſinæ. Obiit anno D. 1254. Pontifi. Innocentii Papæ IIII. duodecimo.

ANNOTATIO.

Notatur hic a Panuino in Epitome in quarto, in hac creatione ſecunda, ſed Monachi nomen omittitur, quod puto errore librariorum factum; inuenitur enim poſtea in eodem Panuino inter Epiſcopos Cardinales Portuenſes & S. Ruſinæ, folio 5. ſic repoſitum: 1252. 19. *Frater Iacobus Monachus, creatus ab Innocentio IIII.*

COE-

COELESTINVS PAPA V.

Creatio unica, anno 1294. quatuor Temporibus Septembris, Neapoli.

D. PETRVS de Aquila, Monachus, & Abbas Congregationis Casinensis, ex Archiepiscopo Beneuentano, S.R.E. Presbyter Cardinalis, T.S. Marcelli. Obiit anno Christi 1299. Pontificatus Bonifacii Papę VIII. quinto.

ANNOTATIO.

Panuinus in Epitome in quarto, huius Monachi Cardinalatum annotat. errare autem mihi uidetur in titulo Abbatis, nullus enim illo tempore hoc nomine Petri Abbas Casinensis (cuius cœnobii Abbatem eum scribit) fuisse legitur, ut ex eorum Catalogo liquet: Arbitrarer potius Abbatem fuisse S. Sophiæ Beneuenti, quæ Abbatia sub Casinensi noscitur tunc fuisse: uel simpliciter Monachum Casinensem, ut ipsemet innuere uidetur, cum de eius morte agit, sic inquiens; Frater Petrus Aquilanus Monachus Casinensis, Presbyter Card. T. S. Marcelli obiit anno Christi 1299.

D. IOANNES de Cressy, Gallus, Picardus, Monachus Ord. S. Ben. Congregationis Cluniacensis, & Episcopus Meldensis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli Sanctorum Marcellini & Petri, & Vicecancellarius, Neapoli in prima & unica Cardinalium creatione anno 1294. Pontificatus sui primo, quatuor Temporibus Septembris, factus: Obiit Auenione Anno 1307. Scripsit nonnulla opera præsertim in Iure Canonico, de quibus tantum uidi, in Sextum Librum Decretalium dilucida Cōmentaria, Glossa Aurea nuncupata: quæ excusa sunt Venetijs, anno 1586. in folio regali, cum additionibus Clarissimi I.C. Philippi Probi Biturici.

ANNOTATIO

Panuinus in Epitome in 4. huius Ioannis Monachi meminit, errat tamen cum cognomentum Monachi, pro gentilicio cognomine ei attribuit: nam ut ex Francisci Belforestij cosmographia fol. 374. didicimus, Cressy, ei cognomentum fuit gentilicium, Monachus autem dignitatis & professionis eius titulus. Is ille est qui Parisiis Collegium fundauit, quod ab eius nomine, Collegium Monachi uocatur.

D. SYMON, Gallus, Monachus, Monasterij Cluniacensis, & Prior Charitatis, Congregationis eiusdem, Ord. S. Benedicti: S.R.E. Cardinalis, tituli S. Sabinæ in eadem promotione, renunciatus: obijt Romæ, anno 1296. & ibidem in ecclesia S. Martini in Montibus sepultus est. *Panuinus in Epitome in 4.*

CLE-

CLEMENS PAPA V.

Creatio 1. anno 1305. Pontif. 1. Lugduni, Sabbato 4. temp. Aduentus, 18. cal. Ianuarij.

D. PETRVS Arnaldi, Bananensis, Burdegalensis, Vasco, Gallus, Monachus & Abbas Monasterij S. Crucis Burdegalis, Ord. S. Ben. Congregationis Cluniacensis: S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Stephani in Cœlio Monte: post Vicecancellarius, non nisi sequenti anno publicatus. Obijt Auinione anno Domini, 1316.

ANNOTATIO.

Panuinus in utroque Epitome de eo agit, eiusque Monachatu. item & Matthæus Vuestmonasterienſis in floribus historiarum ad annum 1305. sic dicens, loquens de Clemente Papa V. Mox ipso die Dominico, creauit alios Cardinales, sex de Vasconia, duos de Francia, unum de Anglia, scilicet Thomam Fratrem Ordinis Prædicatorum; & Petrum Abbatem Sanctæ Crucis iuxta Burdegalim, Ordinis Sancti Benedicti, creatum similiter Cardinalem, Vicecancellarium suum constituit. *Et aduerte quod die Dominica creatos Matthæus referat, Panuinus uero die Sabbathi, quæ opiniones sic possunt accipi, ut Sabbatho creatos, Dominica uero pronunciatos fuisse dicamus.*

Creatio tertia, 1312. Pontif. 8. Auinione, Sabbato 4. Temp. Aduentus, die 11. calendas Ianuarij.

D. PETRVS, Gallus, Monachus & Abbas S. Seueri, Ordin. S. Benedicti, Congregationis ..... S. R. E. Presbyter Cardinalis. Obijt sub Ioanne Papa XXII. *Panuinus in utroque Epitome.*

NICOLAVS V. ANTIPAPA.

D. ARMANVS siue Hermanus Germanus, Monachus, & Abbas Fuldensis in Buchonia, Ord. S. Bened. Congregationis Cluniacensis, reformatæ à S. Gulielmo Hirsaugiensi Abbate; S. R. E. Presbyter Cardinalis, creatus anno Christi 1327. Pontificatus sui primo, idibus Maij, Romæ, in prima creatione. *Panuinus in utroque Epitome, sed eius nomen reticet: quod mihi communicauit, pro sua in me humanitate Illustris Domnus Ioannes Antonius Pietramelara Bononiensis, uir doctissimus, & rerum antiquarum diligentissimus indagator, & SS. Mauritii & Lazari Eques.*

BENEDICTVS PAPA XII.

Creatio prima, 1337. Pontif. 4. die 15. cal. Ianuarii, Auinione.

D. PETRVS Rogerij, Monstrius, de Malmonte, Lemonicensis Diœcesis, Gallus, Monachus, & Abbas Monasterij S. Trinitatis Fiscanensis in Normandia, Ord. S. Ben. Congregationis Cluniacensis,

censis, S. Theologiæ Doctor, & Archiepiscopus Rothomagensis: & Senonensis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum Nerei & Achillei: post Papa Clemens VI. renunciatus. *Trittemius lib. 4. cap. 37. & Panuinus in vtroque Epitome: correctione tamen indiget in Epitome in folio, ubi eum Monachum Cistertiensem facit.*

D. Gvlielmvs Curti, de Diuano, Gallus, Monachus & Abbas Montis Oliuarum, Carcassonensis Diæcesis, Ordinis S. Ben. Congre. Cluniacensis; S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum; post Episcopus Cardinalis Tusculanus factus a Papa Clemente VI. in quarta creatione, anno 1350. Auinione, die 15. cal. Ianuarij. Obijt Auinione, pridie Idus Iunij, anno 1361. ex peste. *Panuinus in utroque Epitome.*

CLEMENS PAPA VI.

Creatio prima 1342. Pontif. 1. die 12. cal. Octobris, Auinione, quatuor Temporum Septembris.

D. Hvgo Rogerij Monstrius, de Malmonte, Lemonicensis Diæcesis, Gallus, Clementis VI. Papæ Frater Germanus, Monachus Monasterij Tullensis, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacensis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, T. Sanctorum Laurentij & Damasi: postea Archipresbyter. Obiit Auinione duodecimo cal. Octobris, anno 1363.

Annotatio.

Panuinus in Epitome in quarto, Hugonem Rogerij, & Cardinalem SS. Laurentii & Damasi, appellat: in Epitome uero in folio simpliciter Rogerium, Tituli SS. Nerei & Archillei uocat: nos priorem sequuti sumus sententiam.

Creatio secunda 1343. Pontif. 2. die 4. cal. Iunii, Auinione.

D. Deodatvs de Canilhaco, Antisiodorensis, Gallus, Monachus, & Episcopus S. Flori in Aluernia Ord. S. Ben. Congrega. Cluniacensis; ac postea Attrebatensis Episcopus: S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem; & demum ab Innocentio Papa VI. Episcopus Cardinalis Prænestinus creatus: Obiit Auinione 12. cal. Iulii, anno Domini 1373. sepultus ibidem apud Minores.

Annotatio.

Vocatur hic a Panuino in Epitome in quarto, Raimundus: sed deceptus est in nomine Episcopatus; cum enim legisset quendam Raimundum Episcopum S. Flori Cardinalem creatum, & quis ille esset fortasse non inueniret, pro primo Florensi Episcopo Raimundo de Mouslneghel, qui Cardinalis etiam fuit, quartum sibi assumpsit, & ex Deodato, Raimundum fecit.

fecit. Deodatum uero hunc fuisse uocatum docent Antonius Demochares de sacrificio missæ Tomo 2.cap.25.& Franciscus Belforestius Tomo 1. suæ Cosmographiæ,in descriptione Episcoporum S.Flori.

Creatio quarta 1350.Iubilei secundi, Pontificatus sui nono, in quatuor Temporibus Aduentus 15.cal.Ianuarii Auinione.

D. Gvlielmvs de Agrifolio, Gallus, Monachus primum Cluniacensis Monasterij; deinde Prior Conuentualis S. Petri de Abbatisuilla,Ordi.S.Bened.eiusdem Congregationis, Ambianensis Diœcesis, & Archiepiscopus Cæsaraugustanus: S.R.E. Presbyter Cardinalis, T.S.Mariæ Transtiberim, Tituli Calixti: ac deinde ab Vrbano Papa V. Episcopus Cardinalis Sabinus creatus,anno 1367. in secunda creatione 4.Idus Maij Massiliæ.Obijt Viterbij,die quarto nonas Octobris,anno 1369. sepultus ibidem in Ecclesia S. Trinitatis. *Panuinus in Epitome in quarto.*

D. Petrvs de la Foresta,Gallus, Monachus & Abbas S. Dionysij extra muros Parisienses,Ord. S.Bened.Congreg. Cluniacensis S.R.E.Diaconus Cardinalis: postea ab Innocentio Papa VI.Presbyter Cardi.Tituli duodecim Apostolorum factus: Obijt Auinione, anno 1361. die 5. calend. Iulij,ex peste. *Panuinus in utroq; Epitome.*

INNOCENTIVS PAPA VI.

Creatio tertia 1361.Pontif.9.15.cal.Octobris,Auinione.

D. Androinvs de Rupe,seu Roca, Burgundus,Gallus,Monachus & Abbas S.Sequani in Burgundia,Ord.S.Ben.Congre.Cluniacēsis: deinde Abbas Generalis Cluniacensis Monasterij 34.Theologus: S.R.E.Presbyter Cardinalis,T.S. Marcelli. Obijt Viterbij 4. cal. Octobris, anno 1369. sepultus ibidem in Ecclesia Veritatis, & inde Cluniacum reportatus est.

Annotatio.

A Panuino in Epitome in quarto, uocatur Andoinus de Roca: ab auctore uero Chronici Cluniacensis Androynus cum ait: Androynus primus;de Ruppe, Abbas S. Sequani, Abbas noster 34. incepit regere anno 1351.Rexit annis 13.Et postea factus est Cardinalis.Obijt sexto calendas Nouembris in ciuitate Viterbiensi. Et inde apud Cluniacenses apportatus est: & ibi iacet iuxta pillare Capellæ Sancti Martialis. *Hæc auctor. Adriani nomine cohonestatur a Thoma Ualsingha mio in historia breui ad annum 1362.cuius uerba sunt:*Eodem tempore Cardinalis Adrianus, Abbas Cluniacensis,tertio die in fine Aprilis venit Londinum, tractaturus cum Rege, & consilio suo pro redemptione

demptione Regis Franciæ minuenda, obsidibus liberandis, & matrimonio contrahendo, cum sanguine Regis Angliæ, & Caroli Bloys, sed de his pauca, vel nulla expediuit: *sed hoc ex similitudine nominum Androyni, & Adriani, factum fuisse, nemo est qui dubitet. In hac igitur nominum diuersitate, auctorem Chronici sequi maluimus.*

VRBANVS PAPA V.

Creatio prima 1366. Pontif. 4. die 15. cal. Octobris, Auinione.

D. Anglicvs, seu Angelus, siue Angelicus, Grimoaldi filius, oppido ditionis paternæ Grisaco, Mimatatēsis Diœcesis, Gallus, Vrbani Papæ V. Frater, alijs nepos, Monachus S. Rufi prope Valentiam Galliæ, Ord. S. Ben. Congr. Cluniacensis, & Episcopus Auinionensis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, S. Petri ad uincula Tituli Eudoxię; post ab eodem Episcopus Cardinalis Albanus, in secunda creatione, anno 1367. die 4. Idus Maij, Massiliæ, pronunciatus: Obiit Auinione anno 1387. die 16. cal. Aprilis.

Annotatio.

Diuersimode a diuersis nominatum repperi, a nonnullis scilicet Angelum, ab aliis Angelicum, a quibusdam uero Anglicum: quod posterius magis in usu esse dignoscitur. Canonicus Regularis reputatur a Panuino in Epitome in quarto, Monachum tamen fuisse, probant ea quæ supra diximus in annotationibus ad Adrianum Papam IIII. de Monasterio S. Rufi: illudq; etiam pro argumento est, quod ab eodem Panuino, & nonnullis aliis, Frater Anglicus, semper uocetur, quod Fratris nomen nunquam Canonicis Regularibus proprium fuisse, ex multorum historiis manifestum est; sed tantummodo illius temporis Monachis, qui hoc humili Titulo se prænotatos gaudebant. Canonici autem Regulares Domni, semper, siue Domini ab omnibus appellati.

Creatio tertia, 1368. Pontifi. 6. apud Montemfiascone die undecimo Calendas Octobris, in quatuor Temporibus.

D. Simon de Langham, Anglus, Monachus, & Abbas Monasterii Vuestmonasterienſis in Anglia Ordinis S. Benedicti, Congre. Cluniacensis, deinde Episcopus Elienſis; mox Cantuarienſis Archiepiscopus, & Primas Angliæ, regnique Thesaurarius; exinde S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti Sixti: postremo a Gregorio Papa XI. in secunda anno 1375. Auinione, Episcopus Prænestinus renunciatus est. Obiit Auinione anno 1376. die 11. cal. Augusti.

Annotatio.

Thomas Vualsinghamius in historia breui, totam ex integro huius Pontificis

tificis uitam breuiter explicat sic inquiens. Anno 1349. Obijt Simon Abbas Vueſtmonaſterienſis, cui ſucceſſit Simon Langham, qui mox factus eſt regni Theſaurarius, deinde Epiſcopus Elienſis: ex tunc Regni Cancellarius, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis: demum Presbyter Cardinalis T. S. Sixti, poſtremo Epiſcopus Prænestinus, *& infra.* 1361. Simon Langham Abbas Vueſtmonaſterienſis fit Epiſcopus Elienſis. *Et Paulo poſt.* 1366. Mortuo Simone Islepe Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſuccedit ei Simon de Langham Epiſcopus Elienſis prouiſione Papæ. *Statimque* 1368. Hoc anno menſe Octobri, Domnus Simon de Langham Archiepiſcopus Cantuarienſis creatus eſt in Cardinalem, & ſequenti anno menſe Aprili, uerſus Curiam iter cepit. *Poſtremo* 1376. Viceſimoſecundo die Iulii, obiit Simon Langham Cardinalis Anglicus. *Hactenus Thomas, qui ſemper Langham ſcribit, & non Langhiam, ut reliquit nobis Panuinus.*

Creatio quarta, 1370. *Pontific.* 8. *die* 7. *idus Iunij, apud Montemflaſconem.*

D. PETRVS de Stagno, Gallus, Monachus, & Epiſcopus, S. Flori, Ordin. S. Bened. Congreg. Cluniacenſis, & Archiepiſcopus Bituricenſis: S. R. E. Camerarius, Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtiberim, Tituli Calixti: deinde à Gregorio Papa XI. Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus, anno 1373. factus. Obijt ſub eodem Romæ, anno 1377. die 7. calend. Decembris; ſepultus in S. Maria Tranſtiberim: *Antonius Democharis de Sacrifi. Miſſæ, Tomo 2. c. 25. & Franciſcus Belforeſtius in ſua Coſmographia ſupracitata in Deodato Cardinale.*

GREGORIVS PAPA XI.

Creatio prima, 1371. *Pontif.* 1. 6. *idus Iunij, Auinione.*

D. GVLIELMVS, de Conaco, Gallus, Monachus S. Florentii, de Sanimurio, Ord. S. Ben. Cong. Cluniacenſis, Decretorū Doctor, & Epiſcopus Mimatenſis, S. R. E. Presbyter Cardinalis Sancti Vitalis, Tituli Veſtinæ. *Panuinus in Epitome in quarto. & Belforeſtius in ſua Coſmographia, à quo item nomen Monaſterij eius accepimus.*

D. IOANNES de Turre, Gallus, Monachus, & Abbas..... S. R. E. Presbyter Cardinalis, TT. S. Laurentii in Lucina. Obiit Auinione, anno Domini 1374. die 17. calend. Maii. *Panuinus in Epitome in quarto.*

Creatio ſecunda 1375. *Pontif.* 5. *Menſe Decembri, Auinione.*

D. IOANNES de Grangia, Gallus, Monachus Ordin. S. Bened. Cong.

Congreg..... Decretorum Doctor, & Episcopus Ambianensis, S.R.E. Cardinalis, TT. S. Marcelli. Obiit post annum 1400. *Panuinus in Epitome, in quarto.*

D. GERARDVS Loy de Podio, Gallus, Monachus Monasterii Cluniacensis, siue Florensis, & Abbas Maioris Monasterij, Ordin. Sanct. Bened. eiusdem Congregationis: deinde Episcopus Florensis, & Carcassonensis: deinde S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Clementis. Obiit Auinione, anno 1383. die 14. calen. Februarii, Pontificatus Clementis VII. Antipapæ, anno vndecimo. *Panuinus in utroque epitome, & Belforestius in sua Cosmographia.*

D. PETRVS de Tartaris, Romanus, primum Monachus Ordinis Montis Oliueti, deinde Abbas Sancti Laurentii extra muros Vrbis, postea Abbas Casinensis octuagesimus secundus, postremo Cardinalis Reatinus uulgo uocatus, renunciatus. Priuatus est deinde Cardinalicia, & Abbatiali dignitatibus ab Vrbano Papa VI. an. 1385. sed quadriennio post id est anno 1389. in integrum restitutus est à Bonifacio Papa IX. Obiit tandem Casini anno 1395. die 4. mensis Iunii, & ibidem sepultus est.

ANNOTATIO.

Panuinus in utroque Epitome hunc omittit: Restituit eum nobis Thomas Vualsinghamius, qui in historia breui ad annum 1385. sic de eo loquitur. Post finem verò sermonis Papa cum Cardinalibus non priuatis, erecta cruce, & accensis candelis, excommunicauit Regem Carolum, & Reginam, Antipapam, & Anticardinales, Abbatē montis Casini quondam Reatinensem Cardinalem, & prædictos sex quondam Cardinales, &c. *Et infra ad annū* 1388. Sed mox aduētum Papæ Abbati de monte Casino significare curarunt (hic erat quondā Cardinalis Reatinensis (vt præmittitur) sed degradatus fuerat per Papam præfatum) hic illico collecta manu militari, explorauit aduentum Papæ, quem oportuit omnino transire per illum. Qui cum veniſſet ad partes eius, ei restitit, & eius transitum, prohibebat. Papa uerò, quem nimius amor soli patrię detinebat, confectis bullis de restitutione sua ad Cardinalatus dignitatem, & gradum Doctoratus, necnon Abbatiæ Casini montis honorem, destinauit sibi hęc omnia, tamen, ut permitteret eum transire, & reuisere natale solū. Cui Abbas respondit, se quidem non egere bullis suis ad restitutionem dignitatum, quibus & donatus, & inuestitus fuit à prædecessore suo, cuius temporibus non erat schisma in Ecclesia, qui & cognitus est uniuersaliter pro Papa Romano. *Hæc Thomas. Restitutionis*

tutionis autem eius modus in fragmentis quibusdam Catalogorum Abbatum Montis Casini, quæ apud me sunt his exprimitur uerbis; Anno 1389. fuit restituta dignitas huic Abbati (scilicet Petro Tartaro) per Papam Bonifacium IX. & Abbatia Casinensis, quæ ei a Papa Vrbano VI. ablatæ fuerant: mandans per quoddam vniuersale priuilegium directum omnibus vaxallis, Monasterii Casinensis, vt obediant dicto Petro Tartaro, quē restituerat in Abbatem Casinensem. *Et infra.* Eodem anno Papa Bonifacius IX. per suum quoddam priuilegium absoluit ab excommunicatione, & irregularitate, & aliis censuris & pœnis ipsum Abbatem Petrum de Tartaris, cum suis famulis, & familiaribus, qui interfuerant obsidioni Vrbani VI. eius prædecessoris: atque ob hoc dictus Petrus Abbas, ab ipso Vrbano VI. dignitatibus fuerat priuatus.

CLEMENS VII. ANTIPAPA.

Creatio tertia unius Cardinalis, anno 1382. tertio Calendas Iunij Auinione.

D. THOMAS de Casaco Gallus, Monachus, & Abbas .... S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Sabinæ. Obijt Auinione, anno 1390. die 15. calen. Iunij. *Panuinus in epitome in 4.*

Creatio quarta 1383. Pont. 6. die 10. cal. Januarij. Auinione.

D. PETRVS Amelii, de Monte Acuto, Gallus, Monachus, & Prior S. Martini de Campis, Parisiis, Ord. S. Bened. Congreg. Cluniacensis, & Episcopus Laudunensis; S.R.E. Cardinalis Tituli Sancti Marci. Obijt Auinione, anno 1389. die quarto Idus Augusti. *Franciscus Belforestius in Catalogo Priorum S. Martini de Campis, lib. 3. suæ Cosmographiæ.*

BENEDICTVS XIII. ANTIPAPA.

Creatio quinta, anno 1409. Pontificatus 15. in quatuor temporibus mensis Septembris, Panischolæ, quod est Aragoniæ oppidum.

DOMNVS ..... Hispanus, Monachus, & Abbas Monasterii Iesu Nazareni Montaragonis. S.R.E. Presbyter Cardinalis: Hic postea relicto Benedicto XIII. Antipapa, schismatico & damnato, ad Martinum Papam V. Concilio Cōstantiensi finito accedēs, ab eodem confirmatus est Presbyter Cardinalis, & Montaragonis Abbas. Quando obierit incertum.

ANNOTATIO.

Canonicum fuisse Regularem affirmat Panuinus in vtroque epitome: alij Ordinis Cistercienſis Monachum scribunt. Nos certis rationibus moti Monachum nigrum Benedictinum fecimus: quarum prima est quod

Monaste-

Monasterium Montaragonum, siue Montis Aragonum fundatum legatur a Sanctio, secundo Aragoniæ Rege circa annum Domini 1080. paulò ante, uel pòst; octodecim ferè annis antequam Cistertiensis ordo confirmaretur, uti uidere est apud Ioannem Marianæ Societatis Iesu, lib. 10. cap. 2. rerum Hispanicarum, ubi sic loquitur, ad annum 1094. Obiit sanctius Rex, quarto Iunii, corpus Montaragonem delatum, atque in Iesu Nazareni, quod ipse Monasterium extruxerat, ex temporario sepulchro conditum est, inde vrbe capta, in Diui Ioannis Rupensis. *Hæc ille. Canonicum etiam Regularem non fuisse constat ex prænomine,* Frater, *a Panuino illi attributo; quod nũquam Canonicis Regularibus fuit familiare: præterea quod apud eundem Ioannẽ Marianam, eodem etiam libro & capitulo legamus, Canonicos Regulares sub Petro Rege Aragoniæ Sanctij præfati filio, aliquot post Sanctii mortem annis, Pampelonæ tunc primum inhabitare cœpisse, cuius uerba sunt:* Eodem tempore Pompelonæ templi maximi noua fabrica cœpta est, cuius vestigia supersunt. Sacerdotum vita & mores ad Diui Augustini leges, & regulam conformati: quod ab eo initio susceptum, nostra etiam ætate retinetur. *Hæc Ioannes. Cardinalis huius nomen nusquam adhuc reperire datum.*

EVGENIVS PAPA IIII.

Creatio tertia 1439. Pontif. 9. die 15. cal. Ianuarii Florentiæ.

D. Gvlielmvs de Estouteuilla, Normandus, Gallus, Decretorum Doctor Monachus & Prior Sancti Martini de Campis, Parisiis, Ord. S. Benèdicti, Congreg. Cluniacensis; Episcopus Marinensis, post Andegauensis, deinde Biterensis, postremò Archiepiscopus Rothomagensis, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, Sanctorum Syluestri & Martini, Tituli Equitii: factus postea Cardinalis Episcopus Portuensis, & S. Rufinæ, a Nicolao Papa V. anno 1451. & Ostiensis & Veliternus a Pio Papa II. in secunda creatione, anno 1461. die 15. calen. Ianuarii Romæ. Obiit anno 1482. die 11. cal. Ianuarii, Romæ: ibique sepultus in Ecclesia S. Augustini, quam a fundatuentis erexerat. *Franciscus Belforestius in Catalogo supracitato Priorum Sancti Martini de Campis, & Hier. Garimbertus lib. 4. de Cardinalatu.*

Creatio sexta 1446. die 17. calen. Ianuarij Romæ.

D. Ioannes, Siculus, Monachus sanctæ Iustinæ de Padua, Ordinis sancti Benedicti, Congregationis sanctæ Iustinæ de Padua, quæ nunc Casinensis uocatur, Abbasque S. Pauli extra muros Vrbis, eiusdem Ordinis & Congregationis; S. R. E. Presbyter Cardina-

lis, Tituli Sanctæ Sabinæ. Obiit Neapoli, anno Domini 1449. die 12. calendas Februarij, sepultus ibidem in Sancto Seuerino, cœnobio eiusdem Ordinis, & Congregationis. *Panuinus in Epitome utroque, & nonnullæ matriculæ MS. Monachorum Congregationis Casinensis.*

FOELIX V. ANTIPAPA.

Creatio secunda, anno 1440. Pontific. 1. die 4. idus Octobris, Basileæ in Concilio.

D. FRANCISCVS, Gallus, Monachus, Ordin. S. Benedicti, Congregationis ..... & Episcopus Gebēnensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Marcelli. *Trittemius, lib. 4. cap. 38. de uir. ill. Ord. S. Bened. Reliqua ex Panuino.*

D. BERNARDVS, Gallus, Monachus Ord. S. Ben. Congreg.... & Episcopus Aquensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei. *Trittemius, lib. 4. cap. 33. de Monachatu, & Cardinalatu: reliqua ex Panuino.*

Creatio tertia, 1441. Pontif. 2. pridie idus Nouembris, Basileæ, in Concilio.

D. NICOLAVS de Tedeschis, Catanensis, Siculus Monachus primum cœnobij S. Agathæ in ciuitate Catanensi, Ord. S. Benedicti, Congregationis Siculæ, siue S. Nicolai de Arenis: deinde Abbas Maniacensis, eiusdem Ordinis, & Cōgregationis, Auditor Rotæ V. I. D. & Panormitanus Archiepiscopus, S. R. E. Presbyter Cardinalis. Obijt Panormi, anno 1445. *Panuinus in utroque Epitome, & Trittemius, lib. 4. cap. 42. & alii multi.*

Creatio quarta, 1443. Pontif. 4. Mense Aprilis, Gebennis.

D. LVDOVICVS de Varambone, Gallus, Monachus Ordinis S. Ben. Congreg.... Sorbonæ Parisinæ Doctor, & Episc. Maurianensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, TT. S. Ceciliæ. Declaratus legitimus Cardinalis, à Nicolao Papa V. in tertia creatione, anno 1449. Pontificatus sui 3. die 14. calend. Ianu. Romæ, factusque Presbyter Cardinalis, Tituli S. Anastasiæ. Obiit nouissimis Nicolai Papæ V. temporibus. *Trittemius de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 30. de Monachatu, & Cardinalatu; ex Panuino reliqua desumpta.*

PIVS PAPA II.

Creatio secunda, 1461. Pontificatus 3. die 15. cal. Jan. Romæ.

D. Io. LOFREDI, Gallus, Luxouiensis, ignobilis, Diœcesis Bisuntinæ, Monachus Monasterii Cluniacensis: Ordinis Sancti Benedicti, Decretorum, & Theologiæ Doctor, ex Priore S. Mariæ de Castro

ſtro ſuper Salinas, Abbas S. Petri de Luxinio eiuſdem Ordinis, & Congreg. poſt Epiſcopus Attrebatenſis, & Referendarius Apoſtolicus: S. R. E. Presbyter Cardinalis, Sanctorum Syluestri & Martini, TT. Equitij in Montibus. Obiit in partibus Galliæ, anno 1473. die 3. idus Decemb. *Trittemius, lib. 4. cap. 36. & Panuinus in epitome utroque: & Garimbertus, lib. 4.*

PAVLVS PAPA II.

Creatio ſecunda 1465. Pontif. 2. die 14. cal. Octobris, Romæ.

D. Io. Godefridvs Balues, Virdunenſis Monachus, & Abbas S. Dionyſii Pariſienſis, Ord. S. Bened. Congreg. Cluniacenſis, & Epiſcopus Andegauenſis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Praxedis: deinde à Sixto Papa IIII. Epiſcopus Cardinalis Albanus in octaua creatione, anno 1484. die 16. cal. Aprilis Romæ, factus. Obiit ſub Innocentio Papa VIII. Romę, an. 1491. menſe Octobri; ſepultus ibidem in Eccleſia S. Praxedis.

Annotatio.

Ioannis Godofredi Monachatum, & Cardinalatum anno tat Franciscus Belforeſtius lib. 1. ſuæ Coſmographiæ, in catalogo Abbatum cœnobij Sancti Dionyſij extra Pariſios. A Panuino uocatur Epiſcopus Virdunenſis: at in catalogis Epiſcoporum illius Eccleſiæ apud Democharem de Sacrif. Miſſæ, Tomo 2. c. 33. & apud Franciſcum de Roſieres in libris Stemmatum Lotharingiæ, inter Epiſcopos nominatus non reperitur. Natum tamen Virduni refert Hieronymus Garimbertus lib. 4. de. uit. Pont. & Cardin. quod materiam Panuino, ut arbitror, dedit erroris. Prædictus Garimbertus prædicto lib. 4. duobus in locis & lib. 5. pro ſuo maledicendi more (nihil enim aliud mihi uidentur illi ſui libri, quam continua quædam maledictio, & detectio vitiorum, quæ nunquam fortaſſe in ijs fuerunt, quos reprehendere nititur: & ſi fuiſſent ad eum non pertinebat uitas tantorum uirorum carpere, ſcriptum eſt enim, Principi populi tui ne maledices: *& forſitan quos uita, & moribus non potuit imitari, ut ſolus ipſe perfectus & Sanctus videretur, omnium conuerſationes maledictionis nota inurere uoluit, cum magno Sanctæ Eccleſiæ, legentium, & ſuo quoque ſcandalo; cum ſatius ei fuiſſet nunquam ſcripſiſſe, quam tam malè de ijs, quos venerari debuerat dixiſſe, ſed ingenium hominis notum, quod enim uirtute nõ poterat, maledicto aſſequi nitebatur, ſacri ſcilicet illius collegij conſortium, ſed longè eum ſua fefellit opinio: non enim gradus ille maledicentibus, & inuidis, ac liuoris ſanie reſperſis datur, ſed bonis, ſed pijs, ſed doctis, & de Eccleſia benemeritis; ut erat hic noſter Ioannes Balues. Hæc præter morem, non ſine cauſa tamen in Garimbertum proſecutus ſum, etenim*

(ut cum quodam R. Patre loquar) plerunque euenire solet, ut is qui quæ vult dicit, nonnunquam, quæ non vult audiat. Si Garimbertus tam apertè sub specie elogij, vel descriptionis vitæ, Ioanni nostro maledicendo, aliquam gloriam corraſit, volo vt eandem malè audiendo amittat. Si quis verò dixerit, in Garimbertum mortuum me hæc scribere, respondeo, & Garimbertum in Ioannem mortuum scripsisse. Si quis plura requirat de maledictis Garimberti, legat D. Augustinum Florentinum, parte 2. Hist. Camald. lib. 3. cap. 4. in Apologia, quam contra eundem scripsit, pro defensione Sanctissimi, & doctissimi viri Cardinalis Maphæi, pro suo maledicendi more dico multum inuehitur in vitam, & mores doctissimi ſlius viri (ſapientia enim, & doctrina gradum ſibi Cardinalatus promeruit) quod quam falso id fecerit, & contra omnem Christianam actionem, docent magna illa amoris, & dilectionis indicia, quibus prosecuti sunt eum nonnulli Romani Pontifices, à quibus non solum nullam illius causæ, pro qua Romam à Ludouico XI. Rege, missus fuerat, pœnam promeruit, verum honoribus, amplius quam antea, auctus & cumulatus, Marchiæ etiam legationis munere decoratus sit: & post mortem summo cum honore in Ecclesia Tituli sui S. Praxedis sepultus.

SIXTVS PAPA IIII.

Creatio sexta, 1480. Pontif. 9. idibus Maii, Romæ.

D. Cosmvs de Melioratis, Vrsinus, Romanus, Monachus, & Abbas Farfensis, Ord. S. Ben. Congregationis Cluniacensis, Archiepiscopus Tranensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, TT. Sanctorum Nerei, & Achillei. Obiit Brachiani Vrsinorum, anno 1481. die 11. cal. Decembris, sepultus in Monasterio suo Farfensi. *Panuinus in utroque Epitome; & Franciscus Sansouinus, lib. 1. de uir. illust. familiæ Vrsinæ, cap. 16.*

INNOCENTIVS PAPA VIII.

Creatio prima, 1489. Pontif. 5. pridie idus Martij, Romæ.

D. Andreas d'Espinay, Armoricensis, Gallus, Monachus, & Prior S. Martini de Campis Parisiis, Ord. S. Bened. Congreg. Cluniacensis, post Archiepiscopus Arelatensis, mox Lugdunēsis: S. R. E. Presbyter Cardinalis Sanctorum Syluestri, & Martini, Tituli Equitii in Montibus. Quando obierit incertum.

Annotatio.

Huius Monachatum habuimus ex lib. 1. Cosmographiæ Franciſci Belforestii, in Catalogo Priorum S. Martini de Campis. Dissentit Panuinus in vtroque epitome de nomine: Ludouicus enim vtrobique ab eo uocatur: Belforestius tamen loco citato, & Campegius, ac Leonardus in Catalogis

Bel-

Archiepiscoporum Lugdunensium, apud Democharem de Sacrif. Missæ, Tomo 2. cap. 27. Andream uocatum fuisse, in suis scriptis reliquerunt.

ALEXANDER PAPA VI.

Creatio 2. 1493. Pontif. 2. die 12. cal. Octobris, Romæ.

D. IOANNES, Gallus, Monachus, & Abbas S. Dionysii, Parisiis, Ord. S. Bened. Congreg. Cluniacensis, Episcopus Lombariensis in Comingio, & Orator Regis Francorum, S.R.E. Presbyter Cardinalis, TT. S. Sabinæ. Obiit Romæ, anno 1499. die 8. idus Augusti, sepultus in Sacello Galliæ Regum. *Panuinus in utroque Epitome, & Belforestius in Catalogo Abbatum Sancti Dionysij. Hieronymus Garimbertus, lib. 1. c. 13.*

LEO PAPA X.

Creatio quarta, 1517. Pontif. 5. cal. Aprilis, Romæ.

D. ANTONIVS Bohier de Prato, Gallus, Aruernus, Monachus, & Abbas Monasterii Sanctæ Trinitatis Fiscanensis, in Normandia, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cluniacēsis, & Archiepiscopus Bituricensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, TT. S. Anastasiæ. Obiit Bituricis mense Iunio, anno 1521. ibique in Cathedrali sepultus. *Panuinus in utroque Epitome.*

CLEMENS PAPA VII.

Creatio vndecima, 1533. Pontif. 10. die 7. idus Nouembris, Massiliæ.

D. PHILIPPVS della Camera Frater Ducis Albanię, Gallus, Monachus, & Abbas Corbeiensis Galliæ, Ord. S. Ben. Congreg. Iuniacensis, & Episcopus Bolonienſis: S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Martini in montibus. deinde, à Paulo Papa III. in nona creatione anno 1543. quinto Nonas Iulij Romæ, Episc. Cardin. Tusculanus renunciatus. Obiit Romæ 9. cal. Martij anno 1550. sepultus ibidem ad S. Trinitatem in Pinciis. *Panuinus in vtroque Epitome.*

PAVLVS PAPA III.

Creatio octaua, 1542. Pontif. 8. die 4. nonas Iunij, Romæ.

D. GREGORIVS Cortesius Mutinensis, Monachus & Abbas S. Benedicti de Padolyrone in agro Mantuano, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Casinensis, alias Sanctæ Iustinæ de Padua uir doctissimus. S.R.E. Presbyter Cardinalis, Tituli S. Ciriaci in Thermis. Obiit Romæ, undecimo calenda Octobris, anno 1548. ibidem ad Sanctos Apostolos sepultus. *Panuinus in utroque Epitome; & Archiuia Monasterij nostri S. Benedicti de Mantua.* Vir fuit doctissimus, & tam Latinè quam Græcè linguæ peritissimus, multaque compo-

fuisse fertur, quæ temporum iniuria, & hominum negligentia magna ex parte interierunt, quæ verò supereſſe feruntur, sunt subiecta,

Epistolarum Familiarium, Lib. 1.

Quod S. Petrus fuerit Romę, Lib. 1.

Hi duo impressi sunt Venetiis, apud Franciscum Franciscium Senensem, anno 1573. in quarto.

Hymnorum diuerso metro, Lib. 1.

De Viris illustribus Ordinis Monastici, Lib. 1.

Hic erat MS. coopertus viridi in Bibliotheca nostra Sancti Benedicti Mantuani, ut Catalogus librorum, qui apud me est MS. in membranis, prodit; ex qua tamen furto sublatus non reperitur.

Transtulit, & librum S. Basilii Episcopi de virginitate, de Græco in Latinum sermonem, & alia nonnulla, quæ necdum uidi.

Cardinales nonnulli, S. R. E. Monachorum Nigrorum, quorum tempus creationis, & à quibus Pontificibus promoti fuerint ignoratur, ordine alphabetico digesti. Cap. IX.

ANDREAS Hispanus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis..... Episcopus primum Megarensis; deinde Ciuitatensis: mox Aiatensis; postremò S. R. E. Cardinalis, ac Pœnitentiarius, & Decretorum Doctor: ut ipse de se fatetur in Opusculo de forma & modo confitendi, Antidotario animæ Domni Nicolai Abbatis de Bogardis præfixo: *quod & confirmatur à Ioanne Trittemio de uir. ill. Ordinis Sancti Benedicti, libro secundo, capite 136. & libro quarto, capite 43.*

F. ALPHONSVS, Hispanus, Monachus, Ordinis Sancti Benedicti Congreg..... S. R. E. Episcopus Cardinalis Portuensis. Viuebat cum sequenti sub Alexandro Papa III.

F. ERNANDVS, Hispanus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti Congregationis.... S. R. E. Presbyter Cardinalis, T. Sanctæ Anastasię. *Ex priuilegio Indulgentiarum Ecclesiæ Sancti Marci, Venetijs.*

D. BER-

D. Bernardvs, Gallus, Monachus primum, & Abbas S. Honorati de Lerino in Gallijs, deinde iussu Vrbani Papæ IIII. Abbas Casinensis in Ordine LIX. postmodum S. R. E. Cardinalis. Obijt in Monasterio Casinensi, anno Domini 1282. pridie Nonas Aprilis, regiminis sui Abbatialis anno 19. & ibidem sepultus est.

Annotatio.

Petrus Bugianus Colloquio quarto Hist. Monast. promotionis huius Cardinalis meminit, errat tamen cum dicit eum uixisse, anno Domini 1151. cum centum & amplius annis post claruerit, ut ex Catalogo Abbatum Montis Casini accepimus, in quo nihil de Cardinalatu eius agitur: uidetur nihilominus Bugiani opinio fulciri, & testimonio ipsiusmet Bernardi, qui in Prologo Speculi Monachorum de Legatione sua ad Gallias agens sic loquitur statim in principio: Frequenter pulsatus, & a multis temporibus, maximè modernis, quando missus eram de mandato Sedis Apostolicæ, ut agerem quædam negotia ipsius Sedis in partibus Gallicanis, &c. *A quo Pontifice creatus fuerit incertum, arbitrarer tamen ab Vrbano Papa IIII. uel certè ab eius successore Clemente IIII. qui ambo Galli erant in Cardinalium numerum ascitum.*

D. Ioannes, Monachus Sanctæ Trinitatis Cauæ, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cluniacensis, S. R. E. Cardinalis. *Tabulæ Cauenses.*

D. Petrvs, Monachus Monasterii Montis Casini, S. R. E. Subdiaconus Cardinalis.

Annotatio.

Petrus Diaconus de uir. ill. Montis Casini, cap. 43. huius sic meminit. Petrus Romanę Ecclesiæ Subdiaconus, & Casinensis Monachus, paruulus, & ipse in Casino susceptus, rogatu Petri Diaconi, ac Bibliothecarii passionem beati Marci uersibus adornauit.

D. Petrvs, Monachus S. Trinitatis Cauæ, Ordinis, & Congregationis, ut supra, S. R. E. Cardinalis: & auctor Dictionarii Biblici, quod extat MS. in Bibliothecis Casinensi, & Cauensi. *Tabulæ Cauenses.*

Domnus Roscemanus, Monachus & ipse S. Trinitatis Cauæ, eiusdem & Ordinis & Congregationis: S. R. E. Cardinalis. *Tabulæ Cauenses.*

Car-

Cardinales Oblati facti sub Ordine S. Benedicti. Cap. X.

LVDOVICVS de Fliſco, Genuenſis, ab Vrbano Papa VI. in tertia creatione, anno Domini 1381. Pontificatus ſui 4. menſe Decẽbri Romæ, S.R.E. Diaconus Cardinalis, Tituli S. Hadriani pronunciatus, deinde Archidiaconus: ſub annum tandem Chriſti, 1421. factus eſt Oblatus in Monte Caſino, & Congregationi Caſinenſi ſociatus, biennio poſt obijt Romæ, die tertio Nonas Aprilis, anno 1423. Pontificatus Martini Papæ V. anno ſexto; ac Genuam translatus auito monumento ſepultus eſt. *Ex archiuio Caſinenſi.*

Monachi Ordinis S. Benedicti Nigrorum, qui permiſsione tantum Cardinalitia fungebantur dignitate. Cap. XI.

EDOARDVS, Philippi Pedemontium Principis filius, Monachus Ordinis ſancti Benedicti, non alicuius dignitatis, ſed pietatis ſolius gratia, deinde Prior Burgeti, mox Secuſiæ Abbas; inde Seduenſis, & Bellicenſis Epiſcopus, poſtmodum Archiepiſcopus Tharentaſienſis, poſtremò S.R.E. Cardinalis, ſaltem permiſsione, nam vti Cardinalitio Galero donatus eſt. Obijt anno 1390. menſe Februarij, Muſterij ſepultus. In cuius funere orauit Sauinus Florianus Epiſcopus Maurianenſis doctiſſimus. *Philibertus Pingonius in Arbore Sabaudica, gradu 22.*

Abbates Monaſterij Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Cluniacenſis, ex cõceſſione Calixti Papæ II. quotieſcunque Romam accedebant officio Cardinalis fungebãtur, vt prodit Chronicon Cluniacenſe in hac verba. *Eadem verò die (videlicet qua Canonizatus S. Hugo Abbas) communium ſuorum aſſidentium aſſenſu, largitus eſt felix Papa Calixtus Cluniacenſi Eccleſiæ, ſpeciali & propriè ſuæ, vt Abbas Cluniacenſis ſemper & vbique Romam fungatur officio Cardinalis, manuq́, propria ipſe Poncium anulo ſuo inueſtiuit.*

Abba-

Abbates quoque Monasterii Sanctæ Trinitatis de Vendomo in Gallia, eodem priuilegio, sed paulò ampliori, gaudebant, adiectus enim erat ad dignitatem, & Titulus S. Praxedis perpetuus, & vt primum quis creabatur Abbas, sine aliqua alia Pontificis ratificatione, Cardinalis Sanctæ Praxedis esse censebatur; vt testatum nobis reliquit Franciscus Belforestius tomo 1. suæ Cosmographiæ, qui etiam nonnulla decreta, & diplomata summorum Pontificum de hac re adfert.

De Cardinalibus qui Monachi fuisse feruntur, dubia tamen fide. Cap. XII.

S. Sergivs, Tiberius filius Antiochenus Syrus, Panhormi in Sicilia ortus, ex Monacho S.R.E. Presbyter Cardinalis T. S. Susannæ ad duas domos a Cunone PP. factus, deinde Papa Sergius I. *Bugianus & Illescas.*

S. Gregorius, Ioannis filius, Syrus, ex Monacho S.R.E. Presbyter Cardinalis, deinde Papa Gregorius III. *Bugianus & Plata.*

S. Leo, Azuppij filius, Romanus, ex Monacho S.R.E. Presbyter Cardinalis T.S. Susannæ; & post modum, Leo Papa III. *Bugianus.*

S. Valentinus, Leontij filius Romanus, ex Monacho S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, a Papa Paschali factus, deinde Papa Valentinus. *Bugianus & Illescas.*

D. Albertus, Samnis, Beneuentanus, familia de Mora, ex Monacho S.R.E. Diaconus Card. T.S. Susannæ, mox Presbyter S. Laurentij in Lucina, deinde Cancellarius: postremo Papa Gregorius VIII. *Bugianus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Archiepiſcopis Ordinis S. Benedicti Nigrorum. Cap. XIII.

POST Cardinales Ord.S.P.N.Benedicti Nigrorum, quos qua potuimus breuitate & veritate iam abſoluimus,quamuis non ignoremus,vti in ſuperioribus diximus,plures a nobis omiſſos fuiſſe,quorum Tituli ad noſtram notitiã non peruenerũt,ſequuntur tertio loco Archiepiſcopi, qui inter Ordines ſpiritualium ad dexteram S.P.N.collocatorum,per quandam multitudinem illimitatam refigurantur;ferunturque ab Hiſtoricis probatæ fidei fuiſſe,mille quingenti & ſexaginta quattuor, ſiue, vt alij legunt,mille ſexcenti,& amplius.Quorum nõnulli, qui a nobis ex Hiſtoriarum latebris maximo cum labore ſunt eruti,eadem ſinceritate & breuitate,qua cęteri prędecẽtes,explicabuntur:non,vt egit Trittemius,iuxta temporum ordinem, ſed ſecũdum Archiepiſcopatuũ, quibus præfuerũt denumerationem,Alphabetico ordine digeſtam, vt & confuſio in omnibus euitetur, & inuentionis modus diligenti inquiſitori reddatur facilior. Fabulam de ſeptem millibus Archiepiſcopis ex Ordine Monaſtico aſſumptis, omnino ab inſtituto noſtro fecimus longiorem,ne in tam manifeſto errore cum alijs uerſari uideremur. Maluimus enim paucos cum veritate enumerare, quam multos prodendo, falſitatis argui.Nam,vt verum fatear,omnino crediderim omnes ſimul Archiepiſcopos in vnum collatos,numerum ſeptem millium non perficere; Rariores enim fuerunt Archiepiſcopatus tempore S.P.N.Benedicti præſertim, & multis etiam poſt ipſum ſeculis: & dicere omnes Monachos fuiſſe,extra omnem Hiſtoricorum fidem eſt. Mille igitur & ſexcentos,cum Trittemio,Sabellico,Volaterrano,Genebrardo,Plata,& alijs fide dignis retinuimus, & Bugiano, eiusque ſequacibus, ſua ſeptem millia relinquimus, vt qua illud dixerit veritate,probet.Pauci qui ſubſequuntur,hoc ordine a nobis diſpoſiti: Primo loco S.R.E. Epiſcopi Cardinales, tanquam digniores appoſiti:quos ſequuntur Patriarchæ,qui & ipſi inter Metropolitas recenſentur: his ſuccedũt Archiepiſcopi certi alicuius loci, Alphabetico Archiepiſcopatus ordine collocati: & coronidis loco nonnulli deſcribuntur,qui Archiepiſcopi quidem fuerunt,ſed cuius ſedis ab Hiſtoricis non exprimitur.Numerus Archiepiſcopis ipſis prędixus,quotuſquiſque fuerit in Ordine Archiepiſcopatus

patus designat, qui si quando prętermissus est, Catalogum illius sedis Archiepiscoporum ad nos minimè peruenisse, demonstrat. De rebus eorum gestis, quantum possum breuiter me expediotem pora tamen quibus floruerunt adamussim, pertracto, controuersias nonnullas, si quę occurrunt, pro posse elucidans, vt cuique legenti clarissimè patebit.

Episcopi S.R.E. Cardinales, & primum Ostienses. Cap. XIIII.

Ordo	Annus creationis.	
2.	1058.	D. PETRVS Damiani, Monachus S. Andreæ à Stephano Papa IX.
3.	1072.	D. Gerardus Ratisponensis, Monachus Cluniacensis, ab Alexandro Papa II.
5.	1077.	D. Otho de Castillione, Monachus Cluniacensis, à Gregorio Papa VII.
7.	1100.	D. Leo Marsicanus, Monachus Casinensis, ab Vrbano Papa II.
8.	1131.	D. Pandulphus, Monachus Casinensis, ab Innocentio Papa II.
11.	1134.	D. Drogo Laudunensis, Monachus Laudunẽsis ab Innocentio Papa II.
12.	1138.	D. Albertus Beluacensis, Monachus Cluniacensis, ab Innocentio Papa II. Sub hoc Ecclesia Ostiensis, quæ ob incolarum defectum, ad nihilum ferè redacta erat, ab Eugenio Papa III. Ordinis Cistertiensis Monacho, Ecclesiæ Veliternę vnita est; Erunt ergo deinceps,

Episcopi Cardinales Ostiensis, & Veliterni.

15.	1184.	D. Theobaldus Gallus, Abbas Cluniacensis, à Lucio Papa III.
18.	1235.	D. Raynaldus, Anagninus, Monachus Benedictinus, à Gregorio Papa IX.
32.	1373.	D. Petrus de Stagno, Gallus, Monachus S. Flori, à Gregorio Papa XI.
41.	1461.	D. Gulielmus de Estouteuilla, Gallus, Normandus, Monachus, & Prior S. Martini de Campis, Parisijs, à Pio Papa II.

Episcopi

Episcopi Cardinales Siluæ Candidæ, aliàs, Sanctarum virginum Rufinæ, & Secundæ.

2 1049 D. Humbertus, Tullensis, Leucus, Gallus, Monachus Tullensis, creatus à Leone Papa IX.

3 1063 D. Maynardus, Campanus, Monachus Casinensis, creatus ab Alexandro Papa II.

Episcopi Cardinales Portuenses.

1 1014 D. Ioannes Romanus, ex Comitibus Tusculanis, Monachus Sancti Anastasij, Romæ, creatus à Benedicto Papa VII. dicto VIII.

Anno M C X X. Ecclesia Siluæ Candidæ, aliàs SS. Rufinæ, & Secundæ, deficientibus Vrbis incolis, à Calliſto Papa II. Monacho de Falleri in Gallia, Ordinis S. Benedicti, Ecclesiæ Portuensi adiuncta est, sub Petro Episc. Portuēse VI. Erunt ergo deinceps.

Episcopi Cardinales Portuenses, & Sanctæ Rufinæ.

10 1176 D. Gulielmus Papiensis, Monachus Benedictinus, ab Alexandro Papa III.

11 1177 D. Theodinus Monachus S. Benedicti de Mantua, ab Alexandro Papa III.

19 1252 D. Iacobus, Monachus Benedictinus ab Innocentio Papa IIII.

36 1451 D. Gulielmus de Estonteuilla, Normandus, Monachus, & Prior S. Martini de Campis, à Nicolao Papa V.

Episcopi Cardinales Sabini.

5 1126 D. Corradus de Suburra, Romanus, Abbas Sancti Rufi, Veliternæ Diœcesis, creatus ab Honorio Papa III.

9 1216 D. Petrus, Duacensis, Monachus Benedictinus ab Honorio Papa III.

11 1227 D. Ioannes de Abbatisuilla, Gallus, Monachus Cluniacensis, & Abbas S. Petri de Abbatisuilla, à Gregorio Papa I X.

26 1367 D. Gulielmus de Agrifolio, Gallus, Monachus Cluniacensis, ab Vrbano Papa V.

Episcopi Cardinales Prænestini.

6 1107 D. Cuno de Vrach, Germanus, Monachus Luttianus, à Paschale Papa II.

D. Deo-

81 1176 D. Manfredus, Monachus Ord. S. Bened. ab Alexandro Papa III.

28 1361 D. Deodatus de Canilhaco, Antisiodorensis, Monachus S. Flori, ab Innocentio Papa VI.

50 1375 D. Simon de Langham, Abbas S. Albani, ab Gregorio Papa XI.

Episcopi Cardinales Tusculani.

8 1142 D. Imarus Cathalaunensis Gallus, Abbas Puteanensis, creatus ab Innocentio Papa II.

SCHISMA.

9 1165 D. Ioannes Hungarus, Monachus, & Abbas Strumiensis, in Hungaria à Callisto III. Antipapa.

10 1178 D. Petrus Monachus S. Benedicti de Padolyrone, ab Alexandro Papa III.

21 1350 D. Gulielmus Curti de Diuano, Gallus, Abbas Montis Oliuarum, à Clemente Papa VI.

51 1543 D. Philippus de la Camera, Gallus, Abbas Corbeiæ, à Paulo Papa III.

Episcopi Cardinales Albani.

1 995 D. Theobaldus, Monachus Casinensis, à Ioanne Papa XVI.

9 1125 D. Matthæus, Remensis, Gallus, Monachus S. Martini de Campis, ab Honorio Papa II.

11 1146 D. Nicolaus Breakspere Anglus, Monachus S. Albani, & Abbas S. Rufi Valentinæ Diœcesis, ab Eugenio Papa III.

17 1211 D. Pelagius Monachus Benedictinus, ab Innocentio Papa III.

33 1367 D. Angelus, siue Angelicus, de Grisaco, Gallus, Monachus S. Rufi, ab Vrbano Papa V.

43 1484 D. Ioannes Godefridus Balues, Gallus, Abbas S. Dionysij, Parisijs, à Sixto Papa IIII.

Patriarchæ

Patriarchæ Antiocheni. Cap. XV.

63 D. THEOPHANES, Siculus, Monachus, & Abbas Monasterij Sancti Ioannis de Baias in Sicilia iuxta Panhormum, Ordinis Diui Benedicti, Congregationis Siculæ, creatus anno 681. à Patribus sextæ Synodi in Trullo Constantinopoli, depositio & in ordinem redacto Machario Monothelita; præfuit annis 5. Obijt autem anno 686. Antiochiæ. *Huius rei auctores sunt Canones sextæ Synodi, & Panuinus in Chronico Ecclesiastico.*

Patriarchæ Constantinopolitani. Cap. XVI.

43 CYrus, Monachus, & Abbas Monasterii Amastridis, creatus anno Domini 706. præfuit annis sex.

47 Constantinus II. Monachus, & Episcopus Sylei, Iconomachus, creatus anno 754. sedit annos 12.

51 Nicephorus, Monachus, creatus anno 806. pridie idus Aprilis, ann. 9.

54 Ioannes VII. Syneroſiotes ex Syncello, Iconomachus, de stirpe Morochazariorum, ann. 8. Ob hæresim sede sua pulsus factus est Monachus Monasterii Sanctorum Sergii, & Bacchi, anno 841.

56 Ignatius, Eunuchus, Nicephori Imperatoris ex filia nepos, Monachus cœnobii Satyri, creatus anno 847. præfuit primo annis 16. Fugatus autem a Photio exulauit annis 7. quibus finitis ad sedem suam anno 870. reuocatus, secundò eandem gubernauit ann. 7. Obiit anno 876.

63 Trypho, Monachus, creatus anno 925. præfuit ann. 6.

65 Polyeuctus, Eunuchus, Monachus, creatus anno 954. sedit annis 17.

66 Basilius, Scamandrenus, Monachus, creatus anno 971. ann. 4.

70 Eulogius, aliàs, Sergius, Monachus, & Abbas Monasterii Manuelis, creatus anno 997. præfuit ann. 20.

72 Alexius, Monachus Studites, creatus anno 1033. sedit an. 18.

Michael

73 Michael Cerularius, Monachus, creatus anno 1051. rexit annos octo.

75 Ioannes VIII. Xiphilinus Trapezuntinus, Monachus Monasterii Olympi, creatus anno 1063. præfuit annis 11.

76 Cosmas, Monachus, creatus anno 1075. sedit annos 5. & menses nouem.

77 Eustrathius II. Eunuchus Monachus Garidensis, creatus an. 1081. annis 3.

78 Nicolaus II. Grammaticus, Monachus, creatus an. 1084. an. 27.

81 Michael iunior Oxites, Monachus Monasterij Acuti, creatus anno 1143. præfuit annis 4. & mēsib. 6. Abdicauit & ad Monasterium suum redijt.

86 Lucas, Monachus creatus anno 1155. præfuit annis 12.

92 Leontius Monachus, creatus anno 1192. præfuit anno 1. Abdicauit.

Patriarchæ Constantinopolitani Græci, contra Latinos.

100 Germanus II. Græcus Monachus, creatus anno 1222. præfuit annis 17. & mensib. 6. Abdicauit. Anno autem 1254. iterum creatus, sedit annum 1.

106 Germanus III. Monachus, creatus anno 1260. præfuit anno 1. Abdicauit.

107 Iosephus, senex, Monachus Monasterij Montis Galesij, creatus an. 1261. præfuit annis 13. & abdicauit: Iterū verò an. 1284. assumptus, sedit menses paucos, & denuo resignauit.

109 Gregorius, siue Georgius, Cyprius, Monachus, creatus anno 1284. sedit annos 6. & menses 6. Abdicauit.

110 Athanasius Monachus Monasterij Xerolopi, Montis Gani, creatus anno 1290. sedit annos 4. & abdicauit. Iterum anno 1301. reassumptus, præfuit ann. 8. & abdicauit.

111 Ioan. XII. Sozopolites Monach. creatus an. 1294. præfuit an. 7.

114 Gerasimus, Monachus Monasterij Mangani, creatus an. 1320. sedit an. 1. menses....

115 Esaias, Monachus Montis Athi, creatus anno 1322. præfuit an. 18. mens.....

117 Callistus, Monachus, creatus anno 1360. præfuit annis 2.

119 Macharius, Monachus, creatus anno 1375. sedit annos 2. menses 7. dies 6.

120 Nilus, Monachus, creatus anno 1378. præfuit annis 20.

121 Antonius IIII. Monachus, creatus anno 1398. sedit annos 4.

122 Calliſtus II. Monachus, creatus anno 1406. præfuit annis 13.
123 Euthymius II. Monachus, creatus anno 1419. ſedit annos 5. & menſes 5.
124 Ioſephus II. Monachus, creatus ann. 1424. præfuit annis 15.
125 Gregorius III. Monachus Orthodoxus, creatus anno 1440. ſedit annos 13.

Patriarchæ Conſtantinopolitani, poſt Vrbem à Turcis captam.

127 Sophronius, Monachus, creatus anno 1460. ſedit annos 11.
128 Symeon, Monachus, creatus anno 1471. præfuit annis 9.
129 Maximus Philoſophus, Græcus, Monachus, creatus anno 1480. ſedit annos 10.
130 Nyphon II. Monachus, creatus anno 1490. præfuit annis 10.
131 Pachomius, Græcus, Monachus, creatus anno 1500. rexit annos 10.
132 Theolyptus, Græcus, Monachus, creatus anno 1510. ſedit annos 10.
133 Hieremias, Græcus, Monachus, creatus anno 1520. præfuit annis 15.
134 Dionyſius, Græcus, Monachus, creatus anno 1535. ſedit annos 20.
135 Ioaſaph, Græcus, Monachus, creatus anno 1555. rexit annos octo.
136 Metrophanes, Græcus, Monachus, creatus anno 1563. ſedit annos vndecim.

ANNOTATIO.

Hi ſunt Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ex Monaſtico Ordine aſſumpti referuntur, qui hac ratione à me hic ſunt appoſiti, non quod omnes Ordinis S. P. N. Benedicti fuiſſe non neſciam, ſed quidam eorum tantummodo, qui cum ab Hiſtoricis particulariter & nominatim non expiſcentur, omnes apponere hic libuit, vt vnuſquiſque pro ſuo arbitrio, quod voluerit ſequatur, & ſi quem ex hiſtorijs Ordinis Diui P. Benedicti fuiſſe deprehenderit, poſſit cum, ſi ita ei libuerit, hic annotare. Auctores ex quo eos deſumpſi ſunt Zonaras, Nicephorus Calliſtus, Ioannes Curopalates, præcipui, & nonnulli alij rerum Orientalium ſcriptores.

Patriar-

Patriarchæ Hierosolymitani, ex Latinis. Cap. XVII.

6 STEPHANVS, Carnotensis, Gallus, Abbas Sancti Ioannis de Valle Carnuti, Ord. S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis, creatus sextus Latinorum Patriarcha an. Domi. 1128. sedit an. 2. *Guliel. Tyrius de bello sacro, lib.* 13. *c.* 25.

7 GVLIELMVS, Mechlinienſis, Flander, Prior Monasterij S. Sepulchri in Hierusalem, Ord. S. Ben. Cong. Clun. creatus an. 1130. præfuit annis 15. Obijt anno 1146. die 5. cal. Octobris. *Tyrius lib.* 13. *cap.* 26. *& lib.* 16. *cap.* 17.

8 D. FVLCHERIVS, Aquitanus, Gallus, primo Canonicus Regularis: deinde Abbas Cellæ nouæ: post Monachus S. Sepulchri, & Archiepiscopus Tyrienſis; creatus anno 1147. octauo calen. Febr. annos 12. Migrauit a sæculo anno 1158. die 12. calend. Decembris. *Tyrius lib.* 16. *cap.* 17. *& lib.* 18. *cap.* 19.

9 D. AMALRICVS, Nouiomenſis, Gallus, de oppido Neella, Monachus & Prior S. Sepulchri, creatus anno 1158. sedit annos 23. Obiit anno 1179. *Tyrius lib.* 18. *cap.* 20.

D. GERARDVS, Gallus, Monachus Cluniacenſis, & Abbas Boliſmenſis; deinde Abbas Cluniacenſis XIX. post Episcopus Valentinus: exinde Patriarcha creatus circa annum Domini 1130. Obijt Hierosolymis, septimo Idus Septembris anno.... & ibidem iuxta sepulchrum Domini sepultus est. *Chron. Cluniacense MS.*

Patriarchæ Gradenses.

D. ANTONIVS, Patauinus, Monachus Monasterii de Brondolo: vt quidam auctor Anonymus rerum Veneticarum MS. prodit, tempus tamen quo floruerit reticens.

Archiepiscopatus incipientes ab litera A.

Archiepiscopi Andreani, siue S. Andreæ in Scotia. Cap. XVIII.

TVRGOTTVS Scotus Monachus, Prior, & Abbas Monasterij Dunelmensis, vir si quis alius, virtutum luminibus præclarè ornatus, Archiepiscopus renunciatus anno circiter 1080. vitam, mores, & res piè gestas Malcolmi, ac Diuę

Margaretæ Scotorum Regum posteritati prodidit, patria quidem lingua, sed non minori elegantia, quam pietate, veritateque, vt qui illis familiarissimus dum viuerent fuit, optimusq; testis vtrique suarum virtutum extiterit. *Hector Boetius de reb. Scot. lib. 12. & alij.*

Archiepiscopi Aquenses in Prouincia.

D. Bernardvs, Gallus, Monachus Ordinis S. Benedicti Aquensis Archiepiscopus, circa annum Domini 1430. Factus postmodum Cardinalis a Fœlice V. Antipapa anno 1440. *Ioannes Trittemius Abbas de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 4. cap. 33.*

Ardinacenses in Hibernia.

S. Malachias, Hibernus, Monachus Bencorensis, Ordinis S. Benedicti, ex Episcopo Connerethense, Ardinacensis Archiepiscopus creatus, anno Domini 1132. ætatis suæ 38. Aliquot post annos abdicauit, & Episcopatu Dunensi contentus, in eo ad finem usque uitæ permansit. Obijt an. 1148. ætatis 54. Clarævallis, ibiq; sepultus est, die 2. Nouemb. *S. Bern. in eius Vita. Trittemius lib. 4. c. 124.*

Arelatenses in Prouincia.

S. Virgilivs, Gallus, Monachus Lerinensis, & Abbas Augustodunensis, in locum Licerii Archiepiscopi creatur anno 591. qui uidetur peruenisse usq; ad annum 640. Ad eum scripsit Sanctus Gregorius Papa. Obiit die quinto mensis Martii. *Gregorius Tur. lib. 9. cap. 23. de gestis Francorum, & Tabulæ Lerinenses.*

D. Andreas d'Espinay, Armoricensis, Gallus, Monachus & Prior S. Martini de Campis Parisiis, & deinde Arelatensis Archiepiscopus; post Burdegalensis, mox Lugdunensis, & ad extremum S. R. E. Cardinalis renunciatus est, anno 1489. *Belforestius in Cosmog. & Panuinus in epitome de Archiepiscopatu.*

Archiepiscopatus de litera B.

Barenses in Apulia. Cap. XIX.

Rainaldvs, Monachus Casinensis, creatus anno ..... Obiit anno ..... die secundo nonas Februarii. *Calendarium uetus Casinense.*

D. Helias, Monachus S. Trinitatis Cauæ. *Tabulæ Cauenses.*

Beneuentani in terra laboris.

D. Ioannes, Hungarus, Monachus, & Abbas Strumiensis in Hunga-

Hungaria, qui contra Alexandrum Papam III. in schismate creatus, Paschalis III. dictus est; cum anno Domini 1176. opera Sereniss. Reipubl. Venetæ, liberè Pontificatui cessisset, ab Alexandro III. in grati animi sui indicium, Archiepiscopus Beneuentanus factus, in ea dignitate consenescens obijt. *Panuinus in Epitome, & alij.*

D. Petrvs de Aquila, Monachus Casinensis, & Abbas S. Sophiæ in ciuitate Beneuenti, deinde eiusdem ciuitatis Archiepiscopus: ac postremo S. R. E. Presbyter Cardinalis. Obijt anno Domini 1299. *Panuinus in Epitome.*

Bisuntini in Burgundia.

S. Clavdivs, Gallus, Monachus, & Abbas S. Eugendi in Burgundia, creatus anno circiter 606. attigitq; 626. interfuit enim Concilio Epaunensi, cui & subscripsit. Obiit anno ..... die 8. idus Iunii. *Ex eius uita, & Claudio de Rota, cap. 187.*

D. Vviscardvs, Germanus, Monachus, & Abbas Vallis S. Georgii, & deinde Archiepiscopus Bisuntinus. *Bolforestius in Cosmographia.*

D. Ioannes de Abbatisuilla, Gallus, Picardus, Monachus Cluniacensis, & Abbas Sancti Petri de Abbatisuilla, creatus ann. 1220. post S. R. E. Cardinalis. *Panuinus in Epitome.*

Bituricenses in Gallia.

27 S. Svlpitivs II. Pius Monachus, & Abbas, Sancti Nicetii Lugduni, Ord. Sancti Benedicti, creatus anno 587. præfuit annis 8. Obiit anno 594. die 16. calend. Februarii. *Vita eius apud Surium, Gregor. Turon. lib. 6. c. 39. & libro 10. c. 26. de annis Episcopatus.*

30 S. Austregisilus, Gallus, Monachus, & Abbas S. Nicetii Lugduni, creatus in locum Apollinaris, ann. 622. sedit annos 12. ac obiit anno 634. die 13. calend. Iunii. *Vita eius apud Surium.*

31 S. Sulpitius III. Pius, huius cognominis II. Abbas Aulicus, Ordin. S. Benedicti, creatus ann. 634. eam Ecclesiam gubernauit an. 13. Obiit autem anno 647. die 17. cal. Febr. *Trittemius lib. 4. cap. 55.*

46 D. Aygvlphvs, Monachus & Eremita in Gallia, creatus an. Domini 809. sedit annos 26. migrauit anno 835. *Franciscus Belforestius in sua Cosmographia, in Catalogo Episcoporum Bituricensium.*

47 S. Radvlphvs, Monachus & Abb. S. Medardi Suessionēsis, creatus ann. 835. rexit ann. 25. obiit ann. 860. die 7. calend. Iulii. *Trittemius, lib. 3. c. 211. & lib. 4. c. 85.*

80 D. Petrvs de Stagno, Gallus, Monachus S. Flori, creatus an. 1366. sedit annos 11. factus est Cardinalis anno 1370. ab Vrbano

Papa V. Obijt Romæ anno 1377. die 7. Calendas Decembris, sepultus in S. Maria Transtiberim. *Belforestius ubi supra.*

92 D. ANTONIVS Bohier de Prato Monac. & Abb. Fiscanensis, creatus anno 1514. sedit ann. 7. A Leone Papa X. factus est Cardinalis anno 1517. Bituricis obijt, triennio post, scilicet anno 1521. mense Iunio, ibidem in Cathedrali sepultus. *Belforestius ubi supra, & Panuinus in Epit. Pont. Rom. Demochares, qui dicit obijsse anno 1519. die septimo Nouembris.*

97 D. Antonius, Vialard, Parisiensis, Gallus, Monachus, & Prior S. Martini de Campis, Parisiis, assumptus anno 1572. Viuebat adhuc tempore Belforestii 1576. cum hæc scriberet.

Bosnenses, in Russia.

S. BONIFACIVS Saxo, & Ottonis Imp. consanguineus, Monachus S. Alexij Romæ, & S. Romualdi Abbatis discipulus, a Pontifice Romano Bosnensis Archiepiscopus consecratus, & ad prædicandum Dei uerbum in Russiam missus, cum Regem, & populum ad Christi fidem adduxisset, ab ipsius Regis Fratre occisus, per palmam martyrij, euolauit ad Cœlos, die 19. Iunij, floruit anno 1000. *Augustinus in hist. Camald. part. 2. lib. 1. cap. 13. & alij.*

Bracarenses in Hispania.

S. FRVCTVOSVS, Hispanis, Monachus & Abbas Monasterii Dumiensis in Hispanius, promotus anno 655, a Patribus Concilii Toletani decimi, in locum Potamii Episcopi, fuit in ea potestate annis 10. obiitque anno 664. die 16. calendas Maii. *Flores SS. Hispaniæ Morales lib. 12. c. 33. & 35. & alij.*

Bremenses in Saxonia,

1 S. ANSGARIVS, Monachus & Abbas Monasterii S. Petri Corbeiæ Gallicæ, creatus ex Hamburgensi, Archiepiscopus Bremensis primus à Sergio PP. II. anno Domini 845. Populum sibi commissum rexit an. 14. Vnitis autem Bremensi & Hamburgensi Ecclesiis à Nicolao Papa I. an. 858. ijsdem præfuit, annis 7. in toto annos 21. sedit. Obijt anno 865. die tertio nonas Februarii, Bremis in Cathedrali sepultus. Composuit plures Epistolas, quæ iniuria temporum perierunt. *Trittemius lib. 4. c. 84. Crantzius in metropoli lib. 1. c. 41. & 42. & Albertus Abb. Stadensis in chronico.*

2 S. REMBERTVS, Flander, oppido Turholto, Monachus Monasterij Turholtani, deinde S. Ansgarii in Abbatiæ regimine, & Archiepiscopatus, successor, creatus anno 865. sedit annos 23. Consecrationem accepit a Lutberto Moguntino Præsule; Pallium uero à Nicolao

colao Pontifice Rom. Migrauit à sæculo anno 888. die tertio idus Iunii, siue ut aliis placet pridie Nonas Februarii. Composuit nonnulla opera, uidelicet. De Virginitate. lib. 1. Epistolarum lib. & Vitam S. Ansgarii lib. 1. qui excusus est. *Trittemius lib. 4. c. 89. Molanus in Indiculo, Meierus, & alii citati.*

3 S. ADALGARIVS, Germanus, Monachus Corbeię in Saxonia, creatus in demortui S. Remberti locum anno 888. consecrationis munus accepit a Lindroldo Moguntino Archiepiscopo, seditq; tempore difficili Barbaricæ vastationis an. 20. Obijt an. Christi 909. Idibus Maij, ut vult *Trittemius lib. 3. c. 214. & lib. 4. c. 92.* siue, septimo Idus Maij, ut scribunt *Albertus in Chro. & Crantzius Metr. lib. 2. c. 24.*

4 S. HOGERVS, Germanus, Saxo, Monachus Corbeiæ in Saxonia, surrogatus Adalgario anno 909. Ordinatus est ab Archiepisco po Colonienſi, contendentibus alijs de eius consecratione, præfuit annis 7. obijtque anno 915. die 4. cal. Ianuarij, vt Crantzius ait Metrop. lib. 3. cap. 3. siue ut Albertus Stadensis refert. 13. cal. Ianuarij. Eius Monachatum aperit. *Crantzius lib. 2. cap. 24.*

6 S. VNNI, siue Vuimo, vel Vimo, diuersimodè enim a diuersis vocatur, Monachus Saxonicæ Corbeiæ, creatus in locum Reginuardi Episcopi, anno 916. diuinitus; onus sibi impositum sustinuit annos 18. Migrauit a sæculo anno 936. die duodecimo calen. Nouembris, Bircæ, totius Suediæ ac Gothiæ Metropoli. *Trittemius. lib. 4. ca. 95. & alij citati.*

8 S. LVBENTIVS, Italus Monachus, & Abbas Hirsfeldensis, in Adaldagi Præsulis locum substitutus anno 988. mense Maii, primus omnium consecrationem accepit a suffraganeis suis, obiitque sanctitate, & miraculorum gloria clarus anno 1013. pridie Nonas Ianuarii, regiminis sui anno 25. & in medio chori ante gradus Sanctuarii sepultus est. *Trittemius lib. 4. cap. 111. Albertus Stad. in Chron.*

36 D. BALDVINVS a Vuonden, Monachus & Abb. S. Michaelis in Luneburgo, creatus anno Domini 1436. sedit annos 7. & sæculum reliquit anno 1442. *Trittemius lib. 4. cap. 127. Crantzius in Metropoli lib. 11. cap. 36.* Quod autem vocetur a Trittemio 41. illius sedis Episcopus, hoc ideo accidit, quod duos Episcopos Hanburgenses, & tres Bremenses, antequam ambæ illæ Ecclesiæ coniungerentur, enumeret.

Burdegalenses in Vasconia.

D. GVLIELMVS, Anglus, Monachus & Abbas Radingæ in Anglia, creatus anno 1173. siue 1174. quot annis præfuerit, aut quan-

do ex hac luce migrauerit, mihi hactenus incompertum. *Matthæus Vuest. ad annum 1173. & Democharis de sacr. Missæ To. 2. c. 26*

D. ANDREAS d'Espinay, Armoricensis Gallus, Monachus & Prior S. Martini de Campis, ex Archiepiscopo Arelatensi, Burdegalensis factus; non multo post Lugdunensis, & tandem S. R. E. Cardinalis renunciatus est anno 1489. *Belforestius de Monachatu; & Leonardus Sarracenus apud Democharem de Sarif. Missæ Tomo 2. cap. 27. in Catalo. Archiep. Lugdun. de Archiepiscopatu.*

Archiepiscopatus de Littera C.

Cantuariæ qui & Dorouernenses, in Anglia.
Cap. XX.

1. SANCTVS Augustinus, Italus, Romanus, Monachus & Præpositus Monasterij S. Andreæ Romæ, in cliuo Scauri, Ordinis S. Benedicti, missus in Angliam ad illius gentis conuersionem, a S. Gregorio Papa I. cum aliquot Socijs Monachis anno Domini 596. cum Edilbertum Cantiæ Regem sexto post anno sua prædicatione ad Christum adduxisset, Arelatum profectus ab illius sedis Archiepiscopo Etherio, (quem Greg. Tur. lib. 9. cap. 23. Licerium vocat) primus Dorouernensis, siue Cantuariensis Archiepiscopus consecratus est anno Domini 602. Præfuit autem eidem Ecclesiæ annis plus minus octo, conuersioni infidelium, prædicationibus, & augmentationi Ecclesiarum toto illo tempore semper intentus. Cursu vero peregrinationis suæ laudabiliter, in omnibus sanctitatis operibus, expleto, ad Dominum migrauit anno 609. die septimo calendas Iunij, iuxta Ecclesiam Monasterij SS. Apostolorum Petri & Pauli sepultus: ad cuius tumulum sequens olim legebatur Epitaphium.

Hic requiescit Dominus Augustinus, Dorouernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc a Beato Gregorio, Romanæ Vrbis Pontifice, directus, & a Deo operatione miraculorum suffultus, & Edilberthum Regem, & gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officij sui defunctus est, septimo calendas Iunij, eodem Rege regnante.

Beda

Beda in hist. Angl. lib. 1. a capite 21. ad 33. & lib. 2. cap. 2. & 3. Trittemius lib. 4. cap. 48 & alij infiniti.

2 S. LAVRENTIVS, Romanus, Monachus S. Andreæ, Romæ, eiusdem S. Augustini indiuiduus comes, & in Euangelica messe cooperator, idcirco, ut ait Beda, ab ipsomet S. Augustino cum adhuc uiueret ordinatus, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam Pastore destitutus, vacillare inciperet: Gradu igitur Archiepiscopatus potitus, strenuissimè fundamenta Ecclesiæ nobiliter iacta, per annos tredecim quibus eam rexit & gubernauit, studuit augmẽtare. Decessit autem anno Christi 621. quarto Nonas Februarii: & iuxta prædecessorem suum sepultus est. *Beda lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 7. Trittemius lib. 4. cap. 49. & Matthæus Vuestmonasterienſis in floribus historiarum ad annum 621.*

3 S. MELLITVS, Monachus & Abbas Romanus, ex Londonienſi sede, ad Cantuarienſem cathedram post S. Laurentium anno 621. euectus: in ea sedit annos quinque: quibus finitis præmium sui laboris percepit anno 625. die nono calendas Martii. *Beda lib. 2. cap. 7. Trittemius lib. 2. cap. 50. & alij.*

4 S. IVSTVS, Romanus, Monachus & ipse Romanus, Rofenſis Ecclesiæ, cuius erat Episcopus, administratione post habita, Cantuarienſi præfectus est anno 625. eique præfuit annis plus minus quinque, obiit enim anno 630. die quarto Idus Nouembris. *Beda. lib. 2. c. 8. Trittemius lib. 4. cap. 51. & Matthæus Vuestm. ad an. 625. & 630.*

5 S. HONORIVS, Romanus, Monachus Romanus, vt putatur, Sancti Andreæ quinto loco ab Augustino consecratus est Cantuarienſis Ecclesiæ Antistes, a S. Paulino Eboracenſi Præsule, anno 630. primusque Pallium Archiepiscopatus accepit ab Honorio Papa I. fuit in potestate annis 23. ac obiit anno Domini 654. pridie calendas Octobris; quo defuncto vacauit sedes annum 1. & menses 6. *Beda lib. 2. cap. 18. & 19. & lib. 3. cap. 20. Trittemius lib. 4. cap. 54. Matthæus, & alij.*

6 S. DEVSDEDIT, seu Theodatus, Anglus, Saxo Occidentalis, & Monachus cuiusdam cœnobii in Anglia, ordinatus est sextus Cantuariæ Archiepiscopus a Thamare Rofenſe Episcopo, die septimo calendas Aprilis, anno 656. Cum autem eam Ecclesiam rexisset annos nouem, menses quatuor, & dies duos, plenus dierum obiit anno Domini 665. Idibus Iulii, cui successit Damianus quidam de gente Saxonum Australium. *Beda lib. 3. cap. 20. Trittemius lib. 4. cap. 56.* Matthæus tamen Deusdedit mortuo, dicit sedem uacasse

annos

annos quatuor, sed errare conuincitur, ex ijs enim anni duo dandi sunt Damiano Archiepiscopo, quem ipse omittit, sed Beda eum enumerat; & alii duo anni tribuendi sunt S. Theodoro, antequam Angliam intraret.

8 S. Theodorvs, a Tharso Ciliciæ, Græcus, Monachus Romanus, a Vitaliano Papa Archiepiscopus Cantuariensis die septimo calendas Aprilis in Dominica, anno 668. Romæ consecratus: iter Angliam versus arripuit, una cum S. Adriano Abbate, die sexto calendas Iunii; eodemque die in Dominica Angliam ingressus est anno 670. qui erat secundus ab eius discessu ex Vrbe. Sedit autem annos 21. menses 3. & dies 26. Senex obiit die decimotertio calendas Octobris anno 690. ætatis suæ 88. Quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse iamdudum sommi reuelatione doctus, suis prædicere solebat. Sepultus est in Monasterio SS. Petri & Pauli, cum suis prædecessoribus. Cuius personam, vitam, uirtutem, & obitum, Epitaphium monumenti ipsius, versibus Heroicis triginta & quatuor palam ac lucidè cunctis illo venientibus olim pandebat. Quorum primi sunt hi.

Hic sacer in tumba, pausat cum corpore Præsul,
Quem nunc Theodorum, lingua Pelasga uocat.
Princeps Pontificum, fœlix, summusq; Sacerdos,
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Vltimi autem hi.

Namque diem nonamdecimam Septembris habebat,
Cum carnis claustra spiritus egreditur:
Alma nouæ scandens fœlix consortia uitæ,
Choris Angelicis iunctus in arce poli.

Vacat eo mortuo sedes an. 1. mens. 9. die 11. *Beda lib. 3. c. 23. et 30. lib. 4. a capite 1. ad 22. & lib. 5. cap. 8. Trittemius lib. 4. c. 60. Matthæus, & alij.* Scripsit Epistolas plures; & de Pœnitentia, lib. 1.

9 S. Berechtvaldvs, seu Brithuualdus, Anglus, Monachus & Abbas Monasterii Rachuilfe, Theodoro post annum unum, mens. 9. & dies 11. uacantis sedis, an. 692. substitutus est, die primo mensis Iulii: & anno sequenti, tertio cal. Iulii in Dominica a Godune Metropolitano Galliarum Episcopo, consecrationis suæ munus accepit. Incepit autem munus Episcopale in sede sua exercere eodem anno pridie cal. Septembris in Dominica. Migrauit a sæculo anno Dominicæ Natiuitatis 731. die 5. Idus Ianuarii, potestatis suæ anno 39. *Beda lib. 5. c. 9. Trittemius lib. 4. c. 65. Matthæus, & alij.*

S. Ta-

10 S. TADVINVS, Mercius, Anglus, Monachus cœnobij Bruitinensis in Anglia, creatus anno 731. die 4. Idus Iunij consecratus est: præfuit annis tribus, obijtque anno 735. *Trittemius lib. 4. cap. 69. Polydorus lib. 6.*

14 D. LAMBERTVS, Anglus Monachus & Abbas SS. Petri & Pauli, quod cœnobium S. Augustinus construxerat; creatus anno 760. fuit in officio annis 27. Obiit anno 787. *Polydorus in hist. Angl. lib. 6. & alij.*

15 D. ADELARDVS, siue Ethelhardus vel Æthelhardus Monac. & Abbas Malmesburiensis, Anglus, creatus anno 787. sedit annos 13. migrauitque anno 800. *Monachus continuator Bedæ lib. 1. c. 15.*

24 S. DVNSTANVS, Anglus, Monachus, & Abb. Glasconiensis, ex Episcopo Londoniense, & Vuigorniense, factus est Cantuariensis Archiepiscopus 24. anno Domini 973. quod munus exercuit per annos 28. cæleste regnum assequutus anno ætatis 79. Christi Domini 1001. die 14. calen. Iunii. Scripsit nonnulla opuscula, videlicet

In Regulam S. Benedicti Tractatum paruum, qui excusus est in Belgio, in octauo.

De ordinatione cleri lib. 1.

Epistolarum contra Regem Eduinum, lib. 1.

Polydorus lib. 6. & 7. Trittemius lib. 4. cap. 100. & alij.

25 D. ÆTHELGARVS, Monachus & Abbas Monasterii Noui apud Vuintoniam, ex Episcopo Selesience, S. Dunstano anno Domini 1001. surrogatus, Ecclesiam sibi commissam strenuè cum gubernasset vno anno, obiit anno 1002. uel 1003.

26 D. ÆLFRICVS, qui a Polydoro uocatur Aluricius seu Alurcdus, Monachus & Abbas Abbendonensis, Æthelgarum immediate subsequutus, ouibus suis uerbo & exemplo profuit. Obiit anno Domini 1004. regiminis sui secundo incepto.

ANNOTATIO.

Horum duorum Monachismum probat Matthæus Vuestmonasterienſis ad annos 988. & 989. quibus annis principium regiminis eorum annotat. Sed errorem esse in impressione ex eo auguror, quod præfato anno 988. prædictus Aethelgarus ex Abbate Monasterij Noui creatus sit Episcopus Selesiencis, & verisimile est, quamuis illud ab auctore non prodatur, eundem aliquot annis sedi illi præfuisse antequam ad Cantuariensem euocaretur: sequimur igitur in annorum numeris digerendis diligentissimum Polydorum, qui lib. 7. horum annorum computationem in dubium reuocat, ex temporumq; ratione, hos non nisi annis 1001. & 1003. creatos,

tos,apertissimè demonstrat; tres enim qui S.Dunstano immediate succesſerunt vsque ad S.Aelphegum,annos octodecim sedisse refert; cui & consentit Matthæus præfatus, Siricio enim sexdecim, Aethelgaro uero & Aelfrico, duos,attribuit; & cum S.Aelphegus,ut rectè annotat Polydorus, martyrio coronatus legatur anno Domini 1025. regiminis sui anno sexto, sequitur vt horum quoque creatio, annis 1001. & 1003. rectè posita,dicatur. Si quis tamen aliter sequi voluerit,non improbo.

28 S. Ælphegvs Anglus, Monachus & Abb.Monasterii,quod Balneum uocatur, in Anglia, ex Episcopo Vuintonienſe, assumptus est anno 1019.Martyrio coronatus est a Danis die decimo tertio calendas Maii, anno Christi 1025. regimis sui 6. ætatis 59. *Polydorus lib.8.Trittemius lib.4.cap.113.& alij.*

30 S. Ægelnotvs siue Aethelnothus Anglus,Monach. in Anglia,creatus est anno Domini 1030. sedit annos 8.Obiit anno 1038. die 3.cal.Nouembris. Scripsit inter cætera,In laudem Beatæ Marię, lib.1.& Epistolarum, lib.1. *Trittemius lib.3.cap.247.& alij.*

34 S. Lanfrancvs, Italus,Papienſis,nobilissima familia Beccaria ortus,Monachus Beccenſis, deinde Abbas Monasterii S. Stephani Cadomi in Normandia, uir sua ætate doctissimus, ad regimen Cantuarienſis Ecclesiæ sublimatus anno Domini 1070.sequenti anno, die octauo calendas Maii, consecrationis munus accepit. Prouinciam sibi commissam, summa cum sua laude gubernauit annos 19. & miraculorum gloria, ac doctrinæ laude clarus,migrauit a sæculo anno 1089. die quinto Nonas Iulii. *Trittemius lib.4.cap.119. Polydorus lib.9. & 10. Neubrigenſis lib.1.c.1. & alij.* Vacauit eo moruot sedes Cantuarienſis,annos 4.

35 S. Anselmvs, Italus,Longobardus;ex Augusta Taurinorũ originem ducens: Monachus,& Abbas Beccenſis in Notmandia,anno quinto iam incipiente uacantis sedis creatus Cantuariæ Archiepiscopus,anno uidelicet 1093. consecratus est pridie nonas Decembris:eo munere functus est annis 16.& sanctitate,& doctrina prędarus obiit, anno Domini 1109. ætatis 76.die Iouis Sancto,vndecimo calendas Maii. Vacauit sedes eo mortuo annos ferè. 5. *Polydorus lib. 10. & 11. Trittemius lib.4.cap.122.Neubrigenſis lib.1.cap.2.& alij.*

36 D. Radvlphvs, seu Rodulphus,Monachus & Abbas Sagienſis cænobii, anno 1114. qui erat a morte S.Anselmi quintus, Ecclesiæ Cantuarienſi Prælatus electus est die 6.cal.Maii: & anno 1115. die 5.cal.Iulii,ab Anselmo Legato Apostolico consecratus, & Pallio ornatus, præfuit annis plus minus 9.fuerat autem ante Episcopus

Roffen-

Roffenſis, Obiijt anno 1122. *Guglielmus Neubrigenſis lib.1.c.3. Polydorus lib.11.*

37. D. GVGLIELMVS de Curboilo, Monachus & Prior de Cicche, in locum Radulphi creatus, præfuit annis 14. obiitque anno 1136. *Matthæus Vveſtm.ad annos* 1122. 1123. & 1136.

38. D. THEOBALDVS, Anglus, Monachus, & Abbas Beccenſis, ſtatim ut ad illam ſedem aſſumptus eſt anno Domini 1141. Romam protinus perrexit, ubi accepto de more Pallio, legatus ab Innocentio II. Romano Pontifice factus eſt. Quod munus poſtea manauit ad omnes Cantuarienſes Epiſcopos, ut Legati nati dicantur. Eccleſiam ſibi creditam rexit annos 22. omnibus, piis maximè, ac doctis carus; ad Patres ſuos translatus anno 1163. Quo defuncto uacauit ſedes, annum unum. *Neubrigenſis lib.1.cap.5. Trittemius lib.4.cap.125. Polydorus lib.13. & alij.*

40. D. RICHARDVS, Anglus, Monachus, & Prior Monaſterii Douerenſis in Anglia, in demortui S. Thomæ martyris locum reſtitutus an. 1170. (recuſante Roberto Monacho & Abbate Beccenſe, qui ante eum electus, electioni de ſe factæ aſſentiri noluerat, pietate & Religione ductus) quatuordecim poſt annos, 1184. videlicet, uitam cum morte commutauit. *Neubrigenſis lib.2. cap.25. & lib.3. cap.1. & 8. & Matthæus Vueſtm. ad annos citatos.*

44. D. REGINALDVS, Monachus & Supprior Monaſteriis S. Saluatoris Douerenſis ſiue Cantuarienſis, a Monachis in locum Huberti, electus & confirmatus anno Domini 1205. non longe poſt ab eiſdem reprobatus eſt, ob ſacramenti quod Monachis promiſerat, reuelationem; & eius loco Ioannes de Gray Epiſcopus Noruuicenſis ſubſtitutus. *Matthæus ad annum* 1205.

47. D. VVALTERVS, Monachus Cantuarienſis, Stephano Epiſcopo ſubſtitutus, paulo poſt a Rege reprobatus eſt, anno 1229. & in eius locum Richardus Archiepiſcopus creatus. *Matthæus ad annum* 1229.

49. D. IOANNES, Monachus & Prior Cantuarienſis, unanimiter electus anno 1232. & a Rege approbatus, cum Romam profectus fuiſſet ut electionem de ſe factam impetraret a ſede Apoſtolica confirmari: a Romano Pontifice perſuaſus, qui eius quidem ſanctitatem admirabatur, ſimplicitatem tamen minus idoneam tanto oneri iudicabat, in ſpiritu lenitatis, electioni de ſe factæ humiliter renunciauit, & ad ſuum Monaſterium rediit: eiusque loco quidam Ioannes Blundus creatus eſt. *Matthæus ad annum* 1232.

60. D.

60. D. SIMON Langham, Monachus & Abbas Vuestmonasterienſis, ex Epiſcopo Elienſe, anno 1366. Simoni Islepo, Archiepiſcopus ſubſtitutus, ita in regimine ſe geſſit, ut biennio poſt in purpuratum numerum ſociari meruerit. Obiit anno 1376. die 22. Iulii. *Thomas Vualſingham in hiſt. breui, ad annos* 1349. 1366. *&* 1376.

Capuani in Campania.

2. D. LEO, Monachus Monaſterii Caſinenſis, poſt mortem Ioannis qui primus Archiepiſcopus creatus fuerat a Ioanne Papa XIII. anno Domini 968. petente Landulfo Capuano Principe, prædicti Ioannis Epiſcopi Fratre, Capuanam aſcendit ſedem circa annum Domini 980. paulo ante, uel poſt, quam tenuit annos quatuor, & menſes ſex.

3. D. GERBERTVS, eiuſdem Monaſterii Caſinēſis Monachus, Leoni mortuo ſurrogatur, & cum aliquot annis Eccleſiam ſibi concreditam ſtrenuè adminiſtraſſet, ad Patres ſuos appoſitus eſt, die duodecimo cal. Februarii. *De his duobus Leo Oſtienſis in Chronico Caſinenſi lib. 2. cap. 9.*

Cæſar Auguſtani in Hiſpania.

D. GVLIELMVS de Agrifolio, Monachus Cluniacenſis, renunciatus eſt Archiepiſcopus & S.R.E. Presbyter Card. a Clemente Papa VI. anno 1350. & cum laudabiliter præfuiſſet annis 19. Viterbii obiit anno 1369. die quarto nonas Octobris, ibidem in Eccleſia S. Trinitatis ſepultus. *Chron Cluniac. & Panuinus in Epitome.*

Colecienſes in Hungaria, ſiue Colecenſes.

S. ANASTASIVS, Aſtricus antea vocatus, natione Italus, Monachus item Italus, & Abbas, S. Alexij Romæ, cum publica vtilitate commotus ad prædicandum Dei verbum, cum aliquot ſocijs Monachis, in Hungariam, iam in fide adoleſcentem, vltrò profectus eſſet, allectus quoque ſanctitate Regis Stephani, ab eodem honorificè exceptus, primum Abbas S. Benedicti ad radicem Montis Ferrei (quod cœnobium ipſe Rex tunc primum conſtruxit, & ingenti donatiuo, multisque prædijs pagisque donauit) conſtitutus eſt: deinde cum moribus & doctrina præſtās videretur Colecenſis Eccleſiæ, primus ab eo Archiepiſcopus creatus & conſecratus eſt anno Domini 1000. & Aſtrico nomine antiquato, Anaſtaſius vocatus. Legatus etiam ad ſummum Romanum Pontificem, pro Regni negotijs, miſſus, eam prouinciam libenter ſuſcepit, & maiori, quam credebatur, laude perfecit: omnibusque rectè peractis, coronam auream & Crucem Regi deferens, in Pannoniam ſe recepit. Poſtmodum Sebaſtiano

bastiano Strigoniense Archiepiscopo luminibus priuato, vtrique Ecclesiæ, suæ scilicet & Strigoniensi in omni sanctitate præfuit: eoque sanitate donato ad Ecclesiam suam rediens, miraculis & sanctitate clarus, quieuit in Domino. Floruit ab anno Domini 1000. vsque ad 1030. vel circa. *Antonius Bonfinius rer. Hung. decadis 2. lib. 1.*

Colonienses, siue Agrippinenses, in Germania.

S. AGILOLPHVS, Monachus Ordinis S. Benedicti. Coloniensis Archiepiscopus creatus circa annum Domini 700. exemplo Boni Pastoris, pro ouibus suis animam suam posuit, & martyrij palma coronatus cœlos petijt, die septimo, Idus Iulij. *Petrus Cratepolius de Episcopis Germaniæ in Hugone Citizensi Episcopo.*

S. HERMANNVS, Monachus & Abbas S. Panraleonis Coloniæ, floruit circa annum Domini 1060. ministerioque suo laudabiliter peracto, appositus est ad Patres suos. *Cunradus Monachus, in vita S. Vuolphelmi apud Surium die 22. Aprilis.*

Compostellani, in Gallicia Hispaniæ.

1. D. DALMACHIVS Gallus, Monachus Monasterij Cluniacensis, & Episcopus Irienſis, qui & Compostellanus vocabatur, ab Vrbano Papa II. Monacho Cluniacense, creatus & consecratus est primus Compostellanus Galliciēsis Archiepiscopus, anno Christi 1096. uel 1095. Quo anno tamen obierit mihi hactenus incompertum. *Ioannes Vaseus in Chronico. cap. 21.* Huius Dalmachii talis extat apud MS. Chron. Cluniacense memoria.

His diebus dedicata fuerunt altaria intra ambitum eius consistorij, quæ sunt in numero 26. Inter quæ fuit consecratum altare S. Iacobi a Domino Dalmacio Episcopo eiusdem S. Iacobi Apostoli: qui huius Monasterij Cluniacensis fuerat Monachus. De qua re habetur Epygramma in dicta Capella, in modum qui sequitur.

Hoc Altare constructum est, a Donno Dalmacio Sancti Jacobi Apostoli Episcopo, & istius loci Monacho, in honorem eiusdem Beati Jacobi, ac omnium Sanctorum. In quo continentur plures Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina non sunt scripta, nisi de duobus, videlicet, Enniterij, & Celidonij, Martyrum.

Cracouienses in Polonia.

7. D. AARON, Gallus, Monachus Cluniacensis, & Abbas Tinecensis in Polonia, uir integritatis summæ, & pietatis eximiæ, a toto Canonicorum collegio summis uotis expetitus, assentiente etiam Rege Casimiro, quondam cœnobii Cluniacensis Monacho, Pontifex renunciatus, opinionem de se conceptam non fefellit. Vixit sub

eodem.

eodem Rege anno Domini 1050. *Martinus Cromerus in historia Poloniæ, lib. 4. in Casimiro Rege; & alij Polonici scriptores.*

Archiepiscopatus de littera D.

Dolenses in Britannia minori. Cap. XX.

1 SANCTVS Samson, Brito, Monachus, & Abbas Monasterii Dolensis, consecratus est primus Metropolites Dolensis anno Domini 566. a Patribus Concilij Parisiensis, & potestate sibi tradita, laudabiliter expleta, ad Dominum migrauit circa annum Christi 600. administrationis suæ anno 35. die quarto calendas Augusti. *Trittemius lib. 4. cap. 46. Cœnalis lib. 2. perioche 6. & alij.*

2. S. MAGLORIVS, Brito, Monachus, & Abbas Dolensis, anno circiter 600. Samsoni substitutus, in omni sanctitate uitam traduxit, & miraculis clarus migrauit ad Christum, anno, ut nonnulli scribunt 612. regiminis sui 13. die 24. Octobris. *Trittemius lib. 4. cap. 47. & alij citati.*

D. IOANNES, Gallus, Monachus, & Abbas Dolensis, S.R.E. Cardinalis creatus ab Eugenio Papa III. circa annum Domini 1146. postea factus est Archiepiscopus Dolensis. *Luchinus in suis colloquijs MS.*

D. SYMON, le Maire, Monachus & Abbas Maioris Monasterii in Gallia, creatus circa annum 1340. paulo ante uel post. *Demochares Tomo 2. cap. 18.*

Dublinenses in Hybernia.

S. LAVRENTIVS, Hybernus, Monachus & Abbas Monasterii Glindalacensis, creatus Archiepiscopus circa annum Domini..... Sanctorum Catalogo adscriptus est anno 1226. ab Honorio Papa III. Obiit anno..... die decimooctauo calendas Decembris. *Surius in eius uita, die 14. Nouembris.*

Archie-

Archiepiscopatus de litera E.

Eboracenses in Anglia. *Cap. XXII.*

SANCTVS Paulinus, Italus, Romanus, Monachus etiam Romanus, in Angliam cum S. Augustino, à B. Gregorio, ad prædicandum Euãgelium missus, cum Regem Nordahumbrorũ Eduuinum sua prędicatione ad Christi fidem conuertisset, à Iusto Cãtuarien si Archiepiscopo, ex Episcopo Therofenẽsi anno Domini 625. die 12. calend. Augusti, consecratus est primus Eboracensis Archiepiscopus; quo honore functus est vsque ad annum 634. Eo enim anno Eduino Rege ipsis idibus Octobris interempto, in Cantiam cum Aethelburga Regina, regijsque filiis rediens; ab Honorio Archiepiscopo Roffensi Ecclesiæ præfectus, eam sedem vsque ad mortem tenuit; quæ contigit anno Domini 654. regiminis Eboracensis, anno 29. Roffensis verò anno 19. mense 2. die 21. Sepultus est in Ecclesia S. Andreæ ciuitatis Roffensis, die 6. idus Octobris. *Beda, libr. 2. Histor. Angl. à capite 9. ad 21. Matthæus Vvestmonasterienſis in flor. Histor. Trittemius, libro quarto, capit. 53. & alii infiniti.* Vacauit sedes annos 10.

2 S. VVILFRIDVS, Anglus, Monachus Streneshalcensis, & Abbas Ripensis in Anglia, anno 664. vacantis autem sedis anno 10. ab Osuuio Rege in Galliam ad Aegilbertum Episcopum Parisiensem missus, ab eodem Archiepiscopus Eboracensis, consecratus est. Sed cum ibidem diutius paululum demoraretur, Ceadda ei surrogatur; quo anno 670. quod non rectè ordinatus esset, à Theodoro Archiepiscopo Cantuarien si, ab administratione semoto, Vuilfridus suæ sedi restituitur. Anno autem 678. contentione quadam inter ipsum, & Regem Egfridum orta, ab ea iterum pellitur, & eius loco Bosa Monachus Episcopus consecratur. Pulsus verò Romam adire cum proponerer, uoluntate Diuina flantibus uentis in Hollandiam, & Frisiam appellens, Agilulfum Regem, salutari lauacro abluit, suaque prædicatione multos etiam Gentilium ad Christi fidẽ perduxit. Eo autem nouennio post reuocato, anno 687. & honori pristino restituto, quorundam inuidorum morsibus agitatus, & Alfrido Regi accusatus, ab eodem iam tertiò de sede sua deturbatus, anno 692. coram summo Pontifice causam suam egit, à quo innocens

declaratus, & cum bullis Pontificiis ad Regem remissus, eo quidē viuente Ecclesiam suā intrare non ualuit; sed eo paulo post an. 705. defuncto, ab Osredo Rege, qui post eū regnauit Patribusq; Synodi iuxta flumen Nid collectę, post aliquātum vtriusq; partis conflictum, cunctis tandem fauentibus, in Præsulatum Ecclesiæ suæ receptus est. Sicque alijs annis quatuor in pace uitam ducens, quieuit in Domino, anno Christi 711. regiminis assumpti 45. die 4. idus Octobris in Monasterio suo quod habebat sub regimine Cuthbaldi Abbatis in Imdalum prouincia. Sed postea ministerio Fratrum perlatus est in primum suum Monasterium S. Petri Ripensis, & ibidem sepultus iuxta altare ad austrum. *Beda in Hist. Angl. lib. 3. ca. 28. & lib. 4. c. 11. & sequentibus. Matthæus in Flor. Histor. Polydorus, lib. 4. Trittemius, lib. 4. c. 63. & alij permulti.*

3 S. Ceadda, S. Ceddæ frater, Anglus, Monachus, & Abbas Monasterij Lestingensis, S. Vuilfrido in Gallia remorante, in eius locum à Vuina, Occidentaliū Saxonum Episcopo, sic perente Osuuio Rege, Archiepiscopus ordinatus anno 664. septennio post an. 670. tanquam non legitimè consecratus, à Theodoro Archiepiscopo à regimine semotus, ut erat uir pius, sanctus, & modestus, humiliter cessit, & Episcopatum Lichefeldensem regendum suscipit. Quem cum annis duobus, & mensibus sex administrasset, ad Monasterium rediens, paulo post circa annum Domini 672. miraculis clarus ex hac uita migrauit, sexto nonas Martij. *Beda, lib. 3. c. 28. Hist. Angl. Matthæus Vvestm. in Flor. Hist. & Trittemius, lib. 4. c. 59. & 150.*

4 S. Bosa, Anglus, Monachus Streneshalcensis in Anglia, uir doctus, & religiosus, Vuilfrido, secundò sede sua pulso, Eboracensibus à Rege Episcopus anno 678. datus, nouem annis populum suū prudentissimè gubernauit, donec ab eodem cedere coactus, sedem ipsi Vuilfrido restituere iussus est, ann. 687. *Beda in Hist. Angl. lib. 4. c. 12. Matthæus Vuestm. & Trittemius, lib. 4. cap. 64.*

5 S. Ioannes, Anglus, Monachus Monasterii Hildæ, siue Streneshalcensis, ex Episcopo Hagulstadense, Sancto Vvilfrido an. 711. successor datus, præfuit suæ Ecclesiæ annis plus minus decem, & doctrina, & sanctitate clarus migrauit in pace in Monasterio S. Petri in Silua Deirorum, anno 721. die nonarum Maii, ibidem in porticu Ecclesiæ sepultus. *Beda, lib. 5. à cap. 2. ad 6. Matthæus Vvestmon. Trittemius, lib. 4. c. 68. & 170. & alij.* Scripsit Homilias nonnullas in Euangelium Lucæ, & alia nonnulla.

16. 19 S. Osvvaldvs, Gallus, Monachus Floriacensis in Gallia,

lia, ex Episcopo Vuigornienſe, 16. ut Matthæus Vueſtm. habet quî dicit Oſcitello ſucceſſiſſe; ſiue ut Polydorus ſcribit, ſucceſſorẽ Adelualdi conſtituens, 19. Eboracenſis Præſul, creatus ſecundum Polydorum anno 956. uel ſecundum Matthæum anno 972. præfuit in omni ſanctitate annis plus minus uiginti & uno, & bonis operibus plenus obiit anno, ut uult Polydorus 979. uel ut habet Matthæus, anno 992. pridie calendas Martii. *Polydorus, & Matthæus, præfati, & Trittemius, libro 4. cap. 101.* Scripſit de Statutis Synodalibus Lib. 1.

ANNOTATIO.

In computatione annorum huius Pontificis, uidetur Polydorus, caſtigatione non modica indigere; cum enim conſtet S. Oſuualdũ, Sancto Dunſtano in regimine Vuigornienſis Eccleſiæ immediatè ſucceſſiſſe, qui S. Dũſtanus illi Eccleſiæ prælatus non legitur uſque ad annum 957. non potuit S. Oſuualdus anno 956. (ut uult Polydorus: dicit enim S. Oſuualdum mortem obiiſſe anno 979. regiminis ſui 23.) ipſi S. Dunſtano ſucceſſiſſe, cum nondum eſſet Epiſcopus. Errorem Polydori ex eo proueniſſe arbitror, quod annos S. Oſuualdi incæperit computare, non ab initio ſedis Eboracenſis, ſed à principio regiminis Epiſcopatus Vuigornienſis, quod notatur à Matthæo, anno 959. quibus ſi adiungantur anni 21. regiminis, rectè in annum 979. à Polydoro aſſignatum deſinent. Et hac occaſione deceptus Polydorus errorem non paruum ſuis cartis inſeruit. Rectius ergo Matthæus, cui hac in parte manum damus. Migrauit igitur S. Oſuualdus ann. 992. regiminis Eboracenſis 21. Vuigornienſis uerò anno 33.

17. 20 D. AELDVLPHVS, Anglus, Monachus, & Abbas Medeſhamẽſis, in demortui S. Oſuualdi locum ſubſtitutus anno 992. præfuit annis 10. & anno 1002. ex hac luce ſubtractus appoſitus eſt ad patres ſuos in ſenectute bona. *Matthæus Vueſtm. ad annum 992.*

Archiepiſcopatus de litera G.

Gneſnenſes in Polonia. Cap. XXIII.

BEATVS Gaudentius, Boiemus, Monachus Monaſterij Brounouienſis in Boiemia, & Sancti Alberti Epiſcopi, & martyris, qui eum fratris loco habebat, comes indiuiduus, & Monaſterii S. Bonifacii, ſiue Alexii Romæ aliquanto tempore alumnus; in Poloniam reuerſus ab eodem Metropolita ordinatur Gneſnenſis (non autẽ Pragenſis, ut non rectè habet Trittemius)

qui uitæ sanctimonia celebris,& celebritate hominum minimè gaudens,in senectute bona quieuit in pace.Floruit anno Domini 1000. *Ioannes Dubrauius in Hist.Boiem.lib.6. Trittemius,lib.4.c.99. & alii.*

Archiepiscopatus de litera H.

Hispalensis in Hispania. Cap. XXIIII.

S. BEANDER, Seuerini Ducis Cartagine nouæ filius,Monachus Monasterii S. Claudii, in ciuitate Legionensi, uir sanctitate, & morum grauitate, sapientiæque doctrina, clarissimus, & S. Gregorio I. Papæ amicissimus,Archiepiscopus factus,in Episcopali munere exequēdo uigilantissimus fuit, & sua prædicatione Reccaredum Regem, nepotem suum ex sorore,cum omni Visigothorum populo ab Arianismo ad gremium Ecclesiæ reduxit : & bonorum operum multiplicatione glorioſus, migrauit in cœlū . Floruit anno 590. obiitque an.603. tertio cal. Martii. *Trittemius,lib.4.c.130.& alij.*

S. ISIDORVS, cognomento Iunior, seu Minor, S. Leandri frater, & in regimine successor,& S. Gregorii Papæ I. discipulus,ac,ut aiunt, nostri Ordinis Benedictini Monachus , uir omnium disciplinarum genere instructissimus , ut eius scripta testantur. Creatus est Archiepiscopus, anno Domini 603. præfuitque ut auctor est S.Ildephonsus de uir.ill.annis ferè 40. Obiit anno 642. uel circiter,pridie nonas Aprilis; cuius corpus requiescit Bononiæ in Ecclesia RR. Patrum Cœlestinorum. Opera eius omnia,quæ extant,partim aliquando uirorum doctissimorum laboribus edita :partim uerò nunc primùm, exscripta, & castigata per D.Margarinum de la Bigne,Theologum Doctorem Parisiēsem,excusa sunt Parisiis,in folio;anno Domini 1580.

Etymologiarum Libri 20. & de summo bono, libri tres , excusi sunt Venetiis, anno 1483.in folio,& alibi aliquoties.

De Ecclesiasticis officiis, Lib.2. impressi sunt Romæ,in folio,cum cæteris scriptoribus de eadem materia:& item Parisiis in octauo, anno 1564.

Sententiarum, Lib.4. emendati per Garsiā Loaysam, excusi sunt Taurini, anno 1593. in quarto.

Cauendi ueniunt libri Originum eius uiginti, qui excusi sunt Basileæ

sileæ, apud Pernam, anno 1577. in folio; simul cum libris nouem Martiani Capellę de nuptiis Philologiæ, & Mercurii, & scholiis Bonauenturæ Vulcani Brugensis, in iis enim multa inserta, quæ Isidori nostri non sunt, & ex Hæreticorum more, etiam ueneno prauitatis hæreticæ respersi ueniunt.

De illustribus Ecclesiæ scriptoribus, Lib. 1. excusus cum aliis Coloniæ 1580. in octauo.

De reliquis eius operibus, si quæ separatim excusa sunt, ante oculos nostros non comparuerunt: quorum omnium Catalogũ si expetat Lector, Trittemium consulat. *Bugianus, & pictura Claustri Mantuani.*

D. Petrvs, Ferdinandi III. Regis Legionis filius, Monachus, & Abbas Vallis Oleti, & postmodum Hispalensis Archiepiscopus, aliquot annis eo magistratu usus, postea dispensatione Romani Põtificis sacerdotio abdicauit, & Christina, Daciæ Regis filia ducta, Dux Aluæ, & aliorum locorum factus est anno Domini 1250. *Genealogia Regum Hispaniæ, & alij.*

Archiepiscopatus de litera L.

Lindisfarnenses, siue Northumbriæ, in Anglia.
Cap. XXV.

1 Sanctvs Aidanus, Scotus, Monachus Monasterij Huii, seu Huensis in Hybernia, summus Lindisfarnensis Ecclesiæ Archipresul, creatus, & consecratus est anno Christi Do. 635. eoq; munere functus est ann. 17. sanctorumque numero associatus anno 651. pridie cal. Septẽb. *Beda, lib. 3. cap. 14. & 16. & in epitome: & Trittemius, libr. 4. cap. 136. & Matthæus Vuestmon. in Flor. Hist.* Scripsit in scripturas commentaria; Homilias, & alia nonnulla.

2 S. Finanvs, siue Sinanus, Scotus, Monachus Huensis, Aidanum sequutus anno 651. pauco tempore in Episcopatu permansit, decimo enim administrationis suæ anno, Christi 661. mortale solũ reliquit, cælestè petiturus. Scripsit librum de ueteris Paschalis ritu.

Trittemius, lib.4. cap.136. Democharesde Sacrificio Missæ, To.3.c.15. & 39. Beda, lib.3.cap.17.

3 S. COLOMANNVS, Scotus, Monachus Huensis, & Abbas Amaribacensis, præfuit annis tribus. Huius in victu temperantiam, in vestitu abiectionem, in maximis Reipub. negotijs prudentiam, multi illius sæculi Ecclesiastici sunt sequuti, pauci tamen assequuti. Tandem Episcopatu relicto ad Monasterium suum redijt anno 664. Et pauco post tempore, Britannia relicta, per multas regiones Germaniæ, uerbum Dei disseminauit, & in Austria à nonnulis Christi hostibus impiè trucidatus, per martyrium ad cælos euolauit, die tertio Idus Octobris. *Democharesi, locis citatis. Boetius in Hist. Scot. libro 9. Trittemius, lib.4.c.153.*

4 D. IVDAS, siue Tudas, Scotus, Monachus in Scotia, abdicante Colomanno, Episcopus consecratus anno 664. annis plus minus quatuordecim Republica bene administrata, laboris sui præmium accepit anno 678. *Trittemius, lib.4.c.155. Democharesi, & alij.*

5 S. EATTA, Anglus, Monachus, & Abbas Monasterii Mailros in Anglia, ex Episcopo Hagulstadensi, Iuda defuncto, Eboracensis creatus, ann.678. præfuit annis plus minus quinque usque ad annum 683. quo ad sedem suã priorem reuersus, Eboracensem S. Cuthberto dimisit, & paulo post miraculis clarus obiit anno 686. *Beda, lib.4.c.28. Trittemius, lib.4.c.169. Matthæus, & alij.*

6 S. CVTHBERTVS, siue Cudberechtus, Anglus, Monachus primum Mailrosensis sub S. Eatta Abbate, deinde Præpositus, Monasterij insulæ Lindisfarnensis, sub cura Sancti Boisili Abbatis, electus in Episcopum Hagulstadẽsis Ecclesiæ pro Trũberechto, qui ab Episcopatu fuerat depositus: Lindisfarnensem tamen sedem magis diligens quod in ea conuersatus semper fuisset, eã Hagulstadensi prætulit. Cædente igitur Eatta Archiepiscopus Lindisfarnẽsis creatus anno 683. non statim ordinari, & consecrari uoluit, sed peracta hyeme quæ imminebat, in ipsa solennitate Paschali, consecrationis munus accepit Eboraci, à Theodoro Cantuariæ Præsule, anno 684. præsente Ecgfrido Rege Northũbriæ, qui eodẽ anno mortuus est. Duobus autem annis in Episcopatu peractis, solitudinis impatiens repetijt Insulam, ac Monasterium suum, anno 686. Diuino enim admonitus oraculo fuerat, iam diem mortis sibi imminere, quæ accidit, anno sequenti 688. die decimotertio calendas Aprilis. *Beda, lib. 4.c.27.28.29.30.31.& 32. & lib.5.c.1. Trittemius, lib.4.c.168. Demecha-*

chares, & alij. Scripsit de uita Monastica, librum unum.

8 S. EDILVVALDVS, siue Aetheluualdus Monachus & Abb. Mailrosensis, in locum Eadberti Archiepiscopi creatus, anno Domini 698. peruenit usque ad annum 738, ut annotat *Trittemius li. 4. c. 179. & Matthæus Vvestm. in flor. Historiarum.*

24 D. AEGELRICVS, Monachus & Abbas Monasterij quod Burgum dicitur, cum aliquot annis Ecclesiæ suæ laudabiliter præfuisset, Episcopatu sponte relicto, ad Monasterium anno 1056. secedens, Monachum iterum induit, & annis duodecim illic exemplariter uiuens, anno tandem 1068. mortem obijt. *Matthæus Vvestm. in flor. Hist. ad ann. 1056.*

35 D. N. Monachus & Prior Dunelmensis, uir discretus & religiosus, concordibus animis in locum Richardi à Monachis anno Domini 1237. electus Episcopus, cum eius approbatio à Romano Pontifice diu nimis protraheretur, sponte electioni de se factæ renunciauit anno 1240. & ad Monasterium suum redijt. *Matthæus Vvestm. in flor. Hist. ad an. 1237. & 1240.*

38 D. ROBERTVS, de Stichil, Monachus Dunelmensis, & Prior de Finchale, Gulielmo Episcopo de medio sublato, in crastino S. Michaelis, unanimi assensu in pastorem & Epm electus, an. 1260. non nisi anno sequenti ab Archiepiscopo Eboracēsis, Idibus Februarij consecratus est apud Sutheuuel. Vir fuit elegans, discretus, & commendabilis, pluribusque annis in regimine laudabiliter consumptis, migrauit ad Dominum, *Matthæus Vvestmon. in flor. Hist. ad ann. 1260. & 1261.*

D. RICHARDVS, de Bury, Monachus Dunelmensis, Ludouico de Bellomonte anno Domini 1333. substitutus, circa festum S. Michaelis, & à Romano Pontifice, Rege Angliæ, & Archiepiscopo Eboracensi confirmatus, ab eodem paulo ante Natalem Domini, solenniter consecratus est. *Thomas Vvalsinghamius in Historia breui, in Eduardo III. Rege, ad annum 1333.*

Lugdunenses in Gallia.

42. 39 S. Genesius, Gallus, Monachus & Abbas cuiusdam Monasterii in Gallia, Lugdunensi Ecclesiæ tricesimonono loco, ut uult Saracenus, uel quadragesimo secundo, ut annotat Campegius, præpositus, aliquot annis gregem sibi commissum laudabiliter rexit. Vixit ann. Domini 640. *Trittemius, lib. 3. cap. 201. & lib. 4. cap. 58. Erat tamen in*

nomine Episcopatus uti annotauimus in Martyrologio nostro ad diem 14. Aprilis.

43. 40 S. LAMBERTVS, siue Landebertus, Tarnanensis, Gallus, Monachus & Abbas Monasterij Fontanellæ. in Gallia, S. Genesio circa annum Domini 660. successor datus, Sanctitate admirabilis euasit. Obiit anno ..... die decimooctauo calendas Maij. *Trittemius, lib. 3. cap. 96. recte Episcopum Lugdunensem agnoscit, sed lib. 4. c. 61. Bituricensem nominat. Hanc controuersiam enodauimus die 14. Aprilis.*

41 S. DESIDERIVS, Gallus, Monachus Luxouiensis, S. Lamberto immediatè succedens, miraculis clarus migrauit pridie idus Februarij. Floruit ann. 680. *Omittitur hic à Campegio in Catalogo Episcoporum Lugdunensium.*

69 65 D. GAVCHERANVS, uel Gouceranus, Monachus, & Abbas Athanacensis in Gallia, floruit anno 1100.

71 67 D. RAYNALDVS, (malè ab alijs uocatus Fainaldus) Monachus Cluniacensis, & Abbas Vigiliacensis, floruit tempore S. Petri Abbatis Cluniacensis anno 1120. & moriens, Cluniaci sepultus est cum sequenti epitaphio, ab ipso S. Petro Abbate composito.

Gloria Pontificum iacet hic præsul Rainaldus
Magnus, in exiguo conditus hospitio.
Vigiliacensis prius Abbas, post Patriarchæ
Lugduni, fuisit factus honoris honor.
Predia thesauri fastigia celsa loquuntur,
Quo studio primo præfuit illo loco.
Lugdunensis apex iunxisset cornua cælo,
Ni celer occasus subripuisset eum.
Cuius erat Monachus prope cuius ab ubere natus,
Accubat in gremio matre Clunace tuo.
Quem tibi commissum numero committe piorum,
Cumque suis precibus, fac penetrare polum.

78 74 D. GVICHARDVS, Monachus, & Abbas Poligniaci.

87 82 D. AYMARVS, Gallus, Monachus Monasterii Cluniacensis, cõsecratus à Gregorio Papa IX. an. Domini 1274.

88 83 D. RODVLPHVS, seu Radulphus, de Torreta Monachus in Gallia.

105 95 D. ANDREAS d'Espinay, Gallus, Monachus, & Prior S. Mar-

S.Martini de Campis,deinde Archiepiſcopus Arelatenſis, Burdegalenſis, & mox Lugdunenſis.poſtremo S.R. E.Card.anno 1489. factus eſt.

ANNOTATIO.

De his ſeptem incipiendo à S.Deſiderio, agunt Democharesde ſacrif. Miſſæ Tom.2.capit.27.& Belforeſtius in Catalogo Epiſcoporum Lugdunenſium in ſua Coſmographia. Numeri marginales antepoſiti, ſunt ſecundum denumerationem Campegij; poſtpoſiti uerò ſecundum calculum Sarraceni.

Archiepiſcopatus de litera M.

Magdeburgenſes in Saxonia. Cap. XXVI.

1 SANCTVS Albertus, ſiue Adalbertus Monachus Sancti Maximini Treueris, ab Othone I. Imperatore Metropolitanę Parthenopoleos Eccleſiæ electus Archiepiſcopus primus,anno 971. tredecim illi annis & menſ.octo cũ ſumma laude præfuit, ſtrenueq; Pontificatum adminiſtrauit, multosque Vvandalorum populos prædicãdo lucratus eſt Chriſto, in tantum ut etiam illorum Apoſtolus meruerit appellari. Subiiciuntur autem huic Metropolitæ, Epiſcopatus ſex, ſcilicet merſburgenſis, Miſnenſis, Citizenſis, Brandemburgenſis, Hauelbergenſis, & Porenenſis. Vocatur autem hæc ciuitas Magdeburgum, græco vocabulo Parthenopolis, quam nos Virginopolim dicere poſſumus. Obiit autem S. Adelbertus anno Domini 984. *Trittemius, lib.4. c.103.Crantzius in Saxonia,lib.4.c.14. & 17. & alibi ſæpè. & Petrus Cratepolius de EpiſcopisGermaniæ.fallitur tamen cum dicit Bremẽſi Eccleſiæ ab Othone Imp. præpoſitum.Paul. Lang. dicit obiiſſe anno 981.*

2 D. OTHERICVS, Monachus Monaſterii S. Viti Corbeiæ Saxonicæ. Adalberto iam defuncto ſurrogatus, anno 984.poſt electionem, iter Romam verſus aggrediens, in itinere defecit, anno, vt colligere licet,Pontificatus ſui primo. Vir fuit ea tempeſtate doctiſſimus, cuius doctrinæ fama ad Archiepiſcopatum ſublimatus eſt.*Trittem. in Chron. Hirſaugiæ.*

4 D.Dageni,qui à Crantzio,& aliis Dado,Dago, uel Dudo uocatur, monachus S.Enterani Ratisponæ, habitu & conuerſatione ue-

ne-

nerandus,& S. Vuolfgango Episcopo Ratisponensi amicissimus, Gisalario Archiepiscopo anno D.1003. suffectus Imperatore S.Henrico II. iubente,cuius hic Cancellarius erat,præfuit annis 8.& mensibus 4. & vita ac religione clarissimus, obiit anno 1012. *D. Paulus Langius in Chronico Citizensi.*

5 D.Vualthardus,siue Vualdardus,monachus Magdeburgensis,& S. Adalberti discipulus, Præpositusq; Magdeburgensis, Gisalarico defuncto,concordibus Clericorum uotis electus,sed ab Imperatore qui Dagenonem elegerat,prohibitus,quũ defecisset Dageno,à Fratribus iterum electus & consecratus,non diu in Pontificatu superfuit,nam uix duobus mensibus expletis,septima hebdomada sui regiminis uitam cum morte commutauit,anno Chr. 1012. *D. Paulus Langius ubi supra.*

6 D. MEINFRIDVS, siue Hunifridus, Monachus Monasterii Sancti Burchardi Herbipolensis, vir religione præcipuus, creatus anno Domini 1030. sedit annos 27. & non sine sanctitatis opinione, obiit anno Natiuitatis Christi Domini 1057. *Trittemius, libr.4. cap.115. Crantzius Metrop. lib.4. cap.14.*

7 D. ENGELHARDVS, Monachus & ipse Herbipolensis,seu Vvirtsburgẽsis,ab Hẽrico Claudo Imperatore,præficitur post Meinfridum anno Domini 1057. & summa cum vigilantia Ecclesiæ illi præfuit annis duodecim,migrauitque à sæculo anno Christi 1069. *Crantzius Metrop.lib.4. cap.28.*

Magnipolenses, siue Mecheleburgenses, in Vandalia.

1 S. IOANNES Scotus, Monachus in Hybernia, cum in Vandaliam verbum Dei prædicaturus aduenisset, populis illis Archiepiscopus datus, ab ijsdem postea martyrio coronatus est Rethre,anno Domini 1066. die 4.idus Nouembris. *Trittemius, lib.4.c.255.Crantzius Metrop.lib.4. cap.43.& alij.*

Mediolanenses in Insubria.

66 52 D. HILDVINVS, Tasso, Flander, Monachus Lobiensis cœnobij iuxta Bingiũ, Archiepiscopus Mediolanẽsis 52. ex Veronense Episcopo creatus anno Domini 935.præfuit eidem Ecclesiæ laudabiliter annis sex.Hugonẽ,Prouinciæ Ducẽ, Italiæ Regem in Basilica Ambrosiana Mediolani coronauit. Obiit Mediolani, anno Christi 941. ipsis cal.Augusti. Scripsit de Gestis Abbatum Lobiensiũ, lib.1.& Sermonum,lib.1.*Trittemius,lib.4.c.97.Galesinius in Catalogo Episcoporum Mediolanensium, qui 66.in ordine Archi-*

Archiepiſcoporum eum agnoſcit: & Paulus Morigia in Hiſt. Mediol. à quo 52. in numero deſcribitur.

115 103 D. CAROLVS Foroliuienſis, Monachus, & Abbas Monaſterij S. Celſi Mediolani, Archiepiſcopus 115. vt vult Galeſinius, ſiue 103. vt aſſerit Morigia, à Caliſto Papa III. creatus anno Domini 1456. ſedit ann. 4. & moriens anno 1460. Mediolani, ſepultus eſt in Monaſt. ſuo S. Celſi. *Galeſinius & Morigia locis citatis.*

Meridæ, in Hiſpania.

S. RENOVATVS, Hiſpanus, Monachus & Abbas Caularianę, de quo agit Tarras Monachus in quadam Epiſtola, Archiepiſcopus creatus anno Domini 645. *Morales in Hiſt. Hiſp. lib. 12. c. 21.*

Moguntini, in Germania.

1 S. BONIFACIVS, Vvinfridus antea vocatus, Anglus, regio genere, Monachus cœnobij, quod Adeſcancaſter vocabatur ſub Abbate Vvolfhardo, deinde Mutſcellæ, ſub Vvintberto Abbate, in Anglia, Epiſcopus primo ad gentium conuerſionem à Gregorio Papa II. anno Domini 717. Romæ conſecratus, duobus poſt annis Geruilione Epiſcopo Moguntino 16. & Vvormacienſe Archiepiſcopo 10. ob cædem patratam, in ordinem redacto, & in Monaſterium detruſo, ab eodem Pontifice, ſic procurante Pipino Duce, factus & creatus eſt primus Archiepiſcopus Moguntinus, anno Domini 719. Vvormacienſi ſede dignitate illa priuata. Et toto adminiſtrationis ſuæ tempore, quod fuit ſpacio annorum 36. continuis prædicationibus Germaniam ad Chriſti fidem adduxit, eandē ab erroribus Arianorum, ac alijs repurgauit; vnde & Germanorum Apoſtolus dici meruit. Tandem ſenio peuè confectus, in Friſiam ad prædicandum proficiſcitur, vbi ad infidelibus trucidatus, martyrij coronam accepit cum 52. aliis Monachis, anno Domini 755. ipſis nonis menſis Iunij, in pago, qui dicitur Dockum, vbi & primum ſepultus eſt in Eccleſia S. Pauli Apoſtoli; ſed inde poſtmodum tranſlatus ad Monaſterium Fuldenſe in Buchonia, quod ipſe à fundamentis erexerat, in eodem quieſcit. *Trittemius, libr. 4. cap. 76. Sigebertus, et Contractus, in Chronicis, et alii.*

2 S. LVLLVS, Anglus, Monachus, & diſcipulus præfati S. Bonifacii Epiſcopi, magiſtro ſuo in regimine ſuccedens anno 756. Eccleſiam ſibi commiſſam laudabiliter rexit per ann. 31. & bonis operibus cumulatus, in pace Eccleſiæ quieuit an. 787. die 17. cal. Nouēb. *Trittemius, lib. 4. c. 78. et alii.*

D. HAV-

4 D. HAYSTOLPHVS, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, creatus anno 813. præfuit Ecclesiæ annis duodecim. Transtulit corpora Sanctorum Marcellini & Petri: & interfuit Concilio Theodonis villæ. Obiit anno 825. ad Sanctum Albanum in Sacello Diui Bonifacii sepultus. *Democh. de Sacrific. Missæ, Tom. 2. c. 34.*

5 S. ANDEGARIVS, qui & Odogarius, & Amelgarius, Monachus, & primus Abbas Monasterij Campidonensis, creatus an. 825. sedit annos 22. Fuit vir nobilis, & magnę religionis, regularisque disciplinæ instructor præcipuus. Obiit anno 847. & ad S. Albanum sepelitur. *Belforestius in Cosmographia sua.*

6 B. RABANVS, Magnentius, Maurus, Germanus, Fuldensis, Alcuini Angli discipulus Theologus Parisiensis insignis, Monachus & Abbas Fuldensis, creatus anno 847. abbatialis regiminis 32. doctrina, & sanctitate gregem sibi commissum, annis nouem, assiduè pauit: Monasterium S. Petri in sublimi colle situm extra muros ciuitatis construxit: in Concilio Episcoporum Moguntiæ habito anno 848. Godescalcum hæreticum damnauit: & continuè scribendo sacrosanctam Ecclesiam mirificè illustrauit. Obiit anno 856. sepultus Fuldæ. *Trittemius, lib. 4. cap. 81. Democh., & Belforestius locis citatis, & alij infiniti.*

7 D. CAROLVS, Pipini Regis Aquitaniæ filius, ex Rege Aquitaniæ, Monachus primum S. Petri Corbeiæ Gallicæ, deinde Fuldensis, postmodum fauore Ludouici Germaniæ Regis Patrui sui, Ecclesiæ Moguntinæ prælatus anno 856. sequenti Synodum Moguntiæ pro reformatione habuit: & completis in Episcopatu annis septem. Moguntiæ obiit anno 863. pridie nonas Iunii, & ad S. Albanum sepultus est. *Trittemius, lib. 4. cap. 91. & alij.*

9 S. SVNDERHOLDVS, siue Sinderoldus, vel Sungo, Germanus, Moguntinus, Monachus Fuldensis, vir sanctissimæ uitæ, procurante Arnulpho Imperatore, ad sedem illam translatus anno 889. biennio post Vvormaciæ à Nortmannis martyrio coronatus est die 6. cal. Iulii: & in cœnobio S. Albani tumulatus est. *Trittemius, libro 4. cap. 93. & alij supracitati.*

10 D. HATTO, Francus, Monachus Fuldensis, & Abbas Fuldensis, Eluuangensis, & Augiensis, creatus non lõgè post obitum S. Sunderholdi, vir quidem illo honore dignus, nisi traditione Comitis Adelberti, quem in manus Ludouici Imp. occidendum tradidit, reprehensibilem meritò se reddidisset. Interfuit Concilio Triburiensi: obiitque anno Domini 913. Archiepiscopatus sui 21. *Trittemius, lib. 4.*

lib.4. cap.96. Belforeſtius in Coſmog. & alij.

13 D. HILDEBERTVS, ſiue Hildebrandus, Dux Franciæ Orientalis, Monachus, & Abbas Fuldenſis, creatus anno 928. Hic coronauit Aquiſgrani Othonem primum Imperatorem, fuitque magnæ prudẽtiæ, & deuotionis vir. Obijt anno regiminis ſui 9. Chriſti 936. & in cœnobio S. Albani ſepultus eſt. *Trittemius, lib.4. cap.98. Belforeſtius, Demochares, & alij.*

16 D. HATTO, cognomento Bonoſus, Germanus, Monachus, & Abbas Fuldenſis, ab Othone Imperatore electus, conſecratus eſt an.968. & Archiepiſcopatus ſui anno ſecundo, à muribus (ut aiũt) in Rheno, iuſto Dei iudicio deuoratur, quod miſerè pauperes ſuſcepiſſet, tempore famis, in vnumque locum cõgregatos omnes crematri iuſſiſſet. In Monaſterio S. Albani iuxta anteceſſores ſuos ſepultus. *Trittemius, lib.4.c.102. Belforeſtius, Demochares, & alij.*

20 D. HERIMBOLDVS, ſiue Erchenbaldus, vel Erkenbaudus, Saxo, Monachus, & Abbas Fuldenſis, in locum Erbonis electi (qui à quibuſdam inter Epiſcopos non numeratur, quod conſecrationẽ Epiſcopalem non habuerit) eodem quo mortuus eſt anno, qui fuit à Chriſti natiuitate 1011. in Archiepiſcopatum ſublimatus, præfuit eidem utiliter annis undecim, & propriis ſumptibus Monaſterium beatę virginis Mariæ fundauit. Obiit anno Domini 1020. & in Templo Sancti Iohannis tumulatus eſt. *Trittemius, lib.4. cap.108. Belforeſtius, Demochares, & alij.*

22 S. BARDO, ex nobili Vvederouiæ familia de Opperhofen natus, patre Adelberto, matre Chriſtina, Monachus, & Abbas Fuldenſis, Hirsfeldenſis, & Virdunenſis, in Archiepiſcopum, anno 1031. electus, & conſecratus, Imperatorem Henricum III. elegit, vxorẽq; eius Agnetem Aquitaniæ Ducisſam unxit anno 1043. Huius etiam tempore anno 1048. Leo IX. Pontifex Synodum quadraginta, & amplius Epiſcoporum Germaniæ, Moguntiæ coegit, cui interfuit & Imperator, cũ aliis Principibus, & magiſtratibus, in qua multa utilia, & præcipuè de parce inter Principes concilianda, pertractata ſunt. Obijt autem ſignis & miraculis clarus, anno 1051. regiminis ſui 20. die quarto idus Iunij: & in cathedrali Eccleſia S. Martini ab Vvilligiſo incæpta, & ab ipſo abſoluta, ſepultus eſt. *Trittemius, lib.4. c.117. Belforeſtius, Demochares, Contractus in chron. & alij.*

23 D. LVIPOLDVS, ſiue Leopoldus, vel Liutbaldus, Monachus Fuldenſis, & Prępoſitus Bambergenſis, Sancto Bardoni ſubſtitutus, Monaſterium S. Iacobi in monte ſpecioſo à fundamentis ere-

xit,

xit, & nono Archipræsulatus sui anno, Christi Domini 1060. septimo idus Decembris, decessit, in Monasterio suo sepultus. *Belforestius, & Democharis locis supracitatis.*

24 D. SIGEFRIDVS, siue Sifridus, Baro ab Eppenstein, Monachus, & Abbas Fuldensis, in demortui Luipoldi locum electus, cõsecrationem Archiepiscopalẽ accepit ipso Epiphaniæ die, ann. 1061. Vir deuotus, & magnæ religionis fuit; Sepulchrũ Domini, & S. Iacobum Compostellanum magna cum veneratione visitauit; pro Ecclesiæ libertate, & auctoritate Pontificia, tuendis, multa sustinuit; Rodulphum Sueuiæ Ducem contra Henricum IIII. Imperatorem, Gregorij Papæ VII. iussu, elegit & unxit: pro quibus similibus, & alijs piis operibus, tandem exul in Hasungen, Hassiæ cœnobio, à se locupletato, migrauit anno 1084. cum præfuisset annis 24. & Hasungi sepultus est. *Trittemius, libro quarto, capite 121. Belforestius, Democharis, & alij.*

26 D. RICHARDVS, Germanus, Monachus & Abbas Monasterii S. Petri in Erfodia, quinquennio à Sigefridi morte nondũ elapso, Vveziloni, Archiepiscopus surrogatus, anno scilicet 1089. cœnobium S. Ioannis in Rigouia, quod vulgo mons episcopi uocatur, suis sumptibus exstruxit; & Archiepiscopatu, uno & uiginti annis prudenter administrato, obijt anno 1109. & in monasterio quod ædificauit sepultus est. *Belforestius, & Democharis, vt supra.*

42 D. MATTHIAS, Comes à Buchegh, Burgundio, Monachus monasterii Murbacensis in Alsatia, à Ioanne Papa XXII. anno 1320. Archiepiscopus Moguntinus, & S. R. Imperii Elector creatus, strenue gregem sibi commissum gubernauit, & potentia, ac uirtute, omnes ferè suos prædecessores antecelluit. Vitam inter omnia duxit castissimam: dum enim quadam uice eo ignorante à Camerariis suis pulcherrima quædam uirgo in cubiculum suum fuisset intromissa, ut eius sanitati, consilio, ut aiebant, medicorum, continentiã ei obesse affirmantium, consulerent; uirginem quidem blandè à se intactã dimisit, sed camerariis ne talem rem amplius intentarent, sub interminatione præcepit. Moritur tandem anno Prælaturæ suæ nono, Christi Domini 1329. quarto idus Septembris, non sine suspitione veneni, & in medio Cathedralis Moguntinæ sepultus est.

ANNOTATIO.

Trittemius, libro quarto, cap. 126. Albertus Argentinensis in Chronico, ad annum 1320. & libro de rebus gestis Bertoldi à Bucheg, Episcopi Argentinensis, statim in principio: & Democ. de Sacrif. Miss. To. 2. c. 24.

qui

qui dicit creatum an. 1310. & mortũ ann. 1318. sed id stare non posse ex eo arguitur, quod iste Matthias creatus dicatur à Ioanne Papa XXII. ipso etiam Demochare id affirmante; sed cum Ioannes XXII. assumptus in Pontificem non fuerit, vsque ad annum 1316. patet quod Matthias ab ipso creatus tunc non sit, cum nondum esset Pontifex; rectius ergo Albertus, qui eius fuit contemporaneus.

Montis Regalis in Sicilia.

1 D. GVLIELMVS, Monachus monasterii Cauensis, & Abbas secundus Sanctæ Mariæ Nouæ in monte Regali, à Lucio Papa III. petente Gulielmo Bono, Siciliæ Rege, ex Episcopo, creatur Archiepiscopus primus montis Regalis, anno Domini 1183. & moriens anno 1189. eo quo mortuus est, & ipse Gulielmus Rex, successorem reliquit Carum. *Tabulæ Archiepiscoporum Montis Regalis impressæ: & Ludouicus Lellus in descriptione Regij templi Montis Regalis.*

Archiepiscopi de litera N.

Neapolitani, in Campania. Cap. XXVII.

D. IGORIVS, Italus, Monachus Monasterii Sanctæ Trinitatis Cauæ, Archiepiscopus Neapolitanus. *Tabulæ Cauenses.*

Niceni, in Bithinia.

S. THEOPHANES, Græcus, Monachus Monasterii S. Sabæ, Ordinis S. Benedicti, pro cultu Sanctarum imaginum multas iniurias, & tandem exilium passus, tẽpestate postmodum cessante, Nicænus Archiepiscopus renunciatus, in pace uitam finiit, die 27. Decẽb. Floruit anno D. 830. *Surius, To. 6.*

Archiepiscopatus de litera P.

Panhormitani, in Sicilia. Cap. XXVIII.

D. NICOLAVS de Tedeschis, Catanensis, Siculus, Monachus Monasterii Sanctę Agathę Catanęę & Abbas Sanctæ Mariæ Maniacensis, I.V. consultissimus, Archiepiscopus Panhormitanus, factus postea S. R. E. Cardin. à Felice V. Antipapa, anno 1441. Basileæ. Obiit Panhormi in Sicilia

cilia. De eo plura in Cardinalibus, & in secundo Arboris ramo.

ANNOTATIO.

Trittemius de vir. ill. Ord. S. Bened. lib. 2. cap. 139. & lib. 4. c. 42. & 128. & de scriptoribus Eccles. aliùsq; in locis, omnesq; tam Ciuilis, quàm Pontificii Iuris interpretes, qui à Trittemio acceperunt, Abbatem Monacensem nominant hunc nostrum Nicolaum, sed Maniacensem debere legi, ex Siciliæ Chorographia, & ipsius Monasterii titulo, edocti sumus. Condonandum tamen tantis uiris, qui ob locorum magnam distantiam, ex quadam litterarum affinitate, hunc errorem posteris reliquerunt. Locus verò ille denominationem habuisse dicitur à Georgio illo Maniace, Siciliæ, pro Constantino Monomacho Imp. Prætore, qui vicinus est Randatio oppido, ad radices montis Aetnæ, in eoq; Monasterium Ordinis D. P. N. Benedicti, fundatum est à Margarita Regina, Gulielmi mali Regis Siciliæ vxore, anno Domini 1182. cui & annexum est cœnobium S. Philippi de Fargala. Vocatur autem prædictum Monasterium, Sancta Maria de Maniace.

Archiepiscopatus de litera R.

Ragusini, in Dalmatia. Cap. XXIX.

D. 

HRISOSTOMVS de S. Gemiliano, Calaber, Monachus Montis Casini, creatus Archiepiscopus Ragusinus circa annum Domini 1560. Vir sanctitate insignis, & reformator Monachorum Insulæ Melitæ, non longè à Ragusio, scientia etiam litterarum non mediocriter enituit. Obijt Ragusii, ibiq; sepultus est. *Placidus Romanus, Monachus Casinensis, in Supplemen. vir. illust. Mont. Casini, MS. quod apud me est.*

Rauennates in Romandiola.

33 D. MARINIANVS, Romanus, Monachus S. Andreæ Romæ, communi totius populi Rauennatis consensu, tergiuersans, ac renitens Archiepiscopus creatus, Anno Christi 595. præfuit an. 11. & mens. 1. Vir fuit pius, & doctus, ut testantur nonnullæ eius Epistolæ ad S. Gregorium scriptæ, & S. Gregorii ad ipsum. Obiit Rauennæ anno 606. die 10. cal. Nouembris, & extra muros Classis in Diui Apollinaris porticu sepultus est, ad cuius sepulchrum hęc olim Carmina legebantur.

San-

Sanctificis semper monitis memorande sacerdos,
Hoc positus tumulo Mariniane iaces.
Corpore defunctus, tamen est tua fama superstes,
Artus obit terris, lux tua facta tenet.
Mœnibus his veniens Romana Antistes ab Vrbe
Tutasti precibus sanctè Rauennatium.
Cuncta salutifero disponens tempore secla,
Te pius in populo Christo regente decit.
Quod tamen his templis meruisset sumere bucta;
Te placuisse Deo tanta sepulchra probant.
Vtq; vices cuius gessisti rite sacerdos,
Ipsius inque locis sit tibi causa quies.

ANNOTATIO.

Vocatur hic a Trittemio de uir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 4. c. 88. Mœrianus per Syncopen, Marinianum tamen debere legi docent Hieronymus Rubeus lib. 4. hist. Rauenn. & S. Gregorius Papa in registro; cuius ad eum extans Epistolæ, uidelicet lib. 4. ep. 54. lib. 5. ep. 1. 24. & 28. lib. 6. epist. 39. lib. 7. epist. 11. 18. 19. 21. item lib. 7. Indict. 2. epist. 10. 49. & 98. lib. 8. epist. 8. & 9. lib. 9. epist. 2. 28. & 68. lib. 10. epist. 5. lib. 11. epist. 32. & lib. 12. epist. 1. Est & alia eiusdem S. Gregorij epist. pro confirmatione eius in Archiepiscopum, lib. 4. hist. Rauen. Hieron. Rubei, tali exordio: Cum omnis ecclesia Sanctorũ. *Arbitror hunc Marinianum eundem esse cum eo ad quem scribit idem D. Gregorius lib. 2. Indict. 11. epist. 27. cuius titulus est,* Mariniano Abbati de Panhormo.

60 D. Honestus, Rauennas, monachus, & Abbas Classensis, iuxta Rauennam, Archiepiscopus renunciatus Anno Domini 970. cum ecclesiam sibi commissam strenuè gubernasset annis plus minus 13. & multa ad ecclesiasticam disciplinam conseruandam piè sanxisset, summo Rauennatum dolore, carnis sarcinam deposuit, anno 983. *Rubeus, lib. 5.*

62 D. Gerebertus (quem alii Gilbertum uocant) Aquitanus, Gallus, monachus cœnobii S. Benedicti Floriacensis, iuxta Aurelios in Gallia, & Abbas S. Colũbani Bobiensis, deinde Archiepiscopus Remensis, sed ab ea sede deiectus, quod contra canonum instituta uiuente adhuc proprio Archiepiscopo, eidem se præfici (ignoranter tamen) passus fuisset: tandem ab Othone Imp. III. Ecclesiæ Rauennati præpositus, anno 997. sequenti, sic exigentibus meritis, summũ ecclesię culmen ascendens, Siluestri II. nomen accepit. *Annonius lib. 5. c. 46. Tritt. lib. 4. c. 9. Rubeus lib. 5. et Andreas Dandulus in Hist. lib. 9.*

c.1.par.33. qui Abbatem Bobiensem fuisse refert.

Remenses in Gallia.

26 Sanctus Niuardus Gallus, monachus Luxouiensis, & Abbas in Francia, in omni sanctitate vita transacta, miraculis coruscus migrauit in cœlum Calendis Septembris. Floruit anno Domini 660. *Tritt. lib. 4. c. 62. & alij.*

32 D. Hincmarus, siue Haymardus, monachus Sancti Dionysii Parisiensis, eruditione, & rerum humanarum peritia præcipuus, creatus circa annum D. 860. Ludouicum Balbum Imp. coronauit. Ad eum scripsit Nicolaus Papa, dist. 8. Mala autem consuetudo. Tandē cum posteris plurima ingenii sui monimenta reliquisset, obiit circa annum D. 880. *Tritt. lib. 4. c. 87. & Belforest.* Scripsit nō contemnendæ auctoritatis plura Opuscula, uidelicet,

Ad Ecclesiam Rauennatensem, lib. 1.

Ad Vvalonem Episcopum Metensem, lib. 1.

Vitam S. Remigij Archiepiscopi Remensis, quæ extat apud Surium Tomo 1.

Encomium eiusdem, quod est apud Mosandrum Tomo 7. Surij. 1. Octobris.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Extant ad eum Tomo 3. epist. Decretal. Nicolai Papæ I. epistolæ quinque, scilicet 28. 29. 37. 41. & 47.

39 D. Gilbertus, siue Gerbertus Aquitanus, Gallus, monachus Floriacensis, anno 992. creatus, non paulò post ab Archiepiscopatu fugatus, ad Ottonem III. Imperatorem, quondam discipulum suum, se conferens, ab eodem Rauennatibus prælatus est, uti paulò ante demonstrauimus: deinde factus est Romanus Pōtifex: vnde versus,

Transit ab R, Gerbertus, ad R, fit Papa uigens R.

ideſt, à Rhemensi Archiepiscopatu, transiens ad Rauennatensem, fit Romanus Pontifex. *Tritt. ut supra, Panuinus, & alij.*

Rhegitani in Apulia.

D. Rangerius, monachus S. Trinitatis Cauæ. *Tabulæ Cauenses.*

D. Cōstantinus de Lannoy, monachus S. Seuerini in ciuitate Neapolis, ex Episcopo de Vico, electus Rhegitanus, ante consecrationem obijt anno 1586.

Rhotomagenses, in Normandia Galliæ.

22 S. Ansbertus, Gallus, monachus & Abbas Fontanellæ in Gallia, post Sanctum Audoënum ecclesiæ regimini præpositus anno 677. non plus quam annis quinque eidem præesse potuit; inuidorum.n.

perfidia

perfidia Pipino Duci delatus, ab eodem in exiliũ actus, in Altomonte Hannoniæ cœnobio pacificè obdormiuit anno 695. exilij sui 14. die 5. Idus Februarij. *Tritte. lib. 4. c. 57. Ansgradus monachus in eius Vita apud Surium, Tomo 1. & alij.*

42 D. Hugo, Gallus, monachus Monasterii S. Dionysii extra Parisios creatus anno 942. sua inhonesta conuersatione, & mala uita, habitu potius, quam opere monachum se fuisse ostendit: præfuit annis 47. & obiit anno D. 989. *Democh. de sacrif. miss. Tomo 2. c. 20. & Belforestius in Cosmographia.*

45 S. Maurilius, siue Mauritius, monachus Monasterii Fiscanensis in Normandia, in ordinem redacto Malgerio Episcopo, Gulielmi bastardi Angliæ Regis Patruo, dignus inuẽtus est, qui ecclesiæ Dei præficeretur anno 1055. & tantum effecit sua sana doctrina, & sancta conuersatione, spatio annorum 12. quibus sedem illam gubernauit, ut maculam quam Hugo suis prauis moribus monastico Ordini reliquisse uidebatur, ex toto diluerit. Migrauit ad Dominum miraculis clarus anno 1067. Idibus Septembris, & in ecclesia S. Mariæ Rothomagi sepultus est. *Tritt. lib. 4. c. 120. Continuator Bedæ lib. 3. cap. 19. & alij.*

47 D. Gulielmus, monachus & Abbas Sãcti Stephani Cadomi in Normandia, mediatè S. Maurilio anno 1079. succedens, laudabiliter præfuit annis 31. & sic boni Pastoris functus officio, obiit an. 1110. *Democh., & Belforestius locis supra citatis. et Matth. Vuestm. ad annum 1079.*

49 D. Hugo, Anglus, monachus Monasterii Cluniacensis, & Abbas Radingensis in Anglia, creatus anno 1130. siue duobus annis ante, ut uult Democh., præfuit laudabiliter annis plus minus 36. Et anno 1154. corpus Sancti Firmati leuauit è terra. Migrauit anno D. 1166. *Matth. Vuestmon. ad ann. 1130. et Chron. Cluni. in hac uerba.* Hoc etiam Marte militabat Hugo monachus, & religiosus Cluniacensis, uir magnus inter magnos, qui & ipse pro sui dignitate, & meritis promoueri meruit ad Archipræsulatum Rothomagensium; de quo extant epistolæ in 1. & 6. lib. epistolarum S. Petri Abbatis.

56 D. Odo Gallus, monachus & Abbas S. Dionysii extra Parisios, uir doctus, & eruditus, & in ecclesiæ negotiis rectè disponẽdis aptissimus, creatus anno 1247. gaudium quod omnes de sua conceperãt promotione, morte sua repentina in tristitiam uertit, sequenti enim assumpti ministerii anno uitam cum morte commutauit. *Tritt. lib. 4. c. 106. Democh., et Belforest. ibid. et Matth. Vuestmo.*

62 D.Petrus Rogerii Lemouicensis, Gallus, Monachus,& Abbas Fiscanensis, eo anno quo creatus est Senonensis Archiepiscopus, qui fuit 1338. assumptus est ad regimen Rothomagensis ecclesiæ, cum præcedenti factus fuisset S.R.E.Card.ab Benedicto Papa XII. tandem anno suæ administrationis quinto, Summus Pontifex renunciatus Clemens VI. appellari uoluit.*Belfor.ibid.& alij innumeri.*

Rugorum, siue Ranorum, qui habitant in corde maris.

1 D.Libutius,Monachus Monasterii s.Albani iuxta Moguntiam, petitione Helenæ Rugorum Reginæ,quę sub Romano Imperatore Constantinopolitano Constantinopoli baptizata fuerat, ob uitæ integritatem,& sapientiæ doctrinam Apostolica iussione primus Rugorum Archiepiscopus anno Domini 960. ab Adaldago Episcopo consecratus,quibusdã occasionibus ab itinere suspẽsus,anno sequẽti die 15.calendas Martii,migrauit a sæculo, antequã munus sibi iniunctum positum exequi posset.

2 D.Adalbertus,Monachus cœnobii S.Maximini nõ longe amœnibus ciuitatis Trenirensis, uir religione & eruditione uenerabilis, procurãte Vuilhelmo Archiepiscopo,qui eius sanctitati inuidebat, ab Ottone.1.Imp.omnibus quibus indigebat copiis instructus,genti Rugorum honorificè post Libutiũ mittitur anno Domini 961.Sed cum in his,propter quæ missus fuerat,nihil proficeret, inaniterque fatigaretur, in patriam rediit anno 962. & nonnullis ex suis sociis in redeundo occisis,uix ipse euadere potuit. Reuersus autẽ ab Imp. honorificè susceptus est, & a Vuilhelmo Episcopo,vt facinus in se cõmissum sibi condonaret deprecatus. Tandẽ, Erkamberto Vuirtzburgensis Monasterii Abbate defuncto,electione Monachorum,Imperatorisque voluntate,eidem successor datus anno 966. in eodem cœnobio vitæ reliquum in bonis operibus consumpsit, & non sine opinione sanctitatis decessit.

ANNOTATIO.

Regino Abbas Prumiensis, Chronicorum lib.2.ad annos citatos prefatorum duorum creationes diligenter annotatas reliquit: ideoque uidetur errasse Trittemius, de vir.ill.ord.S.Ben.lib.4.c.107. & 114. qui Ruthenorum, pro Rugorum, Archiepiscopos fuisse dicit,& Libutium,quem ipse Hibatium nominat,multos ad Christi fidem in Russia conuertisse, cũ vt ex Reginone constat Libutius in Rugiã non peruenerit morte præuẽtus.

Ruthenorum.

S. BRVNO, Germanus Saxo,ex illustri Baronum de Querfurt

prosa-

prosapia genitus, monachus cœnobii Magdeburgensis, sub cura & magisterio Sancti Adelberti, qui postea primus eius ciuitatis Archiepiscopus factus est, uir religionis eximiæ, probatæque sanctitatis: amore Dei, & animarum lucrandarum zelo succensus, barbaris & procul existentibus populis, Russis uidelicet, quibus Archiepiscopus datus fuerat à Summo Pontifice, sementa fidei sparsit. Qui cum constantissimè nouis frugibus Dominicum locupletare agrum satageret, & Christum assiduè ingenti ardore memoratis euangelizaret gentibus, tandem in Prussia ab quibusdam induratis, & furibundis fidei irrisoribus, manibus truncatis & pedibus, lingua insuper præcisa, ac erutis oculis, demum capitis amputatione ad palmam peruenit martyrii, anno Dom. 1008. die Id. Octobris.

ANNOTATIO.

Vt erratum est à Demochare de sacrif. missæ Tomo 2. c. 25. in nomine Archiepiscopatus, sic & grauiter erratum est à Trittemio nostro, & Sixto Senensi in nomine monasterij, et patriæ huius S. Bruni nostri. Non. n. ut uult Demochares, Archiepiscopus fuit illorum Ruthenorum, qui sunt in Vascouia, hodieq; Rhodij uocãtur; sed aliorũ Ruthenorum, Lituanis, Polonis, & Prussis uicinorum, qui à Plinio, & Ptolomæo, Roxolani, à Strabone Ryxani, ab alijs uerò Neothericis præsertim, nunc Russi, siue Rutheni appellantur. Hi bifariam diuiduntur; qui dicuntur Albi, uicini Lituaniæ ex nomine fluuij Moscouij, Moscouitarum nomen retinent, ibiq; Archiepiscopalis sedes est Nogardia: Alij Rutheni, Rubri uocati, Orientaliores, ac Borysthenis propriores sunt. Nec ei patria fuit Italia, ut Trittem. de script. eccles. et Sixtus lib. 4. Biblioth. sanctæ reliquerunt, sed Saxo, ex nobilissima Querfurtorum familia, quæ à Ducibus Saxoniæ originem trahebat, ut rectissimè prodiderunt F. Paulus Langius in chronico Citizensi, & F. Petr. Cratepolius de Episco. Germaniæ. Qui error & aliũ absurdum magis peperit, ut dixerint Monachum Casinensem fuisse, scripsisseq; in Genesim commentaria, & tandem per martyrij gloriã ad cœlos, quæ omnia genere mortis excepto, non huic, sed S. Brunoni Casinensi Abbati tribuenda sunt. Cũ enim legissent Tritt. Sixtusq; qui illũ sequitur, Brunonis in Genesim commentaria, & quis ille esset Bruno ignorarẽt, ex nominis æquiuocatione unũ pro altero non rectè acceperunt, & hunc errorẽ suis cartis inseruerũt. Tolerandus quodãmodo esset Sixtus si non dixisset eum martyro coronatum, cũ constet Brunonẽ antea Signiẽsem Episcopũ, & Italũ fuisse, & insuper Monachũ Casinẽsem. Corrigẽdi igitur sunt præfati auctores, & qã ab illis Brunoni huic martyri tribuũtur, Cõmentariũ. s. in Genesim, patria, & cœnobiũ, Brunoni Casinẽsi restituẽda, sed mortis genus huic nostro Brunoni dandũ.

Archiepiscopatus de litera S.

Salernitani, in Terra Laboris. Cap. XXXI.

1 ALPHANVS, Salernitanus, primum Monachus Casinensis, deinde postulatione Gisulfi Principis, Abbas Monasterii S. Benedicti Salerni, & postremò eiusdem ciuitatis primus Archiepiscopus (non autem Sipontinus, ut nō rectè annotauit Trittemius lib. 4. c. 110.) tanto scientiæ lumine, cum sanctitate coniuncto, præditus legitur, ut illius seculi hominibus pro miraculo fuerit. Creatus autem uidetur circa annū D. 1056. Opera eius, quæ posteris reliquit hæc sunt;

De vnione uerbi Dei & hominis, lib. 1.
De vnione corporis & animæ, lib. 1.
De quatuor humoribus corporis, lib. 1.
De passione S. Christinæ Virg. & martyr. lib. 1.
Epitaphiorum, Hymnorum, & Carminum, lib. 1.
Ex his uidi Casini MS. scamno §. ad siniſtram.
De S. Sabina Versus, & Hymnos tres.
De S. Mauro Hymnos duos. De S. Mattheo tres. De sancto Fortunato, & sociis, duos. De sancto Nicolao, unum.
Ad Attonem Episcopum Teatinum, uersus.
Ad Gisulfum Principem, uersus.
Epistolas septem ad diuersos, Carmine.
Orationem eiusdem, Metricam.
Epitaphia septem. Passionem 12. martyr. Beneuentanorum.

Hæc excusa est apud Aloysium Lipomanum Tom. 4. & Mosandrū, Tomo 7. Surii die 1. Septembris. Citat & Petrus Diac. ca. 19. Hymnos de S. Christina. De S. Benedicto duos: Et alios in laudem Monachorum, & Monasterii. Horum nonnulli excusi sunt in tertio Tomo Poematum D. Prosperi Martinengii, Romæ, in 4. anno 1589. Obiit Salerni, ubi & sepultus est mēse Maio, & inter sāctos relatus.

2 D. Alphanus, Salernitanus, monachus Monasterii sanctæ Trinitatis Cauæ, S. Leonis Abbatis discipulus, & deinde Salernitanus Archiepiscopus secundus, tam nomine, quàm ōfficio, creatus circa annum Do. 1070. præfuit in omni sanctitate annis aliquot, & piis operibus plenus, quieuit.

Pa-

ANNOTATIO.

Putarc nonnulli hunc eundem esse cum præcedenti, at non ita esse, intelleximus Salerni dum illic essemus, ex catalogo Archiepiscoporum illius sedis: item & ex Tabulis Cauensibus ad nos transmissis; insuper & ex Priuilegio eiusdem Alphani monasterio suo Cauensi concesso, in quo expressis verbis fatetur Leonem illius cœnobij Abbatem spiritualem patrem suum fuisse, sic enim inquit:

Priuileginm D. Alphani Episcopi, de liberatione Ecclesię S. Nicolai.

In nomine D.N.I.C. Anno ab incarnatione eius 1071. & 29. anno principatus D. Gisulphi, glorioſi Principis, mēſe Februario, nona Indict. Ego Alphanus gratia Dei Archiepiscopus Sanctæ sedis huius Salerni Archiepiscopatus, clarifico quoniā Leo, Religiosus Abbas Monasterii sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, quod constructum est foris hac ciuitate, in loco ubi Metellianum dicitur, ac spiritualis Pater meus, &c.

D. Ligorius, monachus sanctę Trinitatis Cauæ, Ecclesiam, quam regendam susceperat, aliquot annis strenuè gubernauit. *Tabulæ Cauenses MS.*

Saltzburgenses in Bauaria.

1 D. Ioannes Anglus, monachus Vvintschelensis in Anglia, discipulus sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, uir doctus & pius, Saltzburgensis Archiepiscopus primus, & generaliter omnium circumiacentium prouinciarum, à Gregorio Papa III. anno Do. 740. ordinatus; annis 14. in vinea Domini indefessus laborauit, & prædicationibus assiduis multos ad unitatem fidei Catholicæ aggregauit. Moritur anno D. 754. *Tritt. lib. 4. c. 105.*

5 D. Anumilonius, Abbas cuiusdā monasterii in Germania, quod arbitror fuisse S. Petri, ex quo multi eius prædecessores assumpti sunt, quintus Archiepiscopus, ut Trittemio placet, siue secundus, ut scribit Democharesde sacrif. missæ Tomo 2. c. 11. creatus anno 813. annis plus minus nouem suæ Ecclesiæ præfuit: Obiit anno 821. *Democharesloco citato.*

22 S. Thiemo, siue Diemo, Bauarus, nobilissimo Ducum Bauarię sanguine procreatus, monachus & Abbas S. Petri Saltzburgi, aliquamdiu latuit in Monasterio Hirsaugiensi, ob excommunicationē Henrici III. Imperatoris, donec turbationum fluctibus sedatis, ad regimen Ecclesiæ Saltzburgensis anno 1090. assumptus est. Postea cum iam decrepitus Hierosolymam profectus fuisset, à Turcis captus, & membris omnibus truncatus, uiso corde proprio spiritum

reddidit apud Corozaim, anno Christi 1102. Archiepiscopatus sui undecimo. *Tritt. lib. 4. c. 123. Belforest. in Cosmogr. & Democh.*

24 D. Eberhardus primus Comes de Hilpoltstein monachus & Abbas Biburgensis, siue Addiburgensis, creatus anno 1147. in omni pietate, pauperum enim amator præcipuus fuit, populum sibi commissum annis. 17. rexit: & bonis operibus plenus in pace quieuit, anno 1164. *Belforestius in Cosmographia.*

Senonenses in Gallia.

28 D. Lampertus, siue Lambertus, uel Landebertus, Monachus monasterij Fontanellę, doctrina, & morum grauitate uenerabilis, populum sibi commissum laudabiliter rexit. Floruit anno Domini. 700. *Trittemius lib. 4. c. 71.*

30 Sanctus Vulfrannus, siue Volframus, uel Vulphronius, Gallus, Vasco, patre Vualberto Comite, Monachus Fontanellæ, ante episcopatum, postquam ad Senonensis ecclesiæ regimen assumdus ptus est anno 696. in cõuersione infidelium, maxime Frisonum, assi fuit, & opus euangelicum per annos quinque infatigabiliter peregit, cuius prædicationibus multi nobilium, & infirmorum abrenunciata idololatriæ sorde, fidei fonte abluti sunt, inter quos Radbodi regis filius, qui adhuc in albis positus, mundus, ut creditur, transiuit è mundo: Ipsum quoque Radbodum ad hoc usque perduxit, ut baptizari expeteret. Sed positum pedem ad lauacrum, cum audisset plures suorum progenitorum in inferno quam in cœlo esse, retraxit, dicens se plures malle sequi, quam paucos. In maiori senectute positus, & pedum dolore frequenter uexatus, abdicato episcopatu, ad Monasterium suum redijt, ibique transiens coronam accepit æternam, anno Domini. 720. decimotertio cal. Aprils. *Trittemius de uir. ill. ord. S. Ben. lib. 4. c. 73. & alij.*

32 Sanctus Ebbo, uel Obbo, siue Albo, Gallus, monachus & Abbas Monasterij S. Petri Viui, Senonis, secundum seculi dignitatem nobilis, Guerrici epi. cuius successor anno 735. fuit, nepos, uir sanctissimæ uitæ, & religionis eximiæ, multis in uita, & post mortem, quę accidit anno 750. regiminis sui. 15. claruit miraculis. *Trittemius lib. 4. c. 75. Democh. de sacrif. missæ tomo 2. c. 17. Belforestius in catalogo Archiepiscoporum Senonensium in sua Cosmographia.*

47 D. Hieremias, monachus Gallus, creatus anno domini 819. cum aliquot annis supra gregem suum inuigilasset, obijt circa annum 830. *Democh., & Belforestius, ibidem.*

48 Sanctus Aldricus, Gallus, monachus & Abbas monasterij

Bethleem

Bethleem, quod de ferrieres, siue ferriarias dicitur in Gallia, Hieremiæ substitutus, sanctitate, ad miracula usque, claruit. Migrauit a seculo anno 842. octauo Idus Iunij, & albo Sanctorum adscriptus est. *Iidem auctores.*

50 D. Egilus, monachus & Abbas Monasterij S. Saluatoris de Prumia, in agro Treuirēsi, creatus an. Domini 865. annis sexdecim gregem sibi concreditum uerbo & exemplo ad satietatem pauit, & bonis operationibus nomen sibi æternum promeruit, anno 871. *Auctores qui supra.*

51 D. Angesilus, siue Ansegisus, Gallus, monachus, & Abbas Laubiensis in Hannonia, doctrina, inter omnes sui temporis, clarus, uir Episcopatu dignus, Egilo datur successor anno 871. A Ioanne, Papa VIII. ob peritiam rerum Ecclesiasticarum, & secularium, Primatū, Galliæ, & Germaniæ accepit anno 872. quæ dignitas per manus tradita ad successores suos, in hodiernum usque diem, permeauit. Obijt anno 878. accepti beneficij octauo. *Trittemius lib. 4. c. 86. Democh. & Belforest.* Scripsit inter alia, ad utilitatē Eccl. Cathol.

Statuta ecclesiastica Caroli, lib. 2.
Leges mundanas eiusdem, lib. 2.
Statuta ecclesiastica Ludouici, lib. 2.
Leges mundanas eiusdem, lib. 2.

Qui omnes excusi sunt Parisiis cum Benedicto Leuita, adiectis etiā nonnullis Caroli Calui Imper. & aliorum Regum, anno 1588. in 8.

52 D. Eurardus, monachus Gallus, Angesilum immediate sequutus, usque ad annum 887. per spatium nouem. plus minus annorū, Archiepiscopali munere functus, moriens sui desiderium omnibus dereliquit. *Democh. & Belforestius.*

56 D. Gulielmus, monachus S. Petri Viui, creatus anno 933. senario nondum in regimine expleto obiit, anno 938. *Præfati auctores.*

57 D. Gelanus, siue Gerlandus, monachus S. Germani Antisiodorensis, in locum Gulielmi positus, dignitatem & uitam amisit, anno 946. *Auctores nominati.*

58 D. Videmannus, seu Hildemannus, monachus S. Dionysii extra Parisios, amissum in Gelanno honorē, monachismo restituit, & laudabiliter eo usus est, annis 13. Migrauit anno 959. *Iidem auctores, & Trittem. item de hoc & eius prædecessore, in chronico Hirsaugiæ.*

85 D. Petrus Rogerius, Lemouicensis, Gallus, Monachus, & Abbas Fiscanensis, creatus anno Domini 1338. paulo post ad Rothomagensem transijt Archiepiscopatum, tandemque in Papam Clemen-

tem

tem VI. electus. *Prædicti auctores omnes.*

94 D.Gulielmus de Nanton,Monachus,& Abbas S. Germani Antisiodorensis, Gallus, creatus anno Domini 1421. sedit annos plus minus vndecim,& anno 1432. moriens, in ecclesia sua sepultus est. *Democharesꝰ & Belforest. citati.*

Siracusani, in Sicilia; nunc sunt Episcopi.

29 Sanctus Maximianus,Romanus, Monachus, & Abbas S. Andreæ Romæ tempore S.Gregorij Papæ primi,ecclesiam Siracusanã verbo & exemplo mirabiliter gubernauit, & miraculorum gloria clarus migrauit ad dominum anno 596. a morte numero & catalogo Sanctorum adscriptus, cuius festiuitas a fidelibus digno honore recolitur,quinto Idus Iunij. *Gregorius Papa dial. lib. 3.c. 36. Trittemius lib.4.c.* 228. Scripsit nonnullas Epistolas, vt ex Registro diui Gregorij Papæ colligere licet, cuius ad eum extant plures epistolæ,scilicet,lib. 2.Indict. 10.epist.4.18.& 26.Indict. 11.epist.12,50.& 53.lib.3.epist.11.12.13.14.36.& 42.

Strigonienses, in Hungaria.

D.Sebastianus,Monachus,& Abbas Diui Martini, quod cœnobium Rex Stephanus, in monte Pannoniæ, magnifico sumptu sub regula Diui Benedicti, constructerat,uir singulari uita, & sapientia non mediocri præditus, qui & miro amore a Rege cõplectebatur, cuius fauore & auctoritate eo vsque euectus, vt Strigonienſis primus Metropolita crearetur,circa annum Domini 999. Cæcitate postea percussus, suffraganeo vsus est Diuo Astrico Colecienſi episcopo, sed anno tertio pristinæ sanitati restitutus, munus Pontificiũ indefessus expleuit, plurimosque ad unitatem fidei, sua doctrina, & sanctitate conuertit. *Antonius Bonfinius rerum Vngaricarum decadis 2. lib. 1.*

Sypontini, in Apulia.

D. Gerardus, Monachus Monasterij Casinensis, ab Alexandro Papa II. ob morum grauitatem,& sapientiæ doctrinam, Archiepiscopus Sypontinus consecratus,dignum se Præsulatu ad finem usq; ostendit. *Leo Ostienſis, lib.3.c.24.*

Archi-

Archiepiscopatus de litera T.

Tharantasienses in Burgundia. Cap. XXXII.

DOmnus Edoardus, Philippi Pedemontium Principis filius, ex Monacho Benedictino, Abbate Secusiæ, & Sedunensi Episcopo ac Bellicensi, Metropolitanæ Tharentasiensi Ecclesiæ præpositus, ab ea demum ad Cardinalatus dignitatem ascendere meruit. Obiit anno 1390. mense Februarii, Musterii sepultus. *Pingonius in Arbore Sabaudica, gradu 22.*

Toletani, in Hispania.

1 Sanctus Bernardus, Gallus, Agenensis, de oppido Saluiate, Monachus S. Aurentii Auxitani congregationis Cluniacensis; deinde Abbas Sanctorum Facundi & Primitiui in Hispania: Toleto Ciuitate, de manibus Maurorum, ab Alphonso VI. Rege Castellæ & Legionis, recuperata, eodem petente, primus Archiepiscopus Toletanus, totiusque Hispaniæ Primas, ab Vrbano Papa II. & Monacho, creatus; consecrationem accepit anno Domini 1095. die, decimoquinto calendas Ianuarii, Rege, Regina, ac vniuerso Populo præsentibus, & electionem eius approbantibus. Sedit in Pontificatu annos 44. quo temporis spatio rem Ecclesiasticam mirabiliter auxit, populum sibi creditum sua doctrina in fide confirmauit, exemplo suo multos aduiam veritatis reduxit, & tãdem bonis operibus plenus, & miraculis coruscus, in Christo obdormiuit anno Domini 1139. quarto nonas Aprilis, inter numerum Sanctorum relatus. *Rodericus Toletanus, de rebus Hispaniæ, lib. 7. c. 4. & lib. 6. c. 24. 25. & 27.*

D. Ferdinandus Couaruuius Abbas, ordinis Sancti Benedicti, Sanctio a Mauris occiso anno 1275. eidem in Archiepiscopatu succedit, præfuitque annis sex; sed postea a Summo Pontifice amotus, Gonsaluo locum cessit. *Io. Mariana de reb. Hisp. lib. 14. c. 1.*

Tolosani in Gallia.

Sanctus Siluinus, Gallus, Taruanensis, Monachus cœnobii Diui Bertini in pago Audomarensi, & deinde Archiepiscopus Tolosanus, uir admirandæ sanctitatis: obiit anno Domini 715. in Monasterio Alciacensi, quod S. Siluini uocatur, die 17. Februarii; cuius corpus quiescit in S. Bertino. *Molanus in indiculo.*

Sanctus Erem-

Sanctus Erembertus,uel Herebertus, Gallus,Monachus, & Abbas Monasterii Fontanellæ, & Archiepiscopus Tolosanus; uir doctrina, & conuersatione ualde honorabilis, cuius sanctitas multorum miraculorum testimonio noscitur approbata,a morte inter sanctos referri meruit. Obiit die trigesimo Aprilis. *Tritt.lib.4.c.229.*

D.Durandus de Bredon, Gallus, Monachus Monasterii Cluniacensis, deinde Abbas Mosyacensis,& ad extremum Archiepiscopus Tolosanus, sua doctrina egregie uineam Domini expurgauit, & in conuersatione sua, populis suis, religionis exempla monstrauit. *Chronicon Cluniac.MS. & Trittemius, lib.4.c.247.*

Tranenses, in Apulia.

D. Cosmus de Melioratis, Vrsinus Romanus, Monachus,& Abbas cœnobii S. Mariæ de Farfa, creatus Archiepiscopus, & S.R.E. Card.a Sixto Papa IIII. anno 1480. sequenti diem obiit, vndecimo calendas Decembris,in suo Monasterio sepultus. *Franciscus Sansouinus lib.1.Illustr.uir. Familiæ Vrsinæ,& Panuin.in epitome Pont.Rom.*

Treuerenses in Germania.

Sanctus Nicetus,siue Nicetius, Monachus,& Abbas Sãcti Maximini Treuerensis,Archiepiscopus creatus, officium suum strenue, ac diligenter executus est, in tantum ut ipsi Regi Clotario, terrori esset; a quo tandem in exilium actus, postmodum a Sigeberto Rege reuocatus, cum gloria & honore suæ sedi restitutus est. Migrauit a sæculo anno Domini circiter 570. uel paulo post,& in Monasterio suo S.Maximini sepultus est, die Calendarum Octobris, cuius sepulchrum diuinis miraculis illustratur. *Gregorius Turon.de uita pat. c.17.Petrus Cratepolius de episcopis Germaniæ,& alij.*

56 Sanctus Basinus,Austrasius,Gallus, Clodulphi Ducis Austrasiæ filius,Monachus, & Abbas S.Maximini, Treueris, Archiepiscopus factus, nobilitatem generis, fide & bonis moribus exornans, omnibus prodesse,& nemini nocere studuit; & tandem miraculorũ gloria illustratus,uolauit in cœlũ, die quarto nonas Martii, Floruit anno Domini 640. *Trittemius lib.4.c.70. & alij.*

57 Sanctus Luthuuinus,siue Luduuinus,uel Loutuuinus, Austrasius, Gallus, Geruini Lotrechii Ducis filius, Clodulphi Austrasiæ Ducis ex Gunza filia, & S.Basini ex sorore, nepos, monachus, & Abbas Monasterii Mediolacensis, quod ipse propriis sumptibus in confinibus Austrasiæ, quæ nunc Lotharingia, super Saroam fluuiũ, in diœcesi Treuerensi, constructerat, in eoque uitam postmodum duxerat monasticam, Auunculo suo immediatè succedens, sua sanctissi-

ctissima conuersatione, & religiosa uita, multos dispersos greges ad caulas reuocauit. Obiit tertio calendas Octobris, et albo Sanctorum adscriptus est. Claruit anno Domini 670. uel circa. *Trittemius, lib.4.c.72.& alij.*

59 Sanctus Hildulphus, siue Hidulphus, Monachus, Archiepiscopus, fauore Pipini Frãciæ Regis, creatus, inter multa bona quæ operatus est, Monasteriorũ ædificationi operam dedit: & in primis cœnobium S. Maximini, iam uerustate penè collapsum ex integro restaurauit, & tantum redditibuum reliquit, vt sufficeret centum monachorum alimentationi. Tria itidem alia monasteria in saltu Vosagi construxit, in quorum vno, Episcopali cura relicta, Abbas effectus, in eodem ad mortem vsque miraculis claruit. Obiit quinto Idus Iulij, & in Monasterio suo sepultus est. Vixit anno Domini 750. *Trittemius lib.4.c.74.& Cratepolius,& alij.*

60 D. Viomadus, monachus, & Abbas S. Maximini Treueris, Archiepiscopalem dignitatem sua prouidẽtia, exornare studuit, & multa ad eam rem pertinentia, a Pipino & Carolo Regibus, quibus erat percarus impetrauit. Floruit eorum temporibus & viuebat adhuc anno Domini 808. *Trittemius lib.4.c.77.*

61 D. Richboldus, monachus, & Abbas monasterii S. Dionysii Mediolacensis, Viomado surrogatus, in ecclesiastica gubernatione strenuè admodum se gessit: Floruitque ut ex ratione temporum apparet anno Domini 812. *Trittemius lib.4.c.79.*

62 D. Vuasso, monachus & Abbas S. Dionysii Mediolacensis, ut Richboldo in regimine Abbatiæ successerat, ita & Archiepiscopatu succedere meruit, circa annum Domini, vt temporis ratio probat, 820. uel paulo post. *Trittemius lib.4.c.80.*

65 Beatus Hamularius fortunatus, Gallus, monachus Luxouiensis in Burgundia, & S.R.E. Cardinalis creatus anno 830. postmodũ Vocuando præsule mortuo anno 835. Archiepiscopus renũciatus, fuit in ea potestate annis plus minus. 16. Vir fuit, doctissimus, & ad regimen Ecclesiæ aptus & idoneus. Obiit non sine opinione sanctitatis anno Domini 851. *Trittemius lib.4.c.82. Belforest. & alij.* De nominis eius uaria pronunciatione, lectio neque legitima, uide Hittorpium in prolegomenis ad scriptores de diuinis officiis.

66 D. Hetti, siue Hittus, monachus, & Abbas Monasterii S. Dionysij Mediolacensis, creatus anno Domini 851. quem Trittemius mortis eius computat, præfuit Ecclesiæ annis 37. Vir deuotus & pius cum esset, diuina reuelatione admonitus, ossa S. Castoris de Carden,

den, transtulit in Confluentiam, ubi adhuc requiescunt. Obiit bonis operibus cumulatus anno Domini 884. & in Monasterio S. Matthiæ extra Treuerim sepultus est. *Trittemius lib. 4. c. 83.*

67 D. Bertolphus, Monachus & Abbas S. Dionysii Mediolacensis, Archiepiscopali dignitate ornatus, in locum Hetti, Ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis acerrimus defensor extitit, & anno 895. regiminis sui undecimo diem obiit. *Trittemius lib. 4. c. 90.*

68 D. Ratbodus, siue Rathotus, Monachus ipse & Abbas Monasterii Sancti Dionysii de Metheloch, seu Mediolacensis, ecclesiæ Treuerensi anno 895. prælatus, sua potentia, & virtute Ecclesiam suam multis bonis temporalibus nobiliter ditauit. Suo iussu Regino Prumiensis Abbas, duos libros Decretorum edidit, quos, de Christiana religione prænotatos, eidem dedicauit. Obiit circa annum Domini 900. *Trittemius lib. 4. c. 94.*

Turonenses, in Gallia.

D. Hildebertvs, Gallus, monachus cœnobii Cluniacensis, & S. Hugonis Abbatis discipulus, ex Episcopo Cœnomanense, creatur Archiepiscopus Turonensis circa annum Domini 1106. Vir fuit illustris, & deuotissimus, & poeta sui temporis non cõtemnendus. Scripsit eleganti metro ualde pulchram, & vtilem expositionem,

Super toto missæ officio, lib. 1. Hic excusus est Venetiis in 8. anno 1572. in speculo missæ, & Romæ cum aliis scriptoribus de officiis diuinis in folio.

De suo exilio, lib. 1. Nuper eram locuples.

De miseria huius vitæ, lib. 1.

Epistolarum, Hymnorum, Orationum, & Epitaphiorum, li. 1.

De vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis magistri sui, lib. 1. qui est Cluniaci. MS.

D. Symon de Maille, Gallus, monachus, & Abbas de Loroux, creatus anno Domini 1560. ut refert *Belforest. in Cosmographia, cuius tempore adhuc uiuebat.*

Tyrienses in Syria.

1 D. Gvlielmvs, Anglus, monachus, & Prior Monasterii Sacri Sepulchri Hierosolymis, creatus est primus Tyri Archiepiscopus, circa annum Domini 1130. Obiit autem anno 1135. regiminis sui. 6. *Gul. Tyrius lib. 13. c. 23. & lib. 14. c. 11.*

2 D. Fvlcherivs, Aquitanus, Gallus, ex canonico regulari, monachus & Abbas Monasterii Cellæ nouæ, deinde monachus S. Sepulchri, postmodum Gulielmo substitutus, annis 12. illam prouinciam

ciam administrauit, a qua ad Hierosolymitanam transiens, tandem obiit anno 1158. *Tyrius lib.14.c.11. & lib.16.c.17.*

Archiepiscopatus de littera V.

Viennenses in Gallia. Cap. XXXIII.

33 SAnctus Cadeoldus, alias Cadoldus, uel Caldeolus, siue Landalenus, monachus, & Abbas Monasterii Grimanensis in ciuitate Vienna; in omni sanctitate plebem sibi commissam gubernauit, multorumque pater cœnobiorū fuit, & cōcilio Cabilonensi prouinciali, anno 658. celebrato interfuit, cui & subscripsit. Vixit tempore Clodouei secundi, Regis Franciæ. Obiit decimonono calendas Februarii. *Auctor uitæ S.Clari Abbatis, apud Surium die primo Ianuarij.*

D. GVIDO, Burgundus, Gallus, Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, monachus Monasterii de Falleri in Gallia, in officio sibi cōmisso, ita se laudabiliter gessit, ut Gelasio Papæ II. in monasterio Cluniacensi defuncto, dignus fuerit succedere, anno domini 1119. *Hieronymus Plata de bono statu religiosi lib.2.c.28. & alij.*

De quibusdam Archiepiscopis, qui Archiepiscopatu relicto ordinem Diui Benedicti Nigrorum ingressi sunt. Cap. XXXIIII.

ARCHIEPISCOPVS quidam Consentinus, a Rogerio Siciliæ Comite Archiepiscopatu deiectus, & monachus Casinensis effectus, non longe post Paschale Papa II. & Abbate Casinensi permittentibus habitum reiecit. *Chron.Cas.lib.4.c.51.*

S. AMATVS, Gallus, XXII. Senonensis, Archiepiscopus anno regiminis sui 13. Christi 685. ab Ebroino Magistro Equitum in exilium pulsus, ad S.Maurontum confugiens habitum sāctæ religionis in cœnobio Broylo de manibus eius suscepit, a quo & fratribus Abbas datus, in sāctitate diem clausit anno 690. die 13. Septembris. *Auctor uitæ eius apud Surium tomo 5.*

S. GISLENVS, Athenienſis Græcus, monachus Basilianus, & Athe-

Athenienſis Archiepiſcopus, amore contemplationis diuinæ peregrè profectus, in Belgium venit, ubi ſpacioſo loco ad conſtruendũ Monaſterium a Dagoberto Rege impetrato, ibidem relictis Epiſcopatus habenis cœnobium in honorem Diui Petri Apoſtoli, Cella nuncupatum, ſub regula S.P. Benedicti conſtruxit, & Monachus diem clauſit die 9. Octobris, Vixit circa annum Domini 640. *Vita eius, & Molanus in indiculo, & alij.*

S. Gvdvvalvs, Brito, & Archiepiſcopus ibidem, adminiſtratione relicta, monachus & Abbas Menoti factus, Pater fuit 188. Monachorum, anno Domini circiter 590. Obijt die 6. Iunii. *Surius tomo. 3. & Molanus in indiculo.*

D. Hvgo Archiepiſcopus Turonenſis, infirmitate graui detentus, habitum Religionis in Monaſterio Cluniacenſi a S. Petro Abbate ſuſcepit, renitente populo Turonenſi cui erat utilis & carus, vt uidere eſt lib. 10. c. 11. epiſtolarum ipſius Petri Abbatis. *Chron. Clun. MS.*

D. Trvstinvs, ſiue Thurſtanus Eboracenſis Archiepiſcopus, cum pro ſalute patriæ, & dignitate Epiſcopali tuenda, multa incommoda perpeſſus, & ſæpe etiam in periculo vitæ fuiſſet, ad quietis tandem portum confugiens, religioni ſe mancipauit in Monaſterio Pontis fracti anno 1146. *Neubrigenſis. lib. 1. c. 14.*

Nonnulli Archiepiſcopi, qui ex monachis Metropolitæ facti, iterum dignitate abdicata; ad Monaſterium redierunt.
Cap. XXXV.

D. Bosa, Archiepiſcopus Eboracenſis, uide ibid.

S. Ceadda, Archiepiſcopus Eboracẽſis, uide ibi.

S. Colmannus, Archiepiſcopus Lindisfarnenſis, uide ibid.

S. Hildulphus, Archiepiſcopus Treuirenſis, uide ibid.

S. Vulfrannus, Archiepiſcopus Senonenſis, uide ibid.

De Episcopis Ordinis S. Benedicti Nigrorum, qui,

Constituti sunt in officio proprio Sacerdotum ad holocausta & pacifica, ut ministrarent, & confiterentur, canerentque in portis castrorum Domini.

2. Paral. 31. Cap. XXXVI.

EADEM Methodo, qua Archiepiscopos Ordinis nostri Monastici Nigrorum descripsimus, eademque breuitate & sinceritate, paucos, quos ex multis inuenimus, eiusdem Ordinis nostri Episcopos, qui quartum Spiritualium ad dexteram S. P. N. Benedicti depictorum locum obtinent, describemus. Horum numerus, a nonnullis putatur fuisse quindecies mille, ab alijs, ut a Petro Bugiano, alii mille superadduntur; nos vero, auctorum probatæ fidei sententiam sequentes, sunt autem illi Trittemius, Sabellicus, Genebrardus, præcipui, & alii recentiorum nonnulli, quater mille, & aliquot plures fuisse tenebimus, ne mendacii nota conuincamur. Qui numerus, ut euenire solet, si forsitan aliquibus incredibilis uideatur, quod scilicet in Catalogis Ecclesiarũ, tot Monachi ad Episcopatus assumpti minime reperiantur: hos, nõ ex defectu Ordinis, sed quorundam sciolorum inscitia & negligẽtia (ne dicam inuidia) ob inolitum cucullæ odium prætermissos fuisse apertissime cognoscent, si historias ueterum, animo candido, & ab omni passione alieno legerint. Et, ut reliquas omittam, in exemplum nobis sit Traiectensis Ecclesia, quæ septem (nisi fortè sint plures, qui me fugerunt) ex Ordine Benedictino Præsules habuisse fertur, quorum tamen, nec ab Hadriano Barlando, nec ab eius successore Gerardo Nouiomagensi, in catalogis illius Ecclesiæ Episcoporum, uix vnus quidem Monachus nominatur. Illud idem in aliis Ecclesiis factitatum ambigemus? Non ergo mirum si tot Ecclesiæ Præsules, sacer S. P. Benedicti Ordo habuit, qui iam mille & amplius annis glorioſissimè in Ecclesia floruit. Feruente enim claustralium sanctimonia, & doctrina radiante, passim Ecclesiarũ Antistites è cœnobiis, non tam fundatorum deuotione, quam Cleticorum sincera affectione & electione id postulante, eligebantur.

Exigebat illud ratissimus Monachorum in mundo conspectus, ut, tanquam seruis Dei altissimi, quibus Ciuitas carcer erat, & Cella Eremusque paradisus, ab omnibus summa reuerentia, & honor, illis exhiberetur, & ad cultus Diuini augmentum & profectum, fidelium que animarum conuersionem, super candelabrum Ecclesiæ collocarentur. Facti sunt igitur Monachi gentium Pastores, & Episcopi, patresque illarum nationum Sancti, quas ad baptismi gratiam adduxere: potissimum temporibus antiquis, quibus non tot passim fuerunt clerici in lege Diuina eruditi, qui messem soli sufficerent metere Dominicam: nec tot Ordines Claustralium in Ecclesia erant, sed duo tantum, Sancti scilicet Basilii, at is in Oriente, & noster in Occidente, Diui Benedicti, qui per sexcentos & amplius annos, donec Ordines Mendicantium excitarentur, in uinea Domini strenue laborans, fructū inestimabilē protulit, uti in toto præsenti tractatu apertè demonstramus. Quapropter Ecclesiis, quæ eiusmodi Religiosos meruêre habere Pastores, congratulandum est, non indignandū, quod dicimus propter nonnullos, quos penes Monastica vilescit auctoritas; quasi inglorium & ignominiosum fuerit per mundi contemptum in Angelica puritate, sub Benedictina cucullata ueste, in cœnobio altissimo militasse; ignoranter, quod in plenaria mundi abrenunciatione, & proprii arbitrii abdicatione, perfectissima Christi consistat imitatio, quodque humilitate perueniatur ad regnum, simplicitate penetretur cœlum. Merito igitur in hoc mundo exaltari meruerunt, qui in eodem pro Christi amore, omnia sua sponte & uoluntariè reliquerunt. Sed de his satis. Auctores à nobis in sequentibus citati, uti & in præcedentibus tractatibus de Summis Pontificibus, Cardinalibus, & Archiepiscopis, Monachismi Episcoporum nostrorum testes & probatores sunt; adducimus tamen aliquoties & alios, qui de annis, quibus in Episcopatu præfuerunt, tantum pertractant, at de Monachatu nihil, quos facilè erit cognoscere, primis nanque nudè & simpliciter prolatis, secundis particula illa, *De annis Episcopatus tantum*, uel huiusmodi tenoris, a nobis additur, ut omnis scrupulus tollatur. De numeris ipsis Episcopis præfixis, eadem intelligentur, quæ in prologo ad Archiepiscopos dicta sunt: Reliqua, si quæ omissa sapiens & prudens Lector, ut sua diligentia suppleat rogo, & ut hunc nostrum laborem, qualiscunque is sit, ea intentione legat qua scriptus est ex animo supplico: quæ si consequutus fuero, ad alia progrediendi, causa non deerit, & illa emendandi, quæ ex aliorum

rum sententia ignoranter fortasse posuero, ampla mihi dabitur materia.

Episcopatus incipientes à litera A.

Aberdonenses in Scotia, sub Archiepiscopo Sancti Andreæ. Cap. XXXVII.

DOMNVS RODVLPHVS, Scotus, monachus, & Abbas Monasterii Aberbrothæi, uir prudentia insignis, & sanctitate admirabilis, qui ita utramque & religiosi, & Episcopi uiam in omni postea uita tuebatur, ut dubites planè, fueritne diligentior Episcopus, an arctior religiosus: tenuiori enim ueste Episcopus, quam Abbas: duriori parsimonia diues, quam pauper: arctiori regula magistratus, quam priuatus semper uixit. Vnde ipsis etiam Regibus carus, Ecclesiam suam multis, eorum munificentia, beneficiis, & diuitiis ampliauit. Floruit anno Domini 1200. *Joannes Leslæus de reb. gestis Scotorum, lib. 6. in Vuilhelmo Rege.*

Abrincenses, siue Abriacenses, vel Arboricenses, in Gallia, sub Archiepiscopo Rothomagensi.

4 S. PATERNVS, Brito, Gallus, monachus Enixionensis, & Abbas Scisciacensis, ecclesia Dei in omni sanctitate rectè administrata, plenus dierum, & miraculis in uita & morte clarus, cœlestia petiit, circa annum Domini 880. ætatis suæ anno 70. regiminis. 13. die 16. calendas Maii. *Auctor uitæ eius apud Surium tomo 2.*

Agenenses, in Gallia, sub Archiepiscopo Tolosano.

D. GVLIELMVS, de Pontoise, monachus, & Prior Charitatis, Abbasque 24. Cluniacensis, deinde Episcopus Agenensis, creatus anno 1258. præfuit annis quinque, obiit anno 1263. die 15. calendas Ianuarii, & in monastetio S. Martini de Campis Parisiis sepultus est. *Chronicon Cluniacense, MS.*

Agrigentini in Sicilia, sub Panormitano Archiepiscopo.

D. ANGERIVS, Siculus, monachus, & Abbas Catanensis in Sicilia, ex Episcopo primum Catanensi, ad Agrigentinam sedem translatus anno Domini 1099. in omni pietate uitam traduxit. *F. Thomas Fazellus, de reb. siculis, lib. 10. decadis 2. cap. unico.*

Aiatenſes in Tuſcia, ſub Piſano Archiepiſcopo.

D. ANDREAS, Hiſpanus, monachus, Ordinis S. Benedicti, ex Epiſcopo Ciuitatenſi, Aiacenſis, ſiue Aiatenſis Præſul conſtitutus, ſua doctrina, & morum grauitate, ad Cardinalatum aſcendere meruit. *Trittemius, lib. 4. cap. 43.*

Albigenſes, Albienſes, ſiue Albianenſes, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Bituricenſi.

S. SALVIVS, Gallus, Iudex primum, deinde monachus, poſtea Abbas, & poſtremo Epiſcopus, inter cæteras uirtutes, etiam prophetiæ ſpiritu claruit. Obiit anno Domini 587. die quarto Idus Septembris. *Gregorius Turon. in hiſt. Franc. lib. 7. cap. 1.*

S. THEODEFRIDVS, ſiue ut Trittemio placet Tendefredus, monachus Luxouienſis, & Abbas Monaſterii S. Petri Corbeiæ in Gallia, doctrina, & religione generis ſui claritatem, non modicum illuſtrauit, & ſanctitate clarus migrauit in cœlum die 26. Ianuarii. Floruit ſub Dagoberto & Clodoueo. II. Regibus Franciæ. *Trittemius, lib. 4. cap. 209. Moſander tomo 7. in vita S. Batildis.*

Aldemburgenſes in Vuagria, qui poſt Lubecenſes, ſub Bremenſi Archiepiſcopo.

10 D. EIZO, Germanus, monachus, decimus Aldemburgenſis Epiſcopus ab Alberto Archiepiſcopo creatus anno Dom. 1058. præfuit laudabiliter annis plus minus octo, ſuo tempore ſedes Aldemburgenſis, quæ latiſſimè ſe extendebat, in tres Epiſcopatus, à prædicto Alberto Bremenſi Archiepiſcopo & Apoſtolicæ ſedis in regnis Aquilonaribus Legato, ſciſſa eſt: ſcilicet in Magnipolenſem, quę nùc Suerinenſis uocatur, cui præfectus eſt S. Ioannes Scotus, monachus: in Racesburgenſem, quam habuit quidam Ariſto; & in Aldemburgenſem, quæ hodie Lubecenſis eſt, quam rexit hic noſter Eizo; quo anno 1065. defuncto, Aldenburgenſis Epiſcopatus uacauit per annos 84. uſque ad annum 1149. *Crantzius metrop. lib. 4. cap. 39. Albertus Stadenſis in chronico.*

11 S. VICELINVS, Saxo, Germanus, monachus, & Abbas monaſterii Segebergenſis, deinde Abbas cœnobii Falderæ in ciuitate Cuzalina, poſtmodum anno uacantis ſedis 84. qui erat à natiuitate Domini 1149. & Apoſtolatus ſui ad Vandalos triceſimus, Eccleſiæ Aldenburgenſi Epiſcopus datus, quod prius faciendum uerbis docuerat, operibus demonſtrauit; obiit anno 1154. regiminis ſui. 6. Pridie Idus Decembris. *Albertus in chron. Crantzius metrop. lib. 6. cap. 13. & alij.*

Aleth-

Alethenſes, qui & San Macloniani, in Britannia minori. ſub Dolenſi Archiepiſcopo.

S. MACLOVIVS, qui & Machutes, Brito, monachus Monaſterij Benchorenſis in Britannia, ac Sancti Brandani Abbatis diſcipulus, meritis creſcentibus factus eſt Epiſcopus Alethenſis, & populum ſibi creditum, quoad uixit, in omni ſanctitate gubernauit: de cuius admirandis rebus geſtis multa extant paſſim volumina. Floruit anno 560. Obijtque die 17. calendas Decembris. *Robertus cœnalis de re gallica, lib. 2. Trithemius lib. 4. cap. 133. qui Epiſcopum eum Hyberniæ appellat, & alij permulti.*

Ambianenſes, in Gallia, ſub Rhemenſi Archiepiſcopo.

34 S. GODEFRIDVS, Gallus, monachus, & Abbas Monaſterij S. Mariæ Nouingenti, creatus anno Domini 1107. præfuit ouibus ſuis in omni ſanctitate, annis vndecim, & miraculis clarus, obijt anno 1118. ætatis ſuæ. 50. ſexto Idus Nouembris. *Nicolaus monachus in eius uita apud Surium tomo 6.*

51 D. IOANNES de Grangia, monachus ordinis S. Benedicti, creatus & conſecratus circa annum Domini 1370. Decretorũ Doctor, & in rebus agendis exercitatiſſimus, ob ſingulares animi dotes a Gregorio Papa XI. inter purpuratos anno 1375. connumeratus, obijt poſt annum Domini 1400. *Panuinus in epit. Pont. Rom.*

Anagnini in Campania, Sub Patrimonio S. Petri.

D. STEPHANVS, Romanus, monachus Monaſterij de Brandalo, & deinde Epiſcopus Anagninus à Formoſo Papa factus, poſtmodum Bonifacio VI. Pontifici Romano ſuccedens, Stephanus, VII. dictus VI. appellatus eſt, anno 898. *Illeſcas lib. 4. cap. 45. & alij.*

Andegauenſes in Gallia, Sub Turonenſi Archiepiſcopo.

S. ALBINVS, Gallus, Brito, monachus, & Abbas Monaſterij Cincillacenſis in Francia, ſanctitatis eximiæ uir, qua mediante ad Pontificatum aſſumptus, annis 25. eccleſiam ſibi commiſſam ſtrenuè gubernauit; & miraculis pollens in pace quieuit, circa annum 570. die primo Martij. *Trittem. lib. 4. c. 181. & alii.*

D. IOANNES Godefridus Balues, Gallus, monachus, & Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, & deinde Epiſcopus Andegauenſis, poſtmodum S. R. E. Card. 1465. renunciatus: obiit Romæ 1491. *Belforeſtius in Coſmographia.*

D. GVLIELMVS de Eſtouteuilla, Normandus, Gallus, DD. Doctor, monachus & Prior S. Martini de Campis Pariſiis, ex Epiſcopo Marinenſi, Epiſcopus Andegauenſis, poſtea Biterenſis, & tandem

dem. S.R.E. Card. pronunciatus anno 1439. Obiit Romæ 1482. *Panuinus in epitome.*

Anicienſes in Gallia, olim ſub Archiepiſcopo Bituricenſi; nunc ſunt exempti.

D. IOANNES de Borbonio monachus, & Abbas Cluniacenſis quadrageſimus ſecundus, ad quam aſſumptus eſt anno Dom. 1434. poſt Epiſcopus Anicienſis creatus anno . . . . . Varia fortuna, ob continuos belli motus Ludouici vndecimi Regis, & Caroli Burgundiæ Ducis, eccleſiæ ſuæ præfuit; quo tamen anno ex hoc mundo migrauerit, Chronicon Cluniacenſe, a quo hæc accepimus, non exprimit.

Antiſiodorenſes in Gallia, ſub Senonenſi Archiepiſcopo.

29 D. QVINTILIANVS, monachus, & Abbas cuiuſdam Monaſterii in Gallia, ord. S. Benedicti, creatus eſt Epiſcopus tempore Pipini ſenioris, Auſtraſiæ Ducis, circa annum Domini 700. paulo ante uel poſt: & moriens ſepultus eſt in eccleſia S. Germani Epiſcopi, Antiſiodori. *Democharis de ſacrif. miſſæ tomo 2. cap. 19. & Franciſcus Belforeſtius in deſcriptione ciuitatis Antiſiodorenſis in ſua coſmographia.*

37 D. ABBO, monachus, & Abbas in Gallia, Fratri ſuo Heribaldo in epiſcopatu ſucceſſit, anno Domini 872. & duobus annis, decemque menſibus in regimine fœliciter peractis, obiit die tertio nonas Decembris, in eccleſia S. Germani, una cum fratre ſepultus. *Democharis, & Belforeſtius, ibidem.*

39 D. VVALO, ſiue Vuala, Francus, Monachus Corbeiæ Gallicæ, & frater Domni Anſegiſili Archiepiſcopi Senonenſis, Epiſcopus renunciatus anno 888. ſedit annos. 7. & dies 48. Obiit anno Domini 895. & in Monaſterio Saxiaco ſepultus eſt. *Ioannes Trittem. in chronico Hirſaugiæ.*

43 D. BETTO, ſiue Bethus, Burgundus, Gallus, monachus Monaſterii S. Columbæ Senonis, fuit in epiſcopatu annis 2. menſibus. 11. & diebus 14. Creatus enim anno Domini 929. die decimo Aprilis, migrauit anno 932. die ſexto calendas Martii; & in cripta eccleſiæ S. Germani ſepultus eſt. *Democharis, & Belforeſt. locis citatis.*

44 D. GVALDRICVS, ſiue Gildericus, Antiſiodorenſis, Gallus, monachus S. Germani, creatus in locum Bettonis, anno 932. cum annis 15. & dieb. 24. prouinciam ſibi commiſſam adminiſtraſſet, obiit anno 947. die 11. cal. Maii. & ſepultus eſt in eccleſia S. Germani. *Tritt. in chron. Hirſaugiæ, in Rudolpho Abbate.*

46 D. RICHARDVS, Antiſiodorenſis, Gallus, Monachus, & ipſe S. Ger-

S.Germani in ciuitate Antisiodorensi, creatur Episcopus anno 976. præ fuit annis.9.mense 1. diebus 2. obiitque anno 985.die 17. calendas Iunii,cum suis antecessoribus in ecclesia Sancti Germani sepultus. *Democharis,& Belforest.ut supra.*

54 D. Hvgo, Monachus,& Abbas S.Germani, Gallus de Monteacuto, territorio Cluniacensi, creatus anno 1115. laudabiliter præ fuit annis.21. Fuit carne Nepos Sancti Hugonis Cluniacensis Abbatis; Obiit autem anno 1136. die 4.Idus Augusti,& in capitulo ecclesiæ S.Germani sepultus est. *Trittemius lib.4.cap.299. Democharis,& Belforest.qui supra.*

55 D. Hvgo, alter, prædecessoris compatriota, monachus & Abbas Pontigniacensis,statim a morte alterius Hugonis electus, sedit annos 15. & in Monasterio suo Pontigniaco, in quo & sepultus est,diem obiit anno 1151.die 6. Idus Octobris. *Democharis,& Belforest. sæpe citati.*

Antisiodorenses incerti.

D.Remigivs, monachus Antisiodorensis, Sancti Germani, scilicet,uir suo tempore doctissimus, & Sancti Odonis Cluniacensis Abbatis magister, ob singularem doctrinam ad Pontificatum euectus est. Floruit anno Domini 890. *Trittemius lib.4.c.198. & Belforest.lib.2.Annalium Franciæ,cap.58.*

D.Harmvndvs, monachus,& Abbas Pontigniacensis, Episcopus electus,ante mortuus est quam consecrari posset.Claruit anno Domini 1080. *Trittemius lib.4.cap.269.*

Annotatio.

Hi duo citantur à Trittemio,vt uidere est;necnon,& Prior,Remigius,scilicet, a pluribus fidedignis Historicis Episcopus Antisiodorensis agnoscitur,attamen in catalogis Episcoporum illius ecclesiæ, apud Democharem non reperiuntur; & ea ratione hic à nobis separatim appositi sunt.

Aquinenses in Campania, siue Aquinates,exempti.

D.Martinvs, Florentinus, Tuscus, monachus Monasterii Casinensis,post depositionem Angeli Episcopi, Aquinensis Ecclesię moderator electus à Nicolao Papa II. anno 1060. & ab eodem consecratus, mirum dictu,quantum uerbo & exemplo ouibus sibi commissis profuerit: & eruditione & sanctitate clarus, ad Dominum migrauit. *Leo Ostiensis in chron. Cas.lib.3.cap. 14. Trittemius lib.4. cap.262.*

D.Rainaldvs, monachus & ipse Casinensis, aliquot annis eidē Ecclesiæ præ fuit:Obiit die 9. Februarij. *Ex cal. MS. Mōtis Casini.*

Aretini in Tuscia, sub Patrimonio Petri.

MICHAEL, monachus Monasterii Sanctæ Crucis de Auellana, Congregationis Columbæ, Episcopus Aretinus. *Aug. Florip. 2. lib. 5. cap. 16.*

Argentinenses, in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

1 S. AMANDVS, Aquitanus, Gallus, Serani Ducis, & Amantię filius, monachus primum S. Honorati Lerini, deinde Ogyæ insulæ, post Bituricensis, demum à Dagoberto Rege, ex Traiecto, cui præerat Episcopus, euocatus, Argentinensi ecclesiæ primus constituitur Episcopus anno Domini 633. quam in omni sanctitate gubernauit usque ad annum 640. quo anno infidelium furori cœdendum existimans, ad episcopatum suum Traiectensem, rediit; cui cum tribus annis aliis præfuisset, eo item abdicato, ad Monasterium Elnonense confugit, in quo miraculorum gloria clarus migrauit, anno 661. octauo Idus Februarii, ibidemque sepultus. *Petrus Cratepolius de episcopis Germaniæ, & alij.*

2 S. ARBOGASTVS, Hibernus, siue ut aliis placet Aquitanus, monachus, & Eremita in nemore Heiligeforst, in Alsatia in loco ubi nunc Haganoa sita est, S. Amādo successor datus anno 646. præfuit in omni sanctitate annis plus minus duodecim. Obiit anno 658. die 12. calendas Augusti; in colle S. Michaelis, ubi nunc est Monasterium S. Arbogasti, sepultus. *Cratepolius ibidem: & Democharis de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 35.*

4 S. FLORENTIVS, Scotus, monachus, & Abbas Monasterii Haselachii, mediatè S. Arbogasto succedens, anno 663. spatio annorum duodecim, Monasterium amplissimum ad amnem Bruschiū, monachis, & maximè Scotis, ædificauit; Sanctum Arbogastum miraculis clarum de terra leuauit; & non minori, quam Arbogastus, sanctitate clarens, in Domino obdormiuit anno 675. die septimo Idus Nouembris: in Monasterio suo Scotorum, quod nunc S. Thomæ, intra muros Vrbis, uocatur, sepultus. *Ioannes Leslæus de gest. Scot. lib. 4. Cratepolius, & Democharis, qui supra.*

23 D. ETHO, uel Otho, monachus, & Abbas primum Vallis S. Georgii: deinde Augiensis; creatus est Episcopus anno 765. præfuit annis, plus minus octo, obiitque anno Christi 773. sepultus in cœnobio à se renouato Etenheimmuster. *Democharis, & Contractus in chronico, sed errare uidetur in computatione, creatum enim dicit anno 734. quod stare non potest si numeri Democharis recte sunt appositi.*

25 D. RE-

25 D. REMIGIVS, siue Benignus, monachus, & Abbas Vallis S. Georgii, electus & consecratus anno 783. sedit annos 20. & cœnobium Sanctimonialium Eschouium dictum cõstruxit, in quod multas Sanctorum reliquias honorificè transtulit. Migrauit à sæculo anno Domini 803. *Democh ares.*

26 D. RATHO, monachus, & Abbas Vallis S. Georgii, Remigio substitutus, cum annis octo præfuisset, & corpus S. Florentii episcopi ad Haselachium, siue Haselouium, ubi uitam duxerat monasticã, transtulisset, obiit anno Domini 812. *Democh ares.*

43 D. ALEVVICVS, siue Aldouichus, monachus, & Abbas diuitis Augiæ, creatus episcopus anno Domini 1000. præfuit annis 9. obiitque anno 1009. *Contractus in chron. Democh ares uero creatum dicit anno 997. sed is est annus promotionis eius ad Abbatiam, ut annotat Contractus, non autem ad Episcopatum.*

70 D. LAMBERTVS, nobilis a Buren, Alsata, Gulielmi equitis Aurati filius, monachus primum Neouuilerensis, deinde Gengenbacensis Abbas, a Carolo IIII. Imperatore, assensu Romani Pontificis, ex Episcopo Spirense, creatur Argentinensis anno 1371. qua dignitate functus annis 4. ad Bambergensem Ecclesiam transiit, cui præfuit annis 23. Obiit anno 1398. *Trittemius lib. 4. cap. 251. Democh ares, ubi supra.*

Aruernenses in Gallia, sub Bituricensi Archiepiscopo.

27 S. GALLVS, monachus, & Abbas Chrononensis, antequam Aruernis constitueretur Episcopus, à Treuerensibus electus, sibi dari à Theodorico Rege postulabatur, sed rege id pernegante, quod eum alibi destinatum diceret, ab eodem factus est Aruernorũ Præsul, cum adhuc esset Diaconus; quibus cum tanta humilitate præfuit, ut ab omnibus amaretur. Vigesimoseptimo regiminis sui anno, ætatis autem 65. miraculis & sanctitate clarus decessit, ipsis Calendis Iulii. Floruit anno Domini 560. & amplius. *Trittemius lib. 3. cap. 24. & alij.*

39 S. PRAEIECTVS, Gallus, monachus & Abbas Candidinensis in Aruernia, Episcopus creatus, suis semper uerbo & exemplo studuit prodesse, tandem à Proceribus eiusdem Vrbis, pro Christo contumeliosè habitus, constanti animo martyrii coronam percepit anno 670. die octauo calendas Februarii. *Auctor uitæ eius apud Surium tomo 1. & alij.*

Asaphenses, siue S. Asaph, in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

S. ASAPH, siue Asaphus, Scotus, monachus, & Abbas Monasterii

S. Ken-

S. Kentigerni Glaſgoenſis Epiſcopi, cuius uitã deſcripſit, & deinde illius loci, qui ex eius nomine denominationem Sancti Aſaph accepit, primus Epiſcopus, creatus circa annũ Domini 580. cum multos ad uiam reduxiſſet ſanitatis, clarus miraculis migrauit ad Dominum calendis Maii. *Chorog. brit. fol.* 548. Scripſit.

De uita S. Kentigerni Epiſcopi, lib. 1.
De ordinatione ſuæ Eccleſiæ, lib. 1.

Aſtorgenſes in Hiſpania, ſub Bracarenſi Archiepiſcopo:

S. GENNADIVS, Hiſpanus, monachus Monaſterii de Argeo, deinde Abbas S. Petri de Montibus, ob uitæ probitatem, & ſapientiæ meritum, Epiſcopus creatus, ita ſe in officio geſſit, ut poſt mortẽ, albo Sanctorum adſcribi meruerit. Obiit anno Domini 916. ætatis. 70. die 25. menſis Maii. *Ambroſius de morales in hiſt. Hiſpan. lib. 15. cap. 45.*

Attrebatenſes in Belgio, primo ſub Remenſi; nunc ſub Cameracenſi Archiepiſcopo.

3 D. ALOVISIVS, monachus & Abbas Monaſterii ..... creatus Attrebatenſis Epiſcopus proprius tertius (ante enim erant Cameracenſes & Attrebatenſes ſimul) anno Domini 1130. ſedit in ea ſede annos. 18. & tandem apud Philippolim cõtra Turcos obiit, anno 1148. *Democh. de ſacrif. miſſæ, tomo 2. cap. 15. Robertus de Monte ad annum.* 1130.

4 D. GODESCALCVS, monachus & Abbas de Monte S. Martini, poſt annum tertium uacantis ſedis, in locum Alouiſii Epiſcopus Attrebatenſis anno 1151. creatus, præfuit annis plus minus ſeptem. Et neſcio quam ob cauſam Epiſcopatum depoſuit anno 1157. *Robertus de Monte, in chron. Meyerus, lib. 5.*

D. DEODATVS, de Canilhaco, Gallus, Antiſiodorenſis, monachus Sancti Flori, & eiuſdem etiam ciuitatis Epiſcopus, ex illa, ad hanc uocatus ſedem, poſtmodũ S. R. E. Card. factus eſt anno 1345. *Democh. tomo 2. cap. 25. de ſacrif. miſſæ.*

D. IOANNES, Lofredi, Gallus, Luxouienſis, monachus Monaſterii Cluniacenſis, creatus Epiſcopus circa annum Domini 1450. paulo ante, uel poſt: ob ſingularem doctrinam, fuit enim ſacræ Theologiæ, & Decretorum Doctor, in numerum Purpuratorũ annumerari meruit à Pio Papa II. anno 1461. Obiit anno 1473. die tertio Idus Decembris. *Trittemius lib. 4. cap. 36.*

D. MATTHAEVS Mouillart, Attrebas, ex uico Sancti Martini, monachus, & Abbas cœnobii Sancti Gisleni, iuxta Montes Hannoniæ,

niæ,quod S.Petri Cella vocatur,ordinis S.Benedicti, Congregationis Bursfeldensis,Sacræ Theologiæ Doctor, Louanij promotus;Statuum Belgicorum tempore Ferdinandi Ducis de Alua, ad regẽ Philippum,in causa solutionis Denarij decimi,in Hispaniam Legatus; mortuo Domino Francisco Richardoto Episcopo,uiro nostrę ętatis doctissimo,omnium Canonicorum uotis, ob præclaras animi dotes,electus,nõ prius electioni de se factæ assentire uoluit (quamuis amicorum suorum, & summorum etiam uirorum, precibus rogatus) eo usque solutio pensionis aliquot centenariorum Coronatorum,quæ quotannis Illustrissimo Card. Granuellano,à prædecessoribus suis solui consueuerat, ab Episcopatu penitus remoueretur, sedesque Atrrebatensis suæ pristinæ libertati,& immunitati redderetur.Vir enim deuotus,& pius cum esset,sese cum aliquo conscientiæ scrupulo ab Abbatia sua,qua sola contentus erat,separari non sinebat. Factus igitur uoti,& animi sui compos,consecrationem tandem accepit anno Domini (si rectè recordor) millesimo quingentesimo septuagesimo quarto,qui erat secundus uacantis sedis. Quo in uitæ genere,quanta pro Catholicæ fidei defensione,ab impijs,& hæreticis sustinuerit facilius est cogitare,quam dicere: Ab ijs enim summis iniurijs affectus,& tandem etiam in exilium actus, patientissimè,& animo uirili, pro Christi amore,aduersa omnia sustinuit: donec,gratia Dei mediante,reuocatus, ad sedem suam reuersus est, quam usque in hodiernum diem (ut credo, nihil enim adhuc de sua morte ad me perlatum) summa prudentia,moderatur. In huius autem uiri præstantissimi laudibus, libentius immoror,quod ex eius sacris manibus anno Domini 1579. die 14. Martij, Sabbato quatuor temporum quadragesimæ,in ecclesia Virginis Deiparæ ciuitatis Attrebatensis, sacratum Presbyteratus ordinem susciperem, quamuis indignus, meruerim. Deus Opt.Max. hoc Benedictini ordinis decus,ad laudem & gloriam nominis sui, incolume nobis diu conseruare dignetur.

Audomarenses in Artesia Flandriæ,sub Archiepiscopo Cameracensi.

1 D. Gerardvs Hamericourtius,Leodiensis, monachus, & Abbas Monasterii S.Bertini in ciuitate S.Audomari,ord.S.Ben.congregationis Cluniacensis;Morino, siue Taruanna,ciuitate à Carolo V.Imperatore destructa,& Episcopatu Morinensi trifariam diuiso, primus Sancti Audomari,siue Audomarensis,Episcopus creatus est, à Iulio Papa III. anno 1550.sic petente Philippo II. Hispaniarum Rege,qui tredecim Episcopatus nouos, consensu Summi Pontificis

in

in Belgio erexit, antequam ex eo discederet. Præfuit autem summa cum prudentia & laude Episcopatui, & Monasterio simul, usque ad annum (ni fallor) millesimum quingentesimum septuagesimum septimum, & moriens in Monasterio suo sepultus est. *Michael Eysingerus Austrius, in Leone Belgico.*

Auersani in Campania exempti.

D. GVITMVNDVS, siue Guimundus, Normandus, Italus, monachus & Eremita cœnobij S. Andreæ, quod nunc S. Crucis titulum gerit, de Auellana, Congregationis Columbæ; & deinde ob summam & singularem eruditionem & doctrinam, Auersanus Episcopus, circa annum Domini 1060. floruit, & eruditionis suæ clara monimenta reliquit, videlicet, ad Rogerium monachum contra errores Berengarij Turonensis.

De corpore & sanguine Domini, lib. 3.

De S. Trinitate, Christi humanitate, Corporisque, ac Sanguinis Domini veritate, Confessionem: quæ excusa est cum tribus libris prædictis in tomo. 4. Bibliothecæ SS. Patrum margarini de la Bigne, Parisijs anno 1576. in fol. item, & Coloniæ cum Lanfranco, Algero, & alijs: & alibi aliquoties.

ANNOTATIO.

Trittemius lib. 2. cap. 80. & lib. 4. cap. 230. de vir. ill. Ord. S. Ben. at lib. de script. eccles. alijque qui ab eo acceperunt, decepti vt arbitror, aquiuocatione nominum, Normandi, & S. Crucis, putarunt Monachum monasterij de Cruce S. Leufredi in Normandia Galliæ fuisse: Italum tamen Normandum, ac Monachum illius monasterij, quod postea S. Crucis de Auellana titulum gessit, fuisse, ex historijs tenemus: confirmant que Bugianus colloquio 4. hist. monast. & Augustinus Florentinus, parte 2. hist. Camald. lib. 5. cap. 15. qui in duobus tamen emendandi sunt, primùm, quod Sigismundus uocabulo corrupto, ab eis uocetur; alterum, quod Archiepiscopus Antuerpiæ fuisse scribitur. Hoc autem posterius ex duobus natum suspicor, scilicet, quod Archiepiscopus Auersanus dicatur a Trittemio libro de script. eccl. in quo corrigendus uidetur, cum postmodum ipse in libris de uir. ill. Ord. S. Ben. citatis palinodiam cecinerit; deinde quod dictio illa Auersa, a Bugiano, & Augustino, non intellecta, occasionem dederit Antuerpiam illam Brabantiæ, quæ uulgariter Anuersa dicitur, suspicandi, pro Auersa ciuitate Campaniæ, quæ nunquam Archiepiscopali dignitate cohonestata legitur. Et Episcopum Antuerpiæ non fuisse ex hoc liquet, quod Antuerpia a prima sua origine nunquam Episcopum proprium habuerit usque ad annum Domini 1550. quo, creatus est primus illius

lius ciuitatis Episcopus, Philippus Niger sic petente Philippo. II. potentissimo Hispaniarum Rege, qui cum antequam inire posset diem obijsset, successorem habuit Franciscum Sonnium Episcopum Buscoducensem primum, uirum doctissimum, ut eius opera produnt.

Augustæ Vindelicorum in Sueuia, sub Moguntino Archiepiscopo.

9 S. VICTERBVS, siue Victetpus, monachus, & Abbas Elefantensis cœnobii, creatus est Episcopus anno Domini 716. præfuit annis 16. & sanctitate clarus obiit anno 732. die sexto Idus Aprilis. *Petrus Cratepolius de Episcopis Germaniæ: & Democharis de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 35.*

10 S. SYMBERTVS, siue Simpertus, uel Symprechtus, Autberti Austrasiæ Ducis filius, & Caroli Magni Imp. ex Symphotiana sorore, nepos, monachus & Abbas Murbacensis Monasterii, ad episcopatum euectus est anno 779. & cum annis 30. Rempublicam ecclesiasticam in omni sanctitate rexisset, migrauit anno 809. & in Sanctorum numerum relatus est. Solennitas eius tertio Idus Octobris recolitur. *Cratepolius, & Democharis, ut supra.*

15 S. NEODECARIVS, siue Nycarius, monachus & Abbas clausti Vitenburrani in Sueuia, uir Sanctus, creatus est Episcopus anno 866. præfuitque annis quatuor tantum, & anno 869. sanctitate & miraculis fulgens, migrauit in cœlum. *Democharis loco citato, & Belforestius, in Cosmographia.*

18 S. VVIDGARIVS, alias Vuidogerus, monachus ipse & Abbas Vitenburranus, creatur anno Dom. 888. sua prædicatione Heluetios ad fidem adduxit, ideoque eorum Apostolus uocari meruit; Decessit anno 903. regiminis sui. 15. *Democharis ibidem.*

19 S. ADALBERVS, Comes à Dillingen, monachus & Abbas Elfangensis; creatus Episcopus anno 903. in locum Vuidgarii; & sex ante mortem annis coadiutorem sibi sumpsit Hildinum, uitæ integritate, ac doctrinæ præstantia insignem uirum; & cum ecclesiam suam sanctè gubernasset annis. 17. obiit anno Domini 921. apud S. Afram honorificè sepultus . . . *Democharis eodem loco.*

21 S. VLRICVS, siue Vdalricus, uel Hudalricus, Hugobaldi Comitis Chiburgensis ac Dillingensis, & Gerbirgæ Comitissæ Veringensis filius, monachus Monasterii S. Galli, in Heluetiis, renunciatus est Episcopus anno Domini 923. siue uno amplius, ut vult Contractus; fuit in ea potestate annis 50. Obiitque miraculis & sanctitate clarus anno 973. ætatis suæ 83. & à S. Vuolfgango Ratisponensi Episcopo digno honore in templo S. Afræ, quod postea ab eius nomi-

nomine S. Vlrici appellatum est, reconditus, die quarto nonas Iulii. *Trittemius lib. 4. c. 222. & Cratepolius.*

ANNOTATIO.

In monumentis orthodoxographorum Patrum excusis Basileæ in folio, & in Bibliotheca Philosophorum historica, aliisque in locis habetur Epistola quædam scripta ad Nicolaum I. Papam, contra cœlibatum Sacerdotum, quæ ab Hæreticis, huius nostri S. Vdalrici esse perhibetur, quod quam a ueritate sit alienum, a tempore quo floruerunt & obierunt elicitur. Sanctus enim Vdalricus, Contractio, Demochare, Abbate Vrspergense, aliisque testibus, creatus est Episcopus anno Domini 923. uel 924. obiitque anno 973. ætatis suæ 83. & Nicolaus Papa I. Onufrio Panuino, & alijs referentibus, obiit anno 867. annis uidelicet 23. antequam S. Vdalricus nasceretur, & 56. uel 57. antequam in Episcopum consecraretur; non igitur potuit Nicolao I. Papæ scripsisse, cum nondum natus esset, & iam natus Papa Nicolaus inter uiuos esse desiisset. Hæc breuiter noui annotare, ne forsitan incautus Lector, sanctitatis S. Vdalrici titulo allectus, dubia, pro certis recipiat, discatque ab huiusmodi Hæreticorum impostoris, quialiquando speciosam sanctitatis ouinæ uestem induunt, ut facilius in Dominicum ouile irruere possint, cauere.

25 S. GEBEHARDVS, S. Vlrici Capellanus, monachus & Abbas Elfangensis in Sueuia, creatur Episcopus, anno Domini 996. & post sex annos, quibus regimini præfuit, Episcopatu, & uita defunctus est, anno 1002. ipsis Nonis Iulii; & in ecclesia S. Mariæ, iuxta prædecessorem suum sepultus est. *Trittemius lib. 4. cap. 237. & Demochares.*

SCHISMA.

32 D. EKNARDVS, monachus & Abbas diuitis Augiæ, eligitur à Guelphone Duce, qui partes Gregorij Papæ VII. contra Henricum IIII. Imp. tuebatur, & Vuigboldoni Episcopo, contra Sigefridum Episcopum, qui ab Episcopatu a Gregorio VII. remotus fuerat, substitutus, ante obiit, quam Augustam Ciuitatem intrare posset. *Demochares.*

33 Domnus. N. monachus & Abbas Campidonensis, Eknardo mortuo, ab eodem Duce Episcopus creatus, contra eundem Sigefridum Schismaticum, morte repentina præuentus, cõsecrationis munus non habuit. Floruerunt hi duo anno Domini 1080. *Democharis loco citato.*

35 D. HARDOVICVS, uel Hardounicus, nobilis heros a Lierhein, Sueuus, monachus, & Prior monasterij S. Vlrici, Augusta-

nus

nus Episcopus, 35. siue si duos prædictos annumerare uelimus, 37. creatus anno 1167. præfuit annis. 17. Obijt anno 1184. die. 25. Ianuarij, & in templo cathedrali D. Virginis, honorifice sepultus est. *Democh ares, ut supra.*

SCHISMA.

52 D. FRIDERICVS, nobilis a Grafeneglt, Monachus, & Abbas cuiusdam monasterij in Hungaria, a Bonifacio Papa IX. petitione Sigismundi Imperatoris, contra Anselmum Episcopum, creatus, anno 1413. contendit cum eodem de Episcopatu annis nouem, tandem utroque ad sua remisso anno 1422. Augustanis a summo Pontifice datur Episcopus Petrus Schauenbergius, qui postea ad Cardinalatum ascendit. *Demochares supra citatus.*

Augustodunenses siue Heduenses in Gallia, sub Lugudunensi Archiepiscopo.

27 S. RACHNACARIVS, monachus Monasterii Luxouiensis in Burgundia, postquam aliquot annis Ecclesiæ Augustodunensi præfuisset, ad Basilienſem sedem translatus, sanctè obiit. Claruit anno Domini 660. *Ionas in uita S. Eustasij Abbatis, apud Surium tomo 2.*

28. S. LEODEGARIVS, Monachus, & Abbas Sancti Maxentij, in ciuitate Pictauiensi, Augustodunensis creatus Episcopus, multa aduersa ab Ebroino tyranno passus, eius etiam iussu martyrij postea coronam accepit anno Domini 685. die sexto Nonas Octobris. *Trittemius lib. 4. cap. 173.*

Auinionenses, in Gallia, sub Arelatensi Archiepiscopo.

D. ANGLICVS, uel Angelus, siue Angelicus, Grimoaldi filius, Vrbani Papæ V. Frater, monachus Monasterij S. Rufi prope Valentiam, Episcopus Auinionensis creatus, in numerum purpuratorum postea, anno 1366. assumptus, Obiit Auinione anno 1387. die decimosexto calendas Aprilis. *Panuinus in epitome Pontif. Rom.*

Aurelianenses in Gallia, sub Senonensi Archiepiscopo.

33 S. EVCHERIVS, monachus Monasterii Gemeticensis in Gallia, post multas persecutiones, etiam in exilium à Carolo Martello missus, sexto relegationis suæ anno in Monasterio S. Trudonis miraculis clarus obiit, qui erat à Natiuitate Christi annus 727. & dies vicesimus Februarii. *Tritt. lib. 4. cap. 186. & alij.*

37 D. DEOTINVS, monachus & Abbas Floriacensis, creatus circa annum Domini 790. aliquot annis præfuit. *Belforestius in Cosmographia.*

38. Sanctus.

38 S. THEODVLPHVS, monachus ipse & Abbas Sancti Benedicti Floriacensis, uir Sanctus & doctus, de quo in ramis mentionem ampliorem fecimus, pluribus in Episcopatu tribulationũ procellis agitatus, patientia, & fortitudine, intumescentes fluctus confregit, & sanctitate clarus quiẽuit in Domino. Floruit anno Domini 840. *Trittemius lib. 4. cap. 197. & alij.*

Aurienses in Portugallia, sub Bracarensi Archiepiscopo.

S. ISAVRVS, siue Ansurius, Hispanus, monachus in Hispania, deinde Episcopus Auriensis, siue Orensis, uir pius, & deuotus extitit: & tandem miraculis, & sanctitate clarus obiit anno Domini 966. die 26. Ianuarii. *Ambrosius morales lib. 16. c. 3. hist. Hispaniæ.*

Aystetenses, siue Aychstadiani, uel Aureatenses in Sueuia, sub Moguntino Archiepiscopo.

1 S. VVILLIBALDVS, Sueuus, Richardi Sueuorũ Regis filius, monachus primum Vvaldheimensis, deinde Casinensis, à Sancto Bonifacio Archiepiscopo Mogũtino, cuius erat discipulus, & nepos, ob matrem Bonnam S. Bonifacii sororẽ, primus Aystetensis Episcopus creatus, an. Christi 745. ætatis suæ 41. præfuit an. 36. Obiit autem an. 781. ætatis 77. nonis Iulii: & in summo tẽplo, quod ipse construxerat, sepultus est. Scripsit, Vitã Sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, magistri sui, quæ utrum extet ignoratur. Vitam item sororis suæ sanctę Vvalburgis Abbatissæ. *Trittemius lib. 4. ca. 185. & alij.* Canonizatus est, consentiente Leone Papa VII. Megingosi episcopi Aystetensis diligentia, in cuius memoriam perpetuam suspendit in medio Basilicæ Cathedralis cupream, & pulcherrimè deauratam coronam, cum tali inscriptione:

Hanc Vvillibaldo pharam construxerat almo,
Præsul deuotus Mengosus nomine dictus;
Qui pius hunc sanctis precibus coniungit eundem,
Turmis Angelicis cœlesti nomine sanctis.
Hoc Pater, & Natus, necnon & Spiritus almus,
Efficiat firmum, fixum, solidumq́, per æuum.

24 D. CONRADVS, heros Bauarus, monachus & Abbas Vuildeshergensis, creatus ab Eugenio Papa III. anno 1153. sedit annos. 18. Obiit anno 1171. & sepultus est in Basilica S. Augustini, quam à fundamentis erexerat. *Democh. tomo 2. cap. 35.*

Episco-

Episcopatus de littera B.

Cap. XXXVIII.

Baiocenses in Normandia, sub Rothomagensi Archiepiscopi.

10 SANCTVS VIGOR, Attrebas, Belga, monachus Monasterii S. Vedasti in ciuitate Attrebatensi, Episcopus creatus ad gentium conuersionem, officium sibi impositum strenuè impleuit, & tam uerbo, quam exẽplo, multos ab iniquitate, ad viam veritatis perduxit. Obiit die Calendarum Nouembris; Floruitq; circa annum Dom. 560. *Tritt. lib. 4. cap. 131. & alij.*

Balnenses, in Italia.

D. TRANSMVNDVS, Oderisij, Marsorum Comitis filius, monachus Monasterii Casinensis, & Abbas primum Tremitensis, deinde S. Clementis; procurante Domno Hildebrando, qui postea Gregorius Papa VII. appellatus est, factus est episcopus Balnensis, circa annum Domini 1066. Vir fuit egregius, prudentia summa, & doctrinæ laude clarus: cuius etiam opera, in maximis & arduis negotijs Desiderius Casinensis Abbas usus est. *Leo Ostiens. lib. 3. cap. 25. Chron. Casinensis.*

Bambergenses in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

8 S. OTTO, monachus Monasterii S. Michaelis in monte Monachorum iuxta Bambergam, uir doctus, & zelator animarum præcipuus, Pomeranis euangelium prædicans, eos ad fidem Christi cõuertit, vnde & Apostolus Pomeranorum vocatus est. Creatus est anno Domini 1102. & cum oues sibi creditas annis plus minus 37. uerbo, & exemplo pauisset, sanctitate, & gloria miraculorum glorioſus migrauit ad Dominum anno 1139. die sexto nonas Iulii. *Trittemius lib. 4. cap. 258. & alij.*

6 D. Hermannus, monachus cœnobij S. Fœlicitatis in Suuarzach in diœcesi Herbipolensi, uir religione præcipuus, episcopus renunciatus, boni pastoris exemplum omnibus exhibere curauit. Floruit anno Domini 1070. *Trittemius lib. 4. cap. 256.*

D. Lambertus, à Buren, monachus Neouurlerẽsis, & Abbas Gengenbacensis, ex episcopo Argentinẽsi, creatus est Bambergensis epi-

episcopus à Carolo IIII. Imp. anno 1375. & præfuit eidem ecclesiæ annis. 23. usque ad annum Domini 1398. quo mortuus est. *Demochares, de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 35.*

Basileenses, in Heluetia, sub Bisuntino Archiepiscopo.

S. RACHNACARIVS, monachus Luxouiensis, ex episcopo Augusto dunensi, ad hanc sedem promotus, sanctitate & miraculis in episcopatu floruit. Vixit anno Domini 660. *Vita S. Eustasij apud Surium tomo 2.*

D. Hatto, monachus & Abbas Monasterii diuitis Augiæ, creatus est episcopus anno Domini 806. Vir fuit doctissimus, & in rebus agendis exercitatissimus; legatione functus est ad Michaelem Imp. Constantinopolitanum, eò à Carolo magno Imper. directus, ibique constitutus, librum, Hodæporicum prænotatū, scripsit. Tandem reuersus, & uitam priuatam adoptans, episcopatui & Abbatiæ cessit, anno Domini 822. regiminis sui 16. & ad Monasterium suum rediit, ubi orationibus & scripturarum lectioni operam dans obiit anno 836. resignationis suæ 14. Scripsit autem ultra opus prænotatum, & Visiones S. Vuettini monachi, prosa. *Hermannus contractus in chronico, tam ueteri, quam recentiori.*

D. HANNO, monachus & Abbas Luneburgensis, episcopus creatus, maxima apud Principes huius sæculi auctoritate fuit, & imprimis Lothario II. Imperatori carus, cuius legatus fuit in negotio depositionis Domini Rainaldi Celimentani Casinensis Abbatis. Floruit anno Domini 1140. *Chronicon Casinense lib. 4. cap. 120. & 121.*

Bathonienses in Anglia, nunc Vuellenses, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

9 D. SIGARVS, Anglus, monachus, & Abbas Reuerēdissimus, Chineuualdo Episcopo ad patres adposito, eius loco creatus est anno Domini 985. & moriens anno 997. regiminis sui. 12. locum Aelfuuino reliquit. *Matthæus Vuestm. ad annum 985.*

17 D. Sauanaricus, Anglus, monachus & Abbas Glasconiēsis, Godfrido in Episcopatu succedit anno Domini 1192. & sequenti, cathedra Glasconiam translata, Glasconiensis Episcopus dici, & uocari uoluit, sed cum eo titulus hic. ad tempus extinctus est. Migrauit à sæculo anno Christi 1205. administrationis suæ anno 13. die sexto Idus Augusti. *Chorographia Britanniæ, fol. 164. & Matthæus ad an. 1192. & 1205.*

23 D. Magister Gulielmus de Marchia, monachus & Scaccarius monasterienſis, Regisque Thesaurarius, Roberto Burnel substitutus

tus anno 1292. aliquot annis laudabiliter præfuit. *Matthæus Vuestmonast. ad an. 1292.*

Bellicenses in Gallia, sub Bisuntino Archiepiscopo.

D. EDOARDVS, Philippi Pedemontium Principis filius, ex Abbate Secusiæ, & Episcopo Sedunensi, Bellicensis factus, ad altiora natus Metropolita postmodum Tharentasiensis, & Cardinalis fieri meruit. *Pingonius in Arbore Sabaudica, gradu 22.*

Bitercenses, siue Biterenses, in Gallia, sub Narbonensi Archiepiscopo.

D. GVLIELMVS de Estouteuilla, Gallus, Normandus, DD. Doctor, monachus & Prior Monasterii S. Martini de Campis Parisiis, ex episcopo Andegauensi Biterensis Præsul renunciatus, postmodū etiam Rothomagensis Archiepiscopus, & exinde S. R. E. Cardinalis pronunciatus est anno 1439. *Panuinus in epitome Pont. Rom.*

Beluacenses in Gallia, sub Rhemensi Archiepiscopo.

28 S. ADALMANNVS, siue Hildemannus, monachus Corbeiensis Monasterii in Francia, ob morum integritatem, & uitæ sanctitatem, non solum episcopus meruit renunciari, verumetiam a morte catalogo sanctorum adscribi. Floruit anno . . . . . *Trittemius lib. 4. cap. 227.*

32 D. Odo, monachus & Abbas Corbeiæ Gallicæ, uir suo tempore facundissimus, cum multis legationibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus, functus fuisset, in quibus magnam gloriam & laudem promeruit: in vtraque uita clarus migrauit ad Christum. Floruit anno Domini 870. *Trittemius. lib. 4. cap. 210. Nicolaus Papa I. epist. 24.*

Bolonienses in Gallia, sub Archiepiscopo Remensi.

D. PHILIPPVS della Camera, Gallus, monachus & Abbas Corbeiensis in Gallia, Ducis Albaniæ frater, suis meritis ad Episcopatū promotus, ijsdem etiam mediantibus puniceum Galerum promeruit, à Paulo Papa III. anno 1542. Obiit Romæ die 9. calend. Martij anno 1550. ibidem ad S. Trinitatem in Pincijs sepultus. *Panuinus in epitome Pont. Rom.*

Bononienses, in flaminia, sub Archiepiscopo Rauennate; nunc sunt Archiepiscopi.

59 D. BARTHOLOMAEVS Raimondus, ciuis Bononiensis, monachus, & Abbas Monasterii Sancti Felicis, Episcopus Bononiensis in locum Cosmi Meliorati, creatus anno Domini 1392. die 12. calēd. Septempris, paulo post ipsis calendis Decembris consecrationis munus accepit: præfuit laudabiliter annis ferè 14. Obiit anno 1406.

die 18. calendas Iulij. *Carolus Sigonius de episcopis Bon. lib. 3.*

61 D. Ioannes, Bononiensis, monachus & Abbas Monasterii Sãcti Proculi, Antonio Corrario, q̃ Bartholomæo successerat, surrogatus anno Domini 1412. die octauo Idus Nouembris, sexto Idus eiusdẽ mensis solenniter consecratus est: Adfuit Concilio Constantiensi, anno 1414. & sequenti quorundam æmulatione abdicare coactus, paulo post anno, scilicet 1417. quarto nonas Ianuarij ex uita decessit. *Idem Sigonius lib. 3.*

63 D. Bartholomæus Zambeccarius, Caroli filius, monachus & Abbas Sancti Bartoli Ferrariæ, à populo contra Nicolaum Albergatum in schismate anno 1429. Episcopus electus, episcopalia munia exercuit per annum; sequenti enim renunciare coactus, Abbatiam suam S. Bartoli, tum amissam, Summi Pontificis Romani fauore, à Marchione recepit, in qua postmodum migrauit è uita. *Idem Sigonius lib. 4.*

Brandeburgenses in Germania, sub Magdeburgensi Archiepiscopo.

D. Lampertvs, monachus & Abbas Ilsemburgensis, uir in ecclesiasticis & monasticis disciplinis exercitatissimus, cum officium sibi commissum, & munus episcopale, diligenter impleret, quorundam æmulorum suorum coniuratione è medio sublatus, regnum celeste, ut piè creditur, cum palma martyrii intrare promeruit. *Trittemius lib. 4. cap. 235.*

D. Folchacdus, Germanus, monachus, & Præpositus Monasterii Altahensis, uir tanto officio dignus, ob singulares animi dotes creatur episcopus Brandeburgensis, anno Domini circiter 990. uel circa. *Auctor uitæ S. Gothardi Episcopi cap. 44. tomo 7. Surij 4. Maij.*

Bremenses in Saxonia, sub Magdeburgensi; post Archiepiscopalis sedes.

1 S. Vvillehadvs, siue Vuilhardus, monachus Monasterii S. Vuilbrordi Epternacensis, à Carolo Magno Imperatore anno 788. primus Bremẽsis Ecclesiæ ordinatus episcopus, in magna sanctitate populum suum rexit annos 2. menses 3. dies 26. Obiit autem senex & plenus dierum in Frisia anno 790. die sexto Idus Nouembris, & Bremam relatus in ecclesia S. Petri sepulturam accepit. *Trittemius lib. 3. cap. 195. & alij permulti.*

Brixienses in Italia, sub Mediolanensi Archiepiscopo.

23 S. Paterivs, Romanus, monachus & discipulus S. Gregorij Papæ I. ob singularem eruditionem Brixiensis episcopus creatus, de ta-

de talento sibi credito fructum centesimum reportans, doctrina, & sanctitate clarus, inter album Sanctorum relatus est. Floruit anno 600. Eius festiuitas nono calendas Martii digno honore recolitur.

Ipse de se in prologo excerptionum suarum.

Scripsit S. Gregorio Magistro suo hortante tres libros expositionum ipsius S. Gregorii in obscuriora tam ueteris, quam noui testamẽti loca, duos uidelicet de testimoniis ueteris testamenti, & unum de testimoniis noui; hos nuncupauit,

Testimoniorum, lib. 3.

Excusi sunt aliquoties, & nouissimè operibus S. Gregorii, Romæ anno 1590. in folio impressis inserti sunt.

Brixinenses in Bauaria, sub Saltzburgensi Archiepiscopo.

D. Lampertvs, à Buren monachus Neouurlerẽsis, & Abbas Gengenbacensis, à Romano Pontifice episcopus ordinatus, anno 1350. uel circiter, in officio fuit usque ad annum 1363. quo anno iussu Vrbani Papæ V. hac sede relicta, ad Spirensem cathedram se transtulit. *Democharis de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 35.*

Burgenses in Hispania, sub Toletano Archiepiscopo: nunc exempti.

D. Ramirvs, Hispanus, Arago Sanctii Aragoniæ Regis filius, monachus primum S. Pontii de Tomeriis in territorio Narbonensi, deinde SS. Facundi & Primitiui Abbas: postea Burgẽsis epus; mox Pompelonensis. exinde Rotæ & Barbastri; ad extremum fratribus defunctis Aragoniæ Rex & Sacerdos, uti produnt ueteres tabulæ mense Octobri datæ, ubi se Regem & Sacerdotem nominat, in omni uita sua irreprehensibilem se exhibuit. Vixit in hac dignitate anno 1100. *Ioan. Mariana lib. 10. cap. 2. & 15.*

Episcopatus de littera C.

Cap. XXXIX.

Cæsar Augustani in Hispania, nulli subiecti; nunc sunt Archiepiscopi.

S. Ioannes, Hispanus, S. Braulii episcopi, & in regimine successoris frater, monachus primum deinde Abbas illius cœnobii in Hispania, quod à S. Aemiliano eius discipulo, hodie, Monasterium S. Aemiliani uocatur, episcopus renunciatus, non minus monastici rigoris obseruator fuit, quam episcopalis muneris, & tandem doctrinæ laude, &

miraculorum gloria, sanctitatisque opinione clarus, migrauit in cœlum, circa annum Domini 640. paulo ante uel post; cuius uita conscripta est ab eius fratre & successore S. Braulio, simplici quidem, sed ueraci stylo. *S. Ildephonsus de uir. illustribus, cap. 6. & Ambrosius de morales in hist. Hispaniæ lib. 12. cap. 18. qui eius res gestas fusè satis prosequitur.*

Caietani in Campania exempti.

D. RAINALDVS, monachus Monasterii Casinensis, episcopus ordinatur ab Vrbano Papa II. circa annum Domini 1090. *Petrus in li. 4. chron. Casinensis. cap. 7.*

D. Richardus, monachus Monasterii Casinensis, consecratur à Paschale Papa II. circiter annum Domini 1117. *Idem Petrus lib. 4. cap. 59.*

Calcedonenses in Græcia, sub Constantinopolitano Patriarcha.

D. MARTINVS Cuppęrus, Mechlinienſis Belga, Carmelitanæ primum uineæ cultor, deinde Benedictinæ uindemiator egregius, Abbasque Monasterii Crispinienſis, inter Montes Hannoniæ, & Valencenas, uir doctus, & uenerandi aspectus, & Archiepiscopi Cameracensis suffraganeus, ætate iam grauis obiit anno Domini 1571. & in cœnobio suo sepultus est. *F. Petrus Lucius Belga in bibliotheca Carmelitana.*

Cameracenses & Attrebatenses simul, in Belgio, sub Rhemensi Archiepiscopo.

25 D. Inguelramus, siue Enguerranus, monachus Corbeiæ Gallicæ, in episcopum promotus, floruit anno 1010. uel circa. *Democh ares de sacrif. missæ tomo 2. cap. 15.*

26 D. Autbertus, huius nominis secundus, monachus Monasterii Attrebatensis (ut arbitror) S. Vedasti, Inguelramo surrogatus est. Fnndator fuit Canonicorum Sancti Autberti Cameraci. Vixit anno 1015. *Democh ares ibidem.*

Cameracenses solum, sub Remensi: nunc sunt Archiepiscopi.

36 3. D. ODO, siue Otto, monachus & Abbas Monasterii S. Martini Tornacensis, uir doctus & eruditus, multa ingenii sui monimenta posteris reliquit. Primus fuit qui Canonem Missæ commẽtarijs illustrarit, Obiit anno Domini 1113. *Democh ares ibidem. & Trithemius lib. 2. cap. 118. & alij.* Scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus extant præcipuè,

Sermones, & Homiliæ ad fratres, lib. 1.

De Incarnatione Domini ad Vuilbodonem monachum, dialogo-

logorum, lib. 1.
De villico iniquitatis, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

In Canonem Missæ, expositio elegantissima, quæ aliquoties excusa, nouissimè in tom. 4. Bibliothecæ SS. Patrum, Margarini de la Bigne, relata est, sub nomine Oddonis Abbat. Cluniacēsis, in quo correctione indigere videtur Margarinus. Odo nanque Cluniacensis Abbas de Corpore & Sanguine Domini, nihil aliud composuisse fertur, præter duodecim versus hexametros: nec ab ijs, qui de scriptoribus Ecclesiasticis scripserunt, tale quid in eius lucubrationibus ei tribuitur, sed Odoni episcopo Cameracensi. Versus uero illi Odonis Cluniacensis in bibliotheca nostra S. Benedicti Mantuani per me in quodam ueteri exemplari MS. reperti, ne pereant, hic apponuntur.

D. Odonis Abbatis de Sacramento corporis & sanguinis Domini, Versus.

Conuiuas epuli mundos Deus esse superni,
Vt docet & seruis Dominus vestigia lauit.
Muneribus uariis, & pluribus inde reiectis
Frumentum & uinum, cunctis hoc protulit unum.
Hoc sacrat, hoc nimium quod fit breue, quod nimis altum,
Tam modicum sumptum tam facile, atque paratum;
Tam sublime tamen quod totam habeat deitatem.
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod fit de pluribus unum,
Corpus hinc capiti, caput inde cohæret, & illi;
Hoc genus, hoc unum placet, hoc durabit, in æuum.
Hoc facile est, nitidum, simplex, deitate que plenum.

Canadinenses in Morauia, sub Colocensi Archiepiscopo.

S. Gerardvs de Secretis, Patricius Venetus, monachus Monasterii Beel in Hungaria, ob singularem pietatem episcopus ordinatus, toto regiminis sui tempore, continua uerbi Dei prædicatione multos ab iniquitate, ad pietatem adduxit: sed tandem ab impiis tentus, capitis obtruncatione coronā martyrii promeruit anno 1042. die octauo calendas Octobris. *Trittemius lib. 4. cap. 234. Bonfinius decadis. 2. rerum Hungariæ lib. 1. & 2. & alij.*

Candidæ Casæ in Scotia, sub Sancti Andreæ Archiepiscopo, siue Massæ Candidæ seu Candidæ casæ, in Anglia, sub Archiepiscopo Eboracensi.

1 D. Trinuuinus, siue Trunuuinus, Anglus, monachus Strenes-

halcensis,à Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi,anno 678.creatus,& consecratus est episcopus Pictorum, siue Candidæ Casæ,in ciuitate Vuiterna ; qui cum aliquot annis, exemplo prius,verbo deinde,uiam salutis suis ouibus demonstrasset,amore solitudinis Prælaturam relinquens, ad Monasterium suum reuersus est,in quo, non sine opinione sanctitatis,migrauit ad Dominum. *Trittemius lib.4. cap.167.*

4 S.Pethuuinus, qui ab aliis uocatur Plechelmus , siue Pechtelmus,monachus Maildubiurbensis,siue Malmesburiensis in Anglia, anno 763. Episcopus renunciatus,annis tredecim in omni sanctitate præfuit, & miraculis clarus in pace quieuit anno 778. Idibus Iulii. Quiescit in Oudenzeel in Flandria.*Trittemius lib.4.cap.176.& Matthæus Vuestm.ad annos citatos , de amborum creatione & morte solum:dissentiunt tamen præfatus Trittemius,& Molanus in indiculo de tempore,quo claruisse hic fertur.*

Carcaßonenses,in Gallia, sub Narbonensi Archiepiscopo.

D.Gvlielmvs Loy de Podio,Gallus,monachus Monasterii Cluniacensis,siue ut aliis placet , S.Flori, deinde eiusdem ciuitatis episcopus , decimus , postmodum sede Florensi relicta Carcassonensis Prælaturam assumens,ab eadem ad extremum Cardinalatus apicẽ ascendere meruit sub Gregorio Papa XI. anno 1375. *Democharis tomo 2.cap.25.de sacrif.missæ : Belforestius,& alii.*

Carleolenses in Anglia , sub Archiepiscopo Eboracensi .

1 D. Aethelvlphvs, monachus,& Prior,Monasterii S. Oswaldi, à Rege Angliæ Henrico , cuius erat Confessor , creari iussus est Carleoli primus episcopus ann.à Christo nato 1132. Et eo mortuo uidetur sedes illa uacasse usque ad annum 1230. quo Vvalterus Mauclerc episcopus ordinatus est. *Matthæus Vuestmon.ad annum 1132.*

Carnotenses in Gallia, sub Senonensi Archiepiscopo.

65 D. Petrvs, monachus & Abbas cœnobii S. Remigii, Rhemis , creatus anno 1180. præfuit annis septem. Obiit anno 1187. *Democharestomo 2.cap. 18. & Francisc. Belforestius in sua Cosmographia,qui aliquantulum dißentit in ordine Episcoporum.*

82 D.Simon le Maire , monachus & Abbas Maioris Monasterii, ex episcopo Dolense,creatus est Carnotensis anno 1357. anno Episcopatus sui tertio, Christi 1360. diem obiit. *Democharis & Belforestius .*

84 D.Gulielmus de Conaco, siue Chenaco , Gallus , monachus & Abbas

Abbas Monasterii S.Florentii de Sanimurio, creatus anno 1368. præfuit usque ad annum 1371. quo relatus est in purpuratorum numerum à Gregorio Papa XI. *Belforestius ibidem.*

87 D.Ioannes Faber, siue le Feure, Belga Duacensis, monachus Monasterii S. Vedasti Attrebati, DD.Doctor, creatus anno Christi 1379.sedit annos 12. obiitque anno 1392. *Belforestius loco citato.*

Casinenses, sunt exempti, in Samnio.

1 D.Raimvndvs, Campaniæ, Maritimæque, rector generalis & Comes, deinde monachus Monasterii Casinensis, anno 1323.à Ioanne Papa XXII. factus est primus episcopus S.Germani, siue Casinẽsis, Abbatiali dignitate in Episcopalem, transmutata: quo in honore fuit annis 15.obiitque anno Domini 1337.die septimo calendas Augusti, Casini sepultus.

8 D.Angelus de Pasta, monachus Casinẽsis, & octauus Episcopus, creatus anno 1358. sedit annos quatuor; obiitque anno 1361. die tertio idus Aprilis, & sepultus est in Monasterio Montis Casini. *Horum duorum mentionem facit D.Placidus Romanus Monachus Casinensis, in historia sua Casinensi MS. quę asseruatur Casini in Camera R.P.Abbatis.*

Catalaunenses in Gallia, sub Archiepiscopo Rhemensi.

D.Acharivs, monachus Monasterii Luxouiensis, episcopus electus, quod ore prædicabat, opere prius studebat implere, ne forte, aliis prædicans ipse reprobus efficeretur. Ouibus igitur suis in timore Dei præfuit, & non sine opinione sanctitatis in pace quieuit. *Trittemius lib.4.cap.241.*

D.Godefridus, monachus & Abbas S.Germani de Pratis, Parisijs, creatus Episcopus, monasticæ uitæ semper memor, regularem disciplinam ad finem usque iudefessè obseruare studuit. Floruit anno. . . . . *Belforestius in catalogo Abbatum S. Germani, in sua Cosmographia.*

Catanenses in Sicilia, sub Metropolitano Montis Regalis.

D.Angerius, Siculus Catanensis, monachus & Abbas S. Agathæ Catanæ, ab Vrbano Papa II. anno 1092. Ecclesiæ Catanensi præpositus, annis plus minus octo, ita laudabiliter præfuit, ut ab eodem postea anno 1099.in Episcopum Agrigentinum meruerit sublimari. *Fazellus de reb.Sic.lib.10.dec.2 cap.unico.*

Cathanesienses in Scotia, sub Archiepiscopo Sancti Andreæ.

D.Adam, Scotus, monachus & Abbas Malrosensis, deinde Episcopus Cathanesiensis in Scotia, à quibusdam incolis, subditis suis,

noctu

noctu grauiter primum vulneratus, deinde in culinam attractus, una cum alio monacho, qui ante eum occisus fuerat, & domo tota combustus est, anno Domini 1222. Hi diligenter conquisiti grauissimo supplicio fuerunt affecti. *Historiæ rerum Scoticarum lib. 7.*

Cephaludenses in Sicilia, sub Messanensi Archiepiscopo.

D. F. Rodericvs de Vadillo Hispanus, monachus Congregationis Vallisoletanæ, factus episcopus, ob sapientiæ suæ meritum, plebem sibi commissam verbo & exemplo incessanter pauit: obiit ab hinc decennio, uel paulo ante. *Illescas lib. 4. cap. 26.*

Cestrenses in Anglia, sub Archiepiscopo Cantuariensi.

3 D. Vvalterus, monachus, & Prior Dorobernensis, Rogerio Episcopo successor datus est anno 1146. & præfuit, si recte annorũ ratio posita est, usque ad annum 1187. *Matthæus Vuestmon. ad annum 1146.*

8 D. Vvalterus de Grai, monachus & Prior Dorobernensis, & Cancellarius Regis, creatus est anno 1210. & quinque annis in regimine uix completis, obiit. *Matthæus ad an. 1212*

Churenses, siue Curienses in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

32 D. Hartmannvs, siue Artemannus, Churæ natus, Baro de plana terra, monachus Monasterii Einsidlensis, deinde Abbas Fabarianus, episcopus Churensis, creatus, aliquot annis laudabiliter ecclesiam suam rexit. Obiit anno Domini 1039. *Democh. de sacrif. missæ tomo 2. cap. 35. & Belforestius, in Cosmographia sua, in catalogo Episcoporum Churensium.*

34 D. Henricus, monachus Diuitis Augiæ, electus anno 1070. præfuit octo annis; & adfuit concilio Moguntino; obiit anno 1078. *Fidem auctores.*

35 D. Eberhardus, monachus & Abbas Campidonensis, Nordemberto episcopo in Monasterium detruso; & Heriberto ab Imp. Henrico IIII. de sede deturbato, eligitur Churensis Corepiscopus potius, quam episcopus, anno 1085. & fuit in ea potestate, usque ad annum 1104. per annos, uidelicet plus minus. 19. Eo enim anno Odalrico episcopo creato, resignare coactus est. *Democh.*

42 D. Vlricus, siue Vdalricus, Baro à Degerfelden supra Clingenouium, in comitatu Badensi, monachus & Abbas Monasterii S. Galli, cui præfuit annis. 33. creatus est episcopus anno 1174. & cũ per octo annos episcopatum rexisset, eundem anno 1181. resignauit, retenta Abbatiæ suæ possessione. Cogebatur enim ab Alexandro

dro Papa III. qui in Synodo Romæ habita decreuerat; ne quis duas Prælaturas simul haberet, & si quis talis inueniretur, vna sola contentus, alteram resignaret. Tandem senio confectus, etiam Abbatiæ regimine se abdicauit anno 1199. & plenus dierum in pace quieuit. *Democharesius & Belforestius.*

49 D.Rodulphus, Baro à Gutingen, monachus & Abbas S.Galli, creatus anno Domini 1215. moritur Romæ anno 1226. regiminis sui vndecimo, & in ecclesia Lateranensi sepultus est. *Auctores præfati.*

51 D.Vlricus, siue Vdalricus, Comes Chiburgius, Hermanni Frater, monachus Einsildensis in Heluetia, electus episcopus anno 1233. quatuor annis in Pontificatu uix completis obiit anno 1237. Fundauit hic anno 1230. antequam episcopus crearetur Montem Sanctum, iuxta Vitudurum. *Auctores citati.*

60 D.Hermannus, Baro ab Escenach & Arbona, monachus Einsildensis primum, deinde Abbas Fabarianus, creatus episcopus circa annum Domini 1314. præfuit usque ad annum 1327. *Democharesius & Belforestius qui supra.*

Citizenses, uel Miluerburgenses, in Misnia, sub Magdeburgensi Archiepiscopo.

1 S.Hvgo, monachus ordinis Sancti Benedicti, uir apud Deum magni, & excellentis meriti, diuina ordinatione primus Ecclesiæ Citizẽsis creatus episcopus, ordinatus est ab Adelberto primo Magdeburgensi Archiepiscopo anno Domini 968. & sanctitate clarus obdormiuit, anno Christi 980. regiminis sui anno 12. *D. Paulus Langius monachus Spanheimensis in chronico Citizensi: & Petrus Cratep. de episcopis Germaniæ.*

Ciuitatenses, in Tuscia, sub Petri Patrimon. siue in Hispania, sub Compostellano Archiepiscopo.

D.Andreas, Hispanus, monachus ordinis S.Benedicti, ex episcopo Megarense, ad Ciuitatem ecclesiam regendam promotus; ab ea deinde ad Aiatensem transijt, & demum S.R.E. Cardinalis Pœnitẽtiarius renunciatus est. *Trittemius lib.4.cap.43.*

Claromontani in Galliis sub Archiepiscopo Bituricensi.

D.Iacobus de Ambasia, Gallus monachus, & Abbas Monasterii SS.Petri & Pauli Cluniacensis, & post episcopus Claromontanus in Aruernia, uir doctus & tanto officio dignus: claruit anno Domini 1507. *Iudocus Clicthoueus in epistola ad eundem, præfixa libello de clau-*

clauſtro animæ Gulielmi epiſcopi Pariſienſis.

Cœnomanenſes in Gallia, ſub Archiepiſcopo Turonenſi.

30 D. VVLGRINVS, monachus Gallus ordinis S. Benedicti, creatus Epiſcopus anno Domini 1070. ſedit in Epiſcopatu annos 8. menſes 9. & dies 11. Obiit anno 1079. *Democh. de ſacr. miſſæ, tomo 2. c. 23. & Belforeſtius in catalogo epiſcoporum Cœnomanenſium Coſmographiæ ſuæ.*

33 D. Hildebertus, Gallus monachus Cluniacenſis cœnobii, electus eſt Epiſcopus anno Domini 1106. & cum annis 29. & menſibus 6. laudabiliter præfuiſſet, ad Eccleſiam Turonenſem tranſijt, in qua doctrina, & deuotione clarus obiit. *Chron. Cluniacenſe MS.*

Compoſtellani in Hiſpania, nulli ſubditi; nunc verò Archiepiſcopi.

8 S. RODOSINDVS, Hiſpanus, Guterrij Comitis, & Aldaræ filius, monachus monaſterij Cellæ nouæ, quod ipſe proprijs ſumptibus ædificari curarat anno 938. deinde Epiſcopus Dumienſis, poſt Mondoneti, poſtremo Irienſis ſiue Cõpoſtellanus, in locum Siſnádi tertij circa annum 964. renunciatus; cum annis tribus eccleſiam illam ſanctiſſimè rexiſſet; ab eodem Siſnando deturbatus, ad monaſterium ſuum reuerſus eſt anno 967. in quo primum uitæ monaſticæ cultor exiſtens, poſtmodum Sancto Franquilæ Abbati in regimine ſucceſſit, & tandem miraculis clarus obdormiuit in Domino, anno 977. die Calendarum Martij: & anno 1136. in numerum ſanctorum ab Iacintho Cardinale, Alexandro P P. III. iubente relatus eſt. *Vaſæus in Chron. Morales lib. 15. c. 29. & lib. 16. c. 16. 30. & 36. & Ioannes Mariana in Annal. Hiſpaniæ, lib. 8. c. 8.* Nonnulla ſcripſiſſe fertur, inter quæ extat Teſtamentum eius, quod adfertur à Morale locis citatis.

10 S. Petrus Monſorius, Hiſpanus, monachus, & Abbas monaſterij quod Ante altaria vocatur, vir ſpectatæ virtutis, & tãtæ ſanctitatis, tamque religioſis ornatus moribus, vt Veremundus Rex eius virtutibus commotus, Compoſtellanæ Eccleſiæ, cui hic Petrus præerat, reſtitui iuſſerit, quæcumque iniuria ſuperiorum temporum erant ablata. Electus eſt, ut vult Mariana, anno Domini 981. in locum Pelagij Velasquij, qui ob impares mores ab Epiſcopatu pulſus fuerat. Quantum ſederit, non liquet. Obiit doctrina, & ſanctitate clarus, quarto Idus ſeptembris. *Vaſæus in Chron. ad ann. 963. Ioannes Marianæ in Annal. Hiſp. lib. 8. cap. 8. & alii.*

D. Petrus alter Hiſpanus, monachus & Abbas Carduicenſis, ſiue Sancti Petri de Cardena, à Ricardo Abbate S. Victoris Marſiliæ

Apo-

Apostolicę sedis legato, & S.R.E. Cardinale, Compostellæ Episcopus factus, pro quodam Pelagio, qui ab eodem Ricardo semotus fuerat, pauco tempore præfuit: litigantibus enim de Episcopatu præfatis Petro & Pelagio, ambobus remotis, tertius constituitur Dalmachius Cluniacensis monachus ab Vrbano Papa II. anno Dom. 1096. adiuncta eidem Archiepali dignitate, qua tunc usque Compostella caruerat. *Ioannes Mariana in Annal. Hispaniæ, lib. 10. c. 6.*

Constantienses, siue Vindonissenses, sub Moguntino Archiepiscopo.

11 S. Ioannes, Scotus, discipulus S. Galli Abbatis, primum monachus in Scotia, deinde in Monasterio Sangallensi, electus est episcopus Constantiensis vndecimus, anno Domini 650. & cum per aliquot annos in magna sanctitate præfuisset, migrauit ad Dominum. *Belforestius in Cosmographia. Ant. Democh. de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 35.*

19 D. Ernfridus, siue Anefridus, monachus & Abbas diuitis Augiæ, in lacu Veneto, creatus anno 736. præfuit annis 10. Obiit anno 746. *Democh., locis citatis, & Hermannus Contractus in Chronico.*

20 D. Sidoinus, seu Sidonius, monachus & Abbas diuitis Augiæ quintus, Ernfrido surrogatus, præfuit annis 13. Hic Monasterium S. Galli ambiens, iniquis principibus, in damnatione S. Othmari Abbatis consensit. Obiit anno Domini 759. ante altare S. Galli profluuio uentris. *Auctores citati.*

21 D. Ioannes, monachus diuitis Augiæ, Sidonio repentina morte erepto, episcopatui, & vtrique Abbatiæ S. Galli, scilicet, & Augiæ diuitis, præficitur. Vir fuit eruditione & doctrina clarus, & ecclesiasticarum rerum promotor præcipuus. Fuit in regimine annis 21. moriensque anno 781. sepultus est in ecclesia Augiensi, in sacello Diuo Chiliano dicato. *Præfati auctores, & Trittemius, lib. 4. cap. 238.*

23 D. Vvolfolon, monachus Monasterii S. Galli in Heluetia, Eginonis Episcopi prædecessoris sui carne nepos, creatus anno Domini 813. præfuit annis 18. obiit anno 831. *Democh. loco citato.*

28 D. Salomon, monachus, & Abbas S. Galli, & Ludouici II. Imp. Sacellanus, creatus est Episcopus anno 891. præfuit annis 29. obiit anno 919. & in ecclesia Cathedrali Constantiensis sepultus est. *Belforestius, & Democh.*

29 D. Notingus, monachus S. Galli, in locum Salomonis electus, præfuit annis plus minus 14. obiitque anno 934. in ecclesia Constantiensi

stantiensi sepultus. *Auctores præfati.*

30 S.Conradus,siue Cunradus,Henrici Comitis Altorfensis filius monachus Monasterii S.Galli,siue diuitis Augiæ,Notingo immediate succedens,in omni sanctitate populum sibi commissum gubernauit annos 41. Quo temporis spatio, totus in templorum constructione, uel reparatione fuit. Ter sepulchrum Domini uisitauit: & tandem laboris sui præmium accepit à Domino anno 975. die sexto calendas Decembris, ad cuius sepulchrum diuinitus olim multa fiebant miracula.

32 S.Gebehardus, siue Eeberhardus, Vthonis Comitis Brigantini filius, monachus Sangallensis,siue Augiæ diuitis, anno Domini 979.electus,ecclesiam rexit an.16. Hic inter cætera pietatis officia quæ operatus est,Monasterium Petershusij S.Gregorii instituti Benedictini propriis sumptibus extruxit,in quo & sepultus est, anno Domini 995.die sexto calendas Septembris.

ANNOTATIO.

Horum duorum,& alterius qui sequetur, Virici uidelicet episcopi. 44. monachismus quidem apertis uerbis non explicatur; fuisse tamen Monachos colligere licet ex uerbis Franciſci Belforestij, qui in descriptione ciuitatis Constantiensis,sic loquitur.

*Numerantur autem 83. Episcopi,quos habuit Vindonissa, ac deinde Constantia usque ad tempora nostra,quorum bona pars fuerunt monachi cœnobij S.Galli,& diuitis Augiæ. Anno Dom. 935. S.Conradus Comes Altorfensis factus est Episcopus Constantiensis, contulitque Episcopatui omne suum patrimonium. Secundus post ipsum (*de grege monachorum scilicet) *fuit Gebhardus Comes Brigantinus, ex matris utero cæsus, qui fundauit Monasterium Benedictinum, in Petershusio, & collegium Canonicorum in Zurzachio. Longe postea fuit alius Episcopus* (monachus uidelicet ut ego interpretor) *nomine Vlricus Comes à Dillingen, & Kiburg, qui constructit ac dotauit de suo patrimonio, Monasterium Crutzlingen. Obiit anno* 1127. Hæc Belforestius.

33 D.Lambertus, monachus Monasterii S.Gregorii de Petershusio,S.Gebehardo ad patres adposito,factus est Episcopus anno 996. unanimi omnium uoce electus, & cum annis 13. laudabiliter præfuisset, obiit anno 1009. *Democharesloco citato.*

36 D.Vuarmannus, Comes Dillingensis, & Chiburgius, monachus diuitis Augiæ,creatus anno 1026.præfuit annis. 8. uitæ & honori ualedixit, anno 1034. Constantiæ sepultus. *Democharesibidē.*

Scripsit uitã S.Pirminij Abb. primi fundatoris Monasterii Angiēsis,

D. Ge-

42 D.Gebhardus,siue Gerhardus,Dux Zeringensis,& monachus Monasterij S.Aurelii Hirsaugiæ, in diœcesi Spirensi, creatus anno 1084. & undecimo calend.Ianuarij ab Ottone Ostiensi Episcopo consecratus, Constantiensis Episcopus, præfuit primum non sine difficultate, annis decem: deinde sede sua pulsus, ab ea exulauit annis tredecim; quam postea auxilio Abbatis Petershusani recepit anno 1107. eamque pacifice rexit annis undecim: Obiit anno Christi 1118.assumpti episcopatus 35. *Democharesut supra. Trittemius lib.4. cap.245.& Bertholdus Constantiensis in appendice ad Contractum ad annum* 1084.

SCHISMA.

43 D.Arnvlphvs, Comes Sancti Montis, Sueuus monachus S. Galli,Gerhardo, in exilium relegato, intruditur vi per Abbatem suum Vlricum,huius nominis tertium,Carinthiæ Ducis filium, anno 1094. & præfuit in schismate annis. 13. Sed ipso Gerhardo sedi suæ restituto, abdicare compulsus,ad cœnobium suum reuersus est anno 1107. *Democharesut supra.*

44 D.Vlricus, Comes Dillingensis & Chiburgensis, monachus S.Galli,siue diuitis Augiæ,Gerhardo anno 1118. in pace defuncto,in eius locum substitutus,& à Gelasio Papa II. confirmatus, consecrationem accepit ab Archiepiscopo Mediolanensi. Postmodum, à Calisto Papa II.procurauit in album Sanctorum referri S.Cunradū Episcopum,anno 1120.cum iam ille 144. annis quieuisset sub terra. Obiit tandem anno 1127.regiminis sui 10. Constantiæ in cathedrali sepultus. *Ex coniectura uerborum Belforestii supra citatorum.*

45 D.Vlricus,Baro de Castillis,monachus Monasterii S. Blasij in Silua Hercynia, vnanimi Canonicorum consensu dignus pronunciatus qui Vlrico succederet, præfuit annis undecim; sed curæ pastoralis pertæsus,honori & episcopatui cessit libere, & ad suum Monasterium rediit anno 1138. *Democharesloco sæpecitato.*

50 D.Dietheliuus, Baro de Vuyssemburg, monachus & Abbas Augiensis,creatus anno 1191. præfuit annis 12. obiit anno 1204. *Democharesut supra.*

64 D.Henricus, huius nominis tertius,Baro à Brandis,monachus & Abbas Enilsildensis; corruptione creatus, consecratus est, anno 1356. die 15. Maii. præfuit annis 26. omnibus ingratus & inuisus, obiit anno 1383. apud Chingenouum die 22. Nouembris, Constantiæ in cathedrali sepultus. *Democharesut supra.*

SCHI-

SCHISMA.

65 D. MANGOLDVS, Baro à Brandis, superioris Henrici nepos, monachus & Abbas diuitis Augiæ, anno 1384. die 27. Ianuarii à nouem Canonicis electus, & ab Adolpho Archiepiscopo Moguntino confirmatus, præfuit in schismate contra Nicolaum à Ryssemburg à Summo Pontifice approbatum, anno uno, & diebus 8. Obiit anno 1385. die tertio Februarii. *Democharis, ut supra.*

ANNOTATIO.

In computatione annorum tam creationis, quam mortis, huius sedis Episcoporum, diuersæ à diuersis adferuntur sententiæ: Aliter enim Democharis, quam Belforestius, nec his duobus Hermannus Contractus in chronico, in omnibus consentit. Nos opinionibus omnium rite consideratis, Hermanum quidem, qui illis temporibus uixit, præferendum duximus, ita tamen ut ab eius quoque sententia libenter discessimus, cum aliorum opiniones probabiliores nobis uiderentur. Et si aliquando, id quod rarius, nec unum, nec alium sequimur, hoc ex aliorum historicorum fidedignorum, ut sunt Bertholdus Constantiensis, Trittenius, & alij, opinione factum est: qui ut plurimum præsentes cum fuisse uideantur actionibus à se enarratis, eorum relationibus adhærẽdum iudicauimus. Si quid tamen male positum fuerit, Lector diligens suppleat.

Constantienses in Normandia, sub Rothomagensi Archiepiscopo:

70 D. RENATVS de la Bresche, monachus ordinis S. Benedicti, septuagesimus Constantiensis Episcopus creatus circa annum Domini 1518. obijt anno 1530.

71 D. Philippus de Cosse, monachus eiusdem ordinis, in locũ Renati positus, aliquot annis laudabiliter præfuit. *De his duobus agũt Democharis de sacrif. Missæ to. 2. c. 20. & Frãc. Belfor. in cosmographia sua.*

Cordubenses in Hispania, sub Compostellano Archiepiscopo, siue sub Vlixponensi.

D. Agapetus, melius Agapius ex milite prophano, monachus, deinde, Episcopus Cordubensis, reuelatione diuina inuenit corpus S. Zoili martyris Cordubensis, anno 618. quod solenni pompa, comitante clero ac populo, transtulit in ecclesiam S. Felicis. Vir fuit simplex, interfuitque concilio Hispalensi secundo. *Io. Vasæus in chronico.*

Cuuerenses, siue Conuernienses in Hibernia, sub Armacano Archiepiscopo.

D. ADAM, monachus & Abbas monasterij Vuardonensis, Episcopus Cuuerensis, anno Domini 1244. in monasterio suo Vuardon. diem extremum clausit. *Matthæus Vuestm. ad annum 1244.*

Episco-

Episcopatus de litera D.

Cap. XL.

Dommocenses, siue Orientalium Anglorum, sub Eboracensi Archiepiscopo.

D. 4 BOSA, monachus Streneshalcensis in Anglia, circa annum Domini 670. Episcopus creatus, interfuit Concilio Anglicano à Sancto Theodoro Archiepiscopo Cantuariensi congregato, & anno 673. celebrato: anno autem sequenti cum graui detineretur infirmitate ab administratione suspensus, Accam habuit successorem. Deinde anno 678. cum Sanctus Vuilfridus iam secundò sede sua Eboracensi pulsus fuisset à Rege, Bosa eius locum tenuit annis aliquot, a qua iterū semotus, in pace non longe post uitam finiuit. *Tritt. lib. 4. cap. 64. Matthæus Vuestmon. ad an. 673. & 678. & alibi.*

5 S. Acca, monachus in Anglia, cum S. Bosa, eius in regulari disciplina præceptor, ab administratione segregatus fuisset, & episcopatus in duas sedes diuisus, quarum unam apud Helmham præoccupauit Beduuinus, ipse apud Dommoc sedem posuit, quam tenuit annis fere. 33. usque ad annum 711. illo enim anno, ad Hagulstadensem ecclesiam transiens, eandem annis 25. laudabiliter rexit, & miraculorum gloria clarus, postquam multos, in Frisia maximè, sua prædicatione ad Christum conuertisset, in Domino anno 736. obdormiuit. *Matthæus Vuestm. Beda lib. 5. cap. 21. & sequentibus,*

Dorcacestrenses, simul, & Vuintonienses in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

1 SANCTVS Birinus, Italus, Romanus, monachus etiam Romanus, anno D. 635. ab Honorio summo Romano Pontifice, in Angliã missus, & Occidentalium Saxonum Eps constitutus, per Asterium Genuensem Epm consecratus est. Illo autē ibi Euangelium prædicante, Rex eiusdem prouinciæ Chinigilsus, cum omni gente sua credens baptizatus est. A quo ciuitate Dorcacestria donatus, sedem Episcopalem ibidem firmauit, & constructis longè lateque ecclesijs, diuini cultus propagines ad fructum in eis perducere laborauit; vnde & eorum Apostolus dici, & vocari meruit; sanctitatis etiam opinione ad miracula usque eo tempore clarens, à Poeta satis vetusto

qui eius uitã carmine descripsit, hoc epigrãmate meruit honorari.

Dignior attolli quam sit Tirynthius heros,
Quam sit Alexander Macedo, Tirynthius hostes
Vicit, Alexander mundum, Birinus utrunque.
Nec tantum uicit mundum Birinus & hostem,
Sed sese bello uincens, & uictus eodem.

Obijt anno Domini 650. Apostolatus sui. 16. tertio Nonas Decẽbr. *Beda lib. 3. cap. 7. & Trittemius lib. 4. cap. 140. & alij.*

2 D. Aegelbertus, siue Egilbertus, Agilbertus, Agilberchtus, seu Agilbrechtus, monachus in Gallia, Sancto Birino surrogatus, præfuit annis decem, uir non minus religione, quam scientia clarus; tandem Regem Chineualchium, & regnum Angliæ relinquens, & in Galliam secedens, Episcopatum Parisiensem regendum suscepit anno Domini 661. *Trittemius lib. 4. c. 142.*

3 D. Vimo, siue Vuina, monachus Britannus, abdicante Aegelberto Episcopus constitutus, anno præsulatus sui sexto, Christi Domini 666. à Chineualchio rege de sede sua pulsus; à Rege Merciorum Vulfhero episcopatum Londoniensem accepit, ibidemque in pace quieuit anno Domini 674. *Trittemius lib. 4. c. 144.*

4 D. Eleutherius, siue Leutherius, monachus Parisiensis, Vimone sede sua deturbato, Anglorum Occidentalium Episcopus consecratus est à Theodoro Archiepiscopo Cantuariense anno 666. præfuit laudabiliter annis plus minus. 14. Obijt, ut ex historijs colligere licet anno 680. *Trittemius lib. 4. c. 145.*

5 S. Heddi, monachus Streneshalcensis in Anglia, quod alio nomine monasterium S. Hildæ nominatur, uir & sanctitate uitæ, & sapientiæ doctrina insignis, Eleutherio successor datus, ecclesiam sui verbo & exemplo strenue gubernauit, annis plus minus. 24. Obijt anno Christi 704. & in loco quo defunctus est, ob meritum Sanctitatis eius multa sunt patrata miracula. Nam homines prouinciæ illius, puluerem inde ablatum in aquam mittere solebant propter languentes, cuius gustu, & aspersione, multi se sanitatem recepisse gaudebant. Hoc defuncto, episcopatus in duas partes scissus est, quarum una id est, Vuintonensis, data est Danieli cuidam; altera, scilicet, Scireburnensis, collata est S. Aldelmo. De his ergo sedibus suo loco. *Trittemius lib. 4. c. 164. & Matthæus Vuestm. ad ann. 680. ex quo item annorum rationem hic digessimus.*

Doriceſtrenſes in Anglia, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

D. Acilla, Anglus, monachus Monasterii Hildæ, siue Streneshalcensis,

censis, deinde episcopus Doriceſtrensis creatus, in omni pietate gregem suum gubernauit. Floruit anno Domini 600. & quod excurrit. *Democharis, tomo 3. cap. 14.*

Dumienses in Hispania, qui postea Bracarenses Archiepiscopi.

1 S. MARTINVS, monachus, & Abbas Monasterii Dumiensis, primusque illius loci etiam Episcopus, sua prædicatione Sueuos ab Arianismo ad unitatem fidei reduxit. Vixit anno 570. & sanctitate clarus migrauit, die 13. calend. Aprilis. *Trittemius lib. 2. cap. 13. Ambrosius de moralib. in hist. Hisp. lib. 11. cap. 62. & alii.*

Dunenses in Hibernia, sub Archiepiscopo Armacano.

S. MALACHIAS, Hibernus, monachus Bencorensis, & Archiepiscopus Ardinacensis, cum aliquot annis sedi illi præfuisset, humilitatis causa Archiepiscopatu abdicauit anno circiter Domini 1137. & Dunensi sede contentus in ea ad finem usque uitæ permansit. Obiit anno 1148. die 2. Nouembris. *S. Bernardus in eius uita.*

Ad eum extant epistolæ S. Bernardi tres, uidelicet, 315. 316. & 317. Scripsisse fertur & ipse nonnulla opuscula, de quibus nihil hactenus uidi, præter quandam prophetiam de Summis Pontificibus, quæ quia breuis est, & nondum quod sciam excusa, & à multis desiderata, hic à me apposita est.

Prophetia S. Malachiæ Archiepiscopi, de Summis Pontificibus.

Ex castro Tiberis.	Cœlestinus. ij.	Typhernas.
Inimicus expulsus.	Lucius. ij.	De familia Caccianemica.
Ex magnitudine mõtis.	Eugenius. iij.	Patria Ethruscus oppido Montis magni.
Abbas Suburranus.	Anastasius. iiij.	De familia Suburra.
De ture albo.	Adrianus. iiij.	Vilis natus in oppido Sancti Albani.
Ex tetro carcere.	Victor. iiij.	Fuit Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.
Via Transtiberina.	Callistus. iij.	Guido Cremensis Cardinalis S. Mariæ Transtiberim.
De Pannonia Thusciæ.	Paschalis. iij.	Antipapa. Hungarus natione, Episcopus Card. Tusculanus.
Ex anſere custode.	Alexander. iij.	De familia Paparona.
Lux in ostio.	Lucius. iij.	Lucensis Card. Ostiensis.
Sus in cribro.	Vrbanus. iij.	Mediolanensis, familia cribella, quæ Suem pro armis gerit.
Ensis Laurentii.	Gregorius viij.	Card. S. Laurentii in Lucina, cu-

na, cuius insignia enses falcati.

De Schola exiet. Clemens. iij. Romanus, domo Scholari.

De rure bouensi. Cœlestinus. iij. Familia Bouensi.

Comes Signatus. Innocentius. iij. Familia Comitum Signiæ.

Canonicus de latere. Honorius. iij. Familia Sabella, Canonicus S. Ioannis Lateranensis.

Auis Ostiensis. Gregorius. ix. Familia Comitum Signiæ Episcopus Card. Ostiensis.

Leo Sabinus. Cœlestinus. iiij. Mediolanensis, cuius insignia Leo, Episcopus Card. Sabinus.

Comes Laurentius, Innocentius iiij. domo flisca, Comes Lauaniæ, Cardinalis S. Laurentii in Lucina.

Signum Ostiense. Alexander. iiij. De comitibus Signiæ, Episcopus Card. Ostiensis.

Hierusalem Campanię. Vrbanus. iiii. Gallus, Trecensis in Campania, Patriarcha Hierusalem.

Draco depressus. Clemens. iiii. cuius insignia Aquila vnguibus Draconem tenens.

Anguinus uir. Gregorius. x. Mediolanensis, Familia vicecomitum, quæ anguẽ pro insigni gerit.

Concionator Gallus. Innocentius. v. Gallus, ordinis Prædicatorum.

Bonus Comes. Adrianus. v. Ottobonus familia Flisca ex Comitibus Lauaniæ.

Piscator Thuscus. Ioannes. xxi. antea Ioannes Petrus Episcopus Card. Tusculanus.

Rosa composita. Nicolaus. iii. Familia Vrsina, quæ rosam in insigni gerit, dictus compositus.

Ex teloneo liliacei Martini. Martinus. iiii. cuius insignia lilia, canonicus, & thesaurarius S. Martini Turonen.

Ex rosa leonina. Honorius. iiii. Familia Sabella insignia rosa à leonibus gestata.

Picus inter escas. Nicolaus. iiii. Picenus patria Esculanus.

Ex eremo celsus. Cœlestinus v. Vocatus Petrus de Morrone Eremita.

Ex undarũ bñdictione. Bonifacius. viii. Vocatus prius Benedictus, Caetanus, cuius insignia undæ.

Concionator patereus. Benedictus xi. qui uocabatur Frater Nicolaus, ordinis Prædicatorum.

De

De fessis aquitanicis.	Clemens V. natione aquitanus, cuius insignia fessæ erant.
De sutore osseo.	Ioannes XXII. Gallus, familia Ossa, Sutoris filius.
Coruus schismaticus.	Nicolaus V. qui uocabatur F. Petrus de corbario, contra Ioannem XXII. Antipapa Minorita.
Frigidus Abbas.	Benedictus XII: Abbas Monasterii fontis frigidi.
De rosa Attrebatensi.	Clemens VI. Episcopus Attrebatensis, cuius insignia Rosæ.
De mõtibus Pãmachii.	Innocentius VI. Cardinalis SS. Ioannis & Pauli. T. Panmachii, cuius insignia sex montes erant.
Gallus Vicecomes.	Vrbanus V. nuncius Apostolicus ad Vicecomites Mediolanenses.
Nouus de uirgine forti.	Gregorius XI. qui uocabatur Petrus Belfortis, Cardinalis S. Mariæ nouæ.
Decruce Apostolica.	Clemens. VII. qui fuit Presbyter Cardinalis SS. XII. Apostolorũ, cuius insignia Crux.
Luna Cosmedina.	Benedictus XIII. antea Petrus de Luna, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.
Schisma Barchinoniũ.	Clemens VIII. Antipapa, qui fuit Canonicus Barchinonensis.
De inferno prægnãti.	Vrbanus VI. Neapolitanus Pregnanus, natus in loco qui dicitur Infernus.
Cubus de mixtione.	Bonifacius. IX. familia tomacella à Genua Liguriæ orta, cuius insignia Cubi.
De meliore sydere.	Innocentius. VII. uocatus Cosmatus de melioratis Sulmonensis, cuius insignia sydus.
Nauta dẽ Ponte nigro.	Gregorius XII. Venetus, commendatarius ecclesiæ Nigropontis.
Flagellum solis.	Alexander. V. Græcus Archiepiscopus Mediolanensis, insignia Sol.
Ceruus Sirenæ.	Ioannes XXIII. Diaconus Cardinalis S. Eustachii, qui cum ceruo depingitur, Bononiæ legatus, Neapolitanus.
Corona ueli aurei.	Martinus V. familia colonna, Diaconus Cardinalis S. Georgii ad uelum aureum.

Lupa Cœlestina. Eugenius. IIII. Venetus, canonicus antea regularis Cœlestinus, & Episcopus Senēsis.

Amator Crucis. Felix. V. qui uocabatur Amadæus Dux Sabaudiæ, insignia Crux.

De modicitate Lunæ. Nicolaus V. Lunensis de Sarzana, humilibus parentibus natus.

Bos pascens. Callistus. III. Hispanus, cuius insignia Bos pascens.

De Capra & Albergo. Pius. II. Senensis, qui fuit à Secretis Cardinalibus Capranico & Albergato.

De Ceruo & Leone. Paulus. II. Venetus, qui fuit Commendatarius ecclesiæ Cerviensis, & Cardinalis tituli S. Marci.

Piscator minorita. Sixtus. IIII. Piscatoris filius, Franciscanus.

Præcursor Siciliæ. Innocentius VIII. qui uocabatur Ioānes Baptista, & uixit in curia Alfonsi regis Siciliæ.

Bos Albanus in portu. Alexander VI. Episcopus Cardinalis Albanus & Portuensis, cuius insignia Bos.

De paruo homine. Pius. III. Senensis, familia piccolominea.

Fructus Iouis iuuabit. Iulius. II. Ligur, eius insignia Quercus, Iouis arbor.

De craticula Politiana. Leo. X. filius Laurentii medicei, & scholaris Angeli Politiani.

Leo Florentius. Adrian. VI. Florētii filius, eius insignia Leo.

Flos pilei ægri. Clemens. VII. Florentinus de domo medicea, eius insignia pila, & lilia.

Hiacinthus medicorū. Paulus. III. Farnesius, qui lilia pro insignibus gestat, & Card. fuit SS. Cosme, & Damiani.

De corona montana. Iulius. III. antea uocatus Ioannes Maria de monte.

Frumentum floccidum. Marcellus. II. cuius insignia ceruus & frumētum, ideo floccidum, quod paueo tempore uixit in papatu.

De fide Petri. Paulus. IIII. antea uocatus Ioannes Petrus Caraffa.

Esculapii pharmacum. Pius. IIII. antea dictus Io. Angelus Medices.

Angelus nemorosus. Pius. V. Michael uocatus, natus in oppido Boschi.

Medium corpus pilarū. Gregorius XIII. cuius insignia medius Draco.

co, Cardinalis creatus à Pio. III. qui pila in armis gestabat.

Axis in medietate signi. Sixtus. V. qui axem in medio Leonis in armis gestat.

De rore cœli. Vrbanus. VII. qui fuit Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, ubi mãna colligitur.

Ex antiquitate Vrbis. Gregorius. XIIII.

Pia ciuitas in bello. Innocentius. IX.

Crux Romulea. Clemens. VIII.

Vndosus uir. Pastor & naua.

Gens peruersa. Animal rurale. Flos florum.

In tribulatione pacis. Rosa Vmbriæ. De medietate lunæ.

Lilium & rosa. Vrsus uelox. De labore solis.

Iucunditas crucis. Peregrin⁹ apostolic⁹. Gloria oliuæ.

Montium custos. Aquila rapax. In pscutione. extrema S.R.E. sedebit.

Sydus olorum. Canis & coluber. Petrus Romanus, qui

De flumine magno. Vir religiosus. pascet oues in multis tribulationibus: quibus transactis ciuitas septicollis diruetur, & Iudex tremẽdus iudicabit populum suum. Finis.

Bellua insatiabilis. De balneis Ethruriæ.

Pœnitentia glorioſa. Crux de cruce.

Rastrum in porta. Lumen in cœlo.

Flores circundati. Ignis ardens.

De bona religione. Religio depopulata.

Miles in bello. Fides intrepida.

Columna excelsa. Pastor angelicus.

Quæ ad Pontifices adiecta, non sunt ipsius Malachiæ, sed R.P.F. Alphonsi Giaconis, Ord. Prædicatorũ, huius Prophetiæ interpretis.

Episcopatus de littera E.

Cap. XLI.

Elienses in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

D. 8 IOANNES, Anglus, monachus, & Abbas Monasterii de fontibus in Anglia, uir simplex & iustus, ac recedẽs à malo, Episcopus in locum Eustachii creatus & consecratus, anno 1220. die 8. Mensis Martii, in Dominica Lætare; & cum annis quinque optimè præfuisset, obiit anno 1225. Mense Iunio. *Matthæus Vuestm. ad annos citatos.*

10 Beatus Hugo, Anglus, monachus & Abbas cœnobii S. Edmundi, me-

di, mediate Ioanni succedeus, creatus est, Galfrido de Burgo Episcopo defuncto, anno 1228. sed non nisi anno sequenti die 4. Idus Iunii, ab Henrico de Sanford Episcopo Roffensi, consecrationis munus accepit. Præfuit autem utrique Ecclesiæ in omni sanctitate annis 40. Monasterio, uidelicet annis 14. deinde Episcopatui annis 26. & omni uirtutum genere decoratus obiit anno 1254. die quinto Idus Augusti, & in ecclesia sua Elienſi sepultus est. *Matthæus Vuestm. ad annos 1228. & 1254.*

13 D. H. Prior, & monachus Monasterii Elienſis, anno 1298. a maiori parte capituli electus, & ab Archiepiscopo Cantuarienſi confirmatus est: sed cum à nonnullis aliis Ioannes de Langtona Regis Cancellarius, creatus fuisset, causa coram Summo Pontifice agitata, & examinata; motus Papa de improbitate partium, Episcopum Norwicenſem ad ecclesiam Elienſem transtulit, & hunc Priorem Elienſem in Prælatũ Norwicenſem consecrauit. *Matthæus anno 1298.*

15 D. H. Prior, & monachus Elienſis. à Capitulo anno 1301. electus, sed ab Archiepiscopo Cantuarienſi reprobatus, ad sedem Apostolicam profectus est: quo cũ peruenisset, & ordine suæ ordinationis discusso, electio eius cõfirmata & approbata est. In Angliã igitur reuersus, Episcopus cõsecratus, & aliquot annis digne conuersatus, obiit. *Matthæus Vuestm. ad annum 1301.*

D. Simon de Langham, Anglus, monachus & Abbas Vuestmonasterienſis, anno 1361. Episcopus Elienſis creatus, paulo post anno 1366. ad Ecclesiam Cantuarienſem translatus, biennio uix elapso excrescentibus meritis ab Vrbano PP. V. in collegium Cardinalium ascitus, anno 1376. diem obiit, vndecimo cal. Augusti. *Thomas Vualsingham in historia breui ad annos præfatos.*

Erfordenſes in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

1 S. Adelarivs, Anglus, monachus Monasterii Muschellæ in Anglia, & S. Bonifacii Archiepiscopi discipulus, ab eodem primus & ultimus Erfordenſis in Thuringia Episcopus consecratus, post multos in euãgelica messe perpessos labores, una cum magistro suo, & aliis pluribus monachis, in Frisia martyrii coronam accepit, anno 755. die quinto Iunii: postmodum ad sedem suam translatus duodecimo calendas Maii. *Trittemius, lib. 4. cap. 183. & Petrus Crapolius de Episcopis Germaniæ.*

Eugubini in Ducatu Spoletano.

S. Rodulphus monachus Monasterii S. Andreæ, quod post S. Crucis titulum gessit, congregationis Columbæ, & Sancti Petri Damiani

ni discipulus, ob eximiam sanctitatem Eugubinus episcopus factus, miraculis clatus obiit, die 26. Iunii. Floruit anno Domini 1070. *S. Petrus Damianus in eius uita, tomo 7. Surij.*

D. Marcvs, monachus Monasterii S. Crucis de Auellana, Congregationis Columbæ, & Episcopus Eugubinus.

D. Ioannes de Laude, eiusdem Monasterii monachus, necnon & eiusdem quoque ciuitatis Episcopus. *Augustinus Flor. in hist. Camald. parte 2. lib. 5. cap. 16.*

Episcopatus de littera F.

Cap. XLII.

Fanenses in Marchia Anconitana in Patrimonio Petri.

D. Ioannes Baptista Bertuzulus, Cæsenas, monachus, & Prior S. Mariæ de Monte, Congregationis Casinēsis, alias S. Iustinæ de Padua, ob morum grauitatem & sapientiæ doctrinam Episcopus Fani renūciatus, munus suum strenuè obiuit. Obiit his nostris temporibus. *D. Angelus à Carpenedulo eiusdem cœnobij Decanus, in quadam epistola ad me transmissa.*

Firmani, in Marchia Anconitana.

D. Philippvs, monachus S. Crucis de Auellana, Congregationis Columbæ, Episcopus Firmanus. *Aug. Flor. part. 2. lib. 5. c. 16.*

Florenses, siue Sancti Flori in Aruernia, sub Bituricensi Archiepiscopo.

2 D. Henricvs Fialtrerius, monachus Cluniacensis, & Procurator in curia Romana, deinde illius Monasterii Abbas 29. creatus anno 1308. quod rexit annis undecim, translatus ad sedem S. Flori anno 1319. præfuit Episcopatui annis. 10. Obiit autem die 4. calendas Februarii, in ecclesia S. Flori sepultus, anno 1330. *Chron. Cluniacense, & Democharis de sacrif. missæ, tomo 2. cap. 25. & Franc. Belforest. in Cosm. sua, in descriptione Aruerniæ.*

3 D. Archimbaldus, monachus Monasterii S. Flori, in Episcopū eiusdem ciuitatis assumptus est anno 1330. Hic instituit collegium Beatæ Mariæ in S. Floro. Obiit circa annum Domini 1340.

4 D. Deodatus de Canilhaco, monachus S. Flori, natione Antisiodorensis, Episcopus S. Flori, deinde Attrebatensis, postremo. S. R. E. Presbyter Card. anno 1343. renunciatus; obiit Auinione 1373. sepultus ibidem apud Franciscanos.

D. Pe-

5 D.Petrus de Stagno,seu Stanno, Gallus, monachus S.Flori, & Episcopus, postea Archiepiscopus Bituricensis creatus anno 1366. demum purpuratorum numero associatus est anno 1370. Obiit 1377. Romæ.

9 D. Hugo de Manhaco,seu Iugnaco,monachus S. Flori, & Episcopus, translatus est postmodum ad Ecclesiam Lemouicensem.

10 D.Gerardus Loy de Podio, Gallus,monachus Monasterii Cluniacensis,deinde Abbas Maioris Monasterii, & Episcopus S.Flori, post Carcassonensis,ad ultimum S.R.E.Cardinalis à Gregorio Papa XI. anno 1375. renunciatus; Obiit Auinione anno 1383.

11 D.Bertrandus de Cadoena, monachus S. Flori, & Episcopus, ad ecclesiam Vtensem postmodum transiit.

12 D.Iacobus Lupi, monachus S.Flori, & Episcopus.

13 D.Petrus de Lentoing, monachus S.Flori,& Episcopus.

ANNOTATIO.

De his omnibus, eorumque monachismo, incipiendo ab Archimbaldo, tractant Demochares & Belforestius,locis supracitatis, & quod omittitur à Demochare, scilicet nomen Monasterij suæ professionis, suppletur à Belforestio. Tempus tamen quo unusquisque eorum creatus est, ab isdē non explicatur.

Frisingenses in Bauaria, sub Saltzburgensi Archiepiscopo.

1 S. CORBINIANVS Francus,monachus,& postea Eremiticæ uitæ cultor, in Germania,à S.Gregorio Papa II. Episcopus ad prædicandum Dei verbum ordinatus in agricultura Dominica strenuè insudauit, & postquam multos uerbo & exemplo Christo acquisiuisset,miraculis gloriosus obdormiuit in Domino, anno 751. Episcopatus sui 20. sexto Idus Septembris. *Otho Frisingensis in Chron. lib.5. cap.24.*

2 D.Herebertus,siue Erimbertus,monachus, & discipulus S.Bonifacii Episcopi, & S.Corbiniani frater,& successor, necnon uirtutum eius imitator præcipuus,præfuit ecclesiæ suæ annis. 28. & bonis operibus plenus migrauit è uita, anno Domini 780. *Trittemius lib. 4. cap. 221. Belforestius,& alij.*

Frislarienses in Thuringia.

1 S. ALBVINVS Hybernus,& monachus in Huēsi monasterio insulæ Hyberniæ,cū multos gentilium ad Christi fidem, cuius causa in Germaniam deuenerat,sua prædicatione conuertisset,à Romano Pontifice primus Frislariensis Episcopus in oppido Burbach, ordinatus, uerbum Dei ad finem usque uitæ seminare non desijt. Tandem

dem miraculis clarus in pace quieuit septimo cal. Nouembris, & Thuringorum Apostolus appellatus est. *Tritt. lib. 4. cap. 190. & alij.*

Fulginates, in Ducatu Spoletano, sub Patrimonio Petri.

D. BENEDICTVS, monachus S. Crucis de Auellana, Congregationis Colũbę, & Episcopus Fulginensis. *Aug. Flor. par. 2. lib. 2. c. 16.*

D. ISIDORVS Clarius, Brixiensis, monachus monasterij S. Ioãnis Euangelistæ Parmæ, & Abbas S. Mariæ Cesenæ, congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, ordinis Diui Benedicti, uir & morum integritate, & scripturarum intelligentia, necnon linguarum peritia, clarissimus, qui Concilio etiam Tridentino summa cũ sua laude adfuit, in omni uita sua dignum se Episcopatu ostendit: & cum magna apud suos sanctitatis opinione, præmium laborum suorum percepturus, migrauit ad Dominum, & in Ecclesia Cathedrali Fulginæ sepultus, à Ciuibus suis sequenti Epitaphio est condecoratus.

Isidorus Clarius, Brixiensis, Fulgineæ iam VII. annis Episcopus, vita & moribus integerrimus, exemplo & verbis admirabilis, doctrina clariß. Christiana, Græcaq;, Hæbraica, Latina: mira in pauperes charitate ignitus, Annum suæ ætatis circiter LX. agens: acutissima correptus febre, patientissimè, placideq; obdormiuit, ac XL. post mortem horis, ob assiduam populi deosculationem, maximis cum lachrymis eiusdem, non fœtens certè, proh mirum, sed redolens, hic situs est, die XXVIII. Maij. M. D. LV.

De operibus eius quibus nomen suum æternitati consecrauit, hęc uidi:

In sermonem Domini in monte habitum, secundum Matthæum orationes 69, excusas Venetijs anno 1546. 1565, 1566. & 1567. in 4.

In euangelium Lucæ, orationes 54. excusas ibidem 1565. in 4.

Orationum extraordinariarum tomos. 2. impressos Venetiis 1567. in 4. & 1577.

De Iustificatione hominis, & de Gloria, Orationes dũas habitas in Concilio Tridentino, editas Venetiis 1548. in 8. & Louanii cum aliis in eodem concilio habitis in folio.

De modo diuitiis adhibendo homini Christiano, Orationem: excusam Mediolani 1540. in 4.

Translationem uulgatę editionis noui testamenti, impressam Venetiis 1541. in 8. in qua tamen ex sententia Catholicorum Patrum,

trum S.Conc.Trid. multa animaduersione digna reperta sunt.

In caput. I X. epistolæ Diui Pauli ad Romanos, ad Chrysostomũ nostræ Congregationis Præsidem, orationes duas: quarum præfatio sic incipit: Etsi persuasum mihi semper fuit.

Oratio prima sic, Qui locus iamdiu.

Oratio secunda hoc modo, Quamquam ego oratione hesterna.

Sunt MS. apud D. Archangelum Fantoni, monachum S. Nicolai de Littore Venetiis.

In caput X V. primæ epistolæ D. Pauli ad Corinthios libros tres composuisse ipse Isidorus fatetur in præfata oratione secunda, at ubi reperiantur nescio.

In Cantica canticorũ lib.1. qui excusus est Venetiis apud Zilettũ.

Fundani in Campania, exempti.

D. Benedictvs, monachus Casinensis monasterii, & Ecclesiæ Fundensis Episcopus, floruit anno Domini 1100. *Petrus Diac. in chron.Cas.lib.4.c. 55.*

D. Pius, patria Neapolitanus, ex antiqua Lotteriorum familia, monachus monasterii Casinensis, & Prior S. Seuerini in ciuitate Neapolis: uir religione & bonitate perspicuus, anno assumptæ religionis 25. à Papa Gregorio XIII. Episcopus fundanus creatus, summa uigilãtia gregem suũ custodiuit. Obijt Casini anno 1592.

D. Placidus Romanus monachus Casinas in supplemento MS. uirorum illustrium montis Casini, ad Petrum Diaconum, quod apud me est.

Episcopatus de litera G.

Cap. XLIII.

Galiopolitani, in Apulia, sub Idruntino Archiepiscopo.

D. Sabinvs, monachus monasterii Sancti Andreæ Romæ, deinde Episcopus Galiopolitanus, religione, doctrina, & eruditione præcipuus, & tanto officio dignus, uerbo & exemplo se verum pastorem esse ostendit. *Trittemius lib.4.c. 263.*

Gebennenses in Gallia, sub Viennensi Archiepiscopo.

D. Franciscvs, Gallus, monachus Ordinis S. Benedicti, Episcopus creatus uidetur, anno Domini circiter 1430. adfuit enim concilio Basileensi iam episcopus anno 1432. ut constat sessione. 5. & 38. in quo Concilio postea anno 1440. factus est S. R. E. Presbiter

ter Cardinalis à Felice V. Antipapa. *Trittemius lib. 4. c. 38.*

D. PHILIBERTVS de Rys, monachus & Abbas monasterii S. Claudii in Burgundia, ultimus Catholicorum in Gebenna Episcopus, post multas tandem iniurias, etiam ab hæreticis sede sua pulsus est, circa annum Domini 1550. & in exilio uitam finiuit. *Democharesde sacrif. missæ tomo. 2. cap. 3.*

Gerundenses in Hispania, sub Tarraconensi Archiepiscopo.

S. IOANNES, Gothus, Hispanus, monachus & Abbas Vallis claræ, vir undecunque doctissimus, zeloque catholicæ fidei accensus, pro cuius defensione multas ab Arianis passus est iniurias, Episcopus creatus oues suas exemplo præcessit, & miraculis clarus corpus terræ, animam Deo reddidit, anno 635. die sexto mensis Maii, vt colligere licet, dicit enim Morales obiisse post mensem Aprilem. *Ambrosius Moral. lib. 12. c. 18. & 21. Trittemius lib. 4. c. 159.*

Scripsit non contemnenda opuscula, uidelicet,

Exhortatorium ad monachos, lib. 1.

Paralipomenon Hispaniæ, lib. 10. qui excusi sunt cum aliis rerum Hispanicarum scriptoribus, Francofurti anno 1579. in fol.

S. NONNITVS, siue Nonnicius, Hispanus, & monachus in Hispania, Ioannis in Episcopatu, & sanctitate successor, multa & præclara uirtutum monimenta posteris dereliquit, & sic exigentibus meritorum suorum prærogatiuis, in numerum sanctorum referri meruit. *S. Ildephonsus de uir, ill. c. 10. Morales lib. 12. c. 21. Vasæus in chronico, & alij.*

D. Benedictus de Tocco monachus Hispanus, ex Episcopo Vicensi, factus Gerundensis, sedem illam adhuc moderatur. *Gonsaluus Illescas, lib. 5. cap. 15. hist. Pontif.*

Gotthorum in Italia.

D. IORNANDES siue Iordanus, Gothus, Italus, Monachus, & Episcopus Gothorum, uir in diuinis scripturis studiosus, & in secularibus litteris cõpetẽter eruditus, scripsit inter alia, Historiarũ lib. 2. In quorum primo, qui intitulatur de regnorum ac temporum, successione, gesta Romanorum recenset: In secundo uero, de origine actisque Getarum siue Gotthorum usque ad finem regni ipsorũ agit. Excusi sunt Basileæ cum Zosimo & aliis in folio. Historia uero Getica excusa est Augustæ Vindelicorum, cum Paulo Diacono, anno 1515. & Parisiis, cum libris uariorum Cassiodori anno 1583. in 4. sub nomine Iordani Episcopi Rauennatis, mendosè tamen, cum nũquam Episcopus Rauennæ fuerit ut apud Rubeum uidere est. Floruit

ruit tempore S.P.Benedicti anno 540. *Tritt. de script.ecclesiasticis. Gratianopolitani in Gallia, sub Viennensi Archiepiscopo.*

S.Hvgo, Hispanus, Valentinus, primum Canonicus, deinde monachus Cluniacēsis, & Abbas Castesiensis: postremo episcopus creatus anno 1080. præfuit in omni sanctitate annis 52. Ad hunc uenit S.Bruno Cartusiensium fundator, a quo mirifice adiutus fuit; qui in tantū ordinem dilexit, ut etiam sub Epalibus indumētis, habitu Cartusianorum uestitus referatur. Obiit miraculis clarus anno Domini 1132. ætatis. 80. Calendis Aprilis. *Vincentius in Speculo, lib. 27. cap. 8. & 12.*

Episcopatus de littera H.

Cap. XLIIII.

Hagulstadenses in Northumbria, sub Lindisfarnensi Archiepiscopo.

1 S. EATTA, Anglus, monachus & Abbas Monasterij Mailrosensis, & Sancti Cuthberti Episcopi in Monastica disciplina Magister, cum an. 668. S. Vuilfridus Episcopus de sede sua Eboracensi iam secundò à Rege Egfrido pulsus fuisset, & Episcopatus ille in tres fuisset partes discissus Eboracensem, uidelicet, quā habuit Bosa monachus; Lindisfarnensem, quam Eadhedus obtinuit, & Hagulstadensem, factus est huius partis Episcopus, proprius primus; quem Episcopatum sanctè administrauit per annos decem usque ad annum 678. Eo enim anno, Iuda Lindisfarnensi Episcopo erepto, ad illam Ecclesiam transiens, Tumberto Hagulstadensem commendauit. Sed eodem à regimine amoto anno 683. Eatta, sic petente S.Cuthberto, qui in locum Tūberti electus fuerat, ad primam sedem suam rediit, & Lindisfarnensem S.Cuthberto regendam dereliquit. Reuersus igitur plebem sibi commissam, uerbo non minus, quam exemplo, erat enim utriusque paginæ prædicator egregius, mirabiliter instruxit, & sanctitate, miraculorumque gloria clarus, migrauit in pace anno 686. *Beda lib.4.cap.28. Matthæus Vuestm.ad annos citatos. & Trittemius de uir. ill.ord.S.Ben.lib.4.cap.169.*

3 S.Ioannes Anglus, monachus Streneshalcensis Monasterii S.Hildæ in Anglia, Eattæ in episcopatu succedens, anno 686. ab eo postmodum meritis prodentibus, anno 692. siue ut alij volunt, & quo-

rum

rum opinioni libentius subscribo, anno 711. ad Eboracensem sedē transijt, S. Vuilfrido ab hac luce subtracto: præfuit autem Hagulsta densi ecclesiæ annis plus minus. 25. Eboracensi uerò decem, obiit enim anno 721. ipsis Nonis Maii. *Beda lib. 5. a c. 2. ad 6. Matthæus locis citatis, & Trittemius lib. 4. cap. 68. & 170.*

4 S. Acca, Anglus, monachus, & discipulus à prima ætate, ut refert Beda, Sanctissimi & Deo dilecti Bosæ monachi & Epi Eboracensis, deinde S. Vuilfridi magni Episcopi conuictor, S. Ioanne ad Ecclesiam Eboracensem transeunte, Hagulstadensi, ex Dommocense ecclesia, cuius erat episcopus, præficitur, anno 711. quam cum annis plus minus 23. sanctissimè gubernasset ab episcopatu pulsus est quorundam malignantium inuidia anno 734. & duobus annis post anno 736. præmium laborum suorum percepit. *Beda lib. 5. ca. 21. & sequentibus, & Matthæus ad annos citatos.* Vacauit sedes eo fugato annos duos. Quædam scripsisse fertur, sed de illis nihil hactenus uidi, nec legi.

Halberstadenses in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

2 S. TIAGRINVS, siue Nagrius, monachus Corbeiæ Saxonicę & Abbas cuiusdam cœnobii in Germania, creatus est secundus Halberstadensis episcopus, in demortui S. Hildigrini locum, anno 827. præfuit annis. 14. ac obiit anno 841. *Trittemius lib. 4. cap. 194. qui corrigendus est in annorum computatione. Crantzius metrop. Saxon. lib. 1. c. 26. & Democh. de sacrif. missæ tomo 2. c. 36.*

3 Beatus Haymo, Germanus, monachus Monasterii Fuldensis, deinde Abbas Hersfeldensis tertius, uir sui temporis doctissimus, creatus est anno 841. præfuit annis 13. & sanctitatis opinione clarus migrauit anno 853. *Trittemius lib. 4. cap. 195. Crantzius ib. c. 33. & Democh.*

6 D. Sigismundus, monachus S. Aurelii Hirsaugiæ, creatur anno 896. præfuit annis. 30. obiit anno 926. *Democh. ibidem.*

10 D. Brandagus, siue Brando, monachus & Abbas Fuldensis, electus est anno 1023. sedit annos. 13. obiit anno 1036. *Trittemius lib. 4. cap. 218.*

14 D. Herrandus, qui & Stephanus, monachus, & Abbas Ilsemburgensis, creatus anno 1104. præfuit annis. 3. obiit anno 1107. & sepultus est in Reinsburch honorificè. *Trittemius lib. 4. cap. 244.* Scripsit in persona Ludouici Comitis elegantissimam, & utilem epistolam ad Vualtramum Episcopum Niemburgensis ecclesiæ defendentem Henricum Imp. ecclesiæ rebellem.

Defen-

Defensorium Papæ, lib. 1. Sicut bonus homo, de bono. Epistolatum ad diuersos, lib. 1. & alia nonnulla.

Hamburgenses in Saxonia, sub Magdeburgensi: deinde Archiepiscopi:

2 S. Ansgarius, monachus Corbeiæ, Gallicæ, post mortem Heridagi primi Hamburgensis episcopi, creatus est secundus Pastor anno 833. & ecclesiæ suæ præfuit sanctissimè annis. 13. usque ad annum 845. quo anno à Sergio Papa Bremensi ecclesiæ prepositus est, uti notauimus in Archiepiscopis Bremensibus. *Albertus Abbas Stadensis in chronico, & alij.*

Herbipolenses in Francia Orientali, sub Moguntino Archiepiscopo.

1 S. Chilianus, Scotus, siue ut aliis placet Hybernus, illiusque prouinciæ Regis filius, monachus insulæ Huensis in Hybernia, zelo prædicandi uerbum Dei succensus, in Germaniam cum aliquot com monachis aduenies, Vvirtzburgenses siue Herbipolenses, eorumque Ducem Gosbertum ad Christi fidem adduxit, & illius populi ac ciuitatis primus Episcopus, & Apostolus uocatus, per martyrii palmam ad cœlos euolauit anno 685. die 8. Idus Iulii. *Trittemius, lib. 4. cap. 172. & alii infiniti.*

2 S. Burchardus, Anglus, monachus Muschellæ in Anglia, & S. Bonifacii episcopi discipulus, anno à morte S. Chiliani episcopi 66. qui erat à Christo nato 751. factus est secundus ab eo, siue ut alii numerant, primus, Herbipolensis episcopus, & Dux, & consecrari meruit à S. Zacharia Romano Pontifice: præfuit quam optimè ecclesiæ suæ annis. 40. Vno autem ante mortem anno iam decrepitus Pontificatum resignans in Monasterium Hohenburgense secedens, reliquum uitæ in obseruantia Monastica peregit, ibidemque miraculis clarus in pace quieuit anno Domini 791. die secundo Februarii; festiuitas tamen eius pridie idus Octobris plenius recolitur. *Trittemius lib. 4. c. 184. & alii.*

3 D. Maingutus, siue Megingandus, comes Roremburgius ad Tubarum, monachus Frislariensis & Abbas Neuustadii, siue Nouæ ciuitatis ad Mœnum, magistro suo S. Burchardo successor datus, cum per tres annos expertus esset aulam, & monasterium plurimum differre, in claustrum suum reuersus anno 794. resignatione prius facta episcopatus sui in præsentia S. Vuilibaldi episcopi Aystetensis, sequenti mortuus, & ibidem honorificè sepultus est. *Democharis de sacrif. missæ tomo 2. cap. 35. & Belforestius in Cosmographia sua.*

9 D. Godeboldus, vulgò, Gosualdus, Mainguti ex sorore nepos, mona-

monachus & Abbas inferioris Altachii, apud Bauaros, creatus est anno 841. die prima mensis Aprilis, & strenuè satis præfuit ann. 11. obiit in uigilia Sancti Mathæi Apostoli anno 851. siue 854. *Demochares, & Belforestius.*

12. D. Dietho, siue Theodo, uel Thiedo, monachus Monasterii Neostadii creatus est anno 908. præfuit annis plus minus 24. & interfuit Concilio apud Confluentiam congregato. Obiit anno 932. die 15. Nouembris. *Demochares, & Belforestius.*

13 D. Burchardus, huius nominis secundus, monachus & Abbas Hersfeldensis in territorio Moguntinensi, post Diethonem, ex diligenti Abbate, diligentior factus Episcopus, rexit ecclesiam suam, annis octo, & uitæ innocentia morumq; sanctitate clarus, mortuus est anno 941. die uigesimoquinto Martii. *Demochares, & Belforest. & Monachus Heruelden sis in Chronico.*

17 D. Bernuuardus, Richardi à Rotemburgo supra Tuberum filius, qui & Bernardus uocatur, monachus Monasterii noui S. Andreæ, creatus est vnanimi omnium cõsensu anno 990. & administrationis suæ anno 6. Christi 995. die 20. Septẽbris, cum legatus Othonis Imperatoris ad Constantinopolitanum Imperatorem, ut filiam suam illi desponsari peteret proficisceretur, febre pestilenti correptus, in Achaia obiit: a qua translatus sepultus est honorificè in ecclesia S. Chiliani noua, a se & fatre suo condita. *Democ. loco citato.*

20 D. Adelbero, siue Adalbero, Comes a Laymburg, ex patre Arnoldo, matre uero Regilla Baronissa a Vueinsperg, monachus Ordinis S. Benedicti, cœnobii Lambacensis, electus à toto Canonicorum collegio anno 1045. præfuit annis 40. Fecit ex S. Stephani canonicorum cœtu, cœnobium Ordinis D. Benedicti, uocatis ad id triginta Monachis. Renouauit & collapsum Monasterium Sebuuatzachianum, à Carolo Magno prius fundatũ. Senectute iã grauis officio cessit anno Domini 1084. & anno 1090. obiit, honorificè sepultus in cœnobio à se constructo. *Paulus Langius in Chron. Citizensi.*

Herefordenses in Anglia, sub Cantuarien si Archiepscopo.

13 D. Gilbertvs Folioth, monachus & Abbas Glouernien sis, in locum Roberti creatus est Episcopus anno 1146. quam sedem cũ tenuisset annis plus minus septendecim, ab ea postmodum translatus est, ad Cathedram Londonien sem anno Domini 1163. *Matthęus ad annum 1146.*

Hildeshemeuses, in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

4 S. Altfridvs, siue Alefridus, monachus S. Viti Corbeiæ

Saxonicæ,patria Colonienſis, ac nobiliſſimo genere natus, uir doctrina, & ſanctitate emicans; creatus eſt quartus Hildeshemenſis Epiſcopus anno 847. Hic conſtruxit tria cœnobia,Eſſenſe,& Aſſuedenſe,uirginum,& Selgenſtadenſe uirorum, ſub regula S. Benedicti; necnon & Eccleſiam collegiatam in honorem Dei Saluatoris, & ſanctiſſimæ matris eius,in qua ordinauit ac conſtituit,ut Canonici ſui omnes, ſub profeſſione ac regula Diui Benedicti uiuẽtes,Deo accerrimo ſtudio ſeruirent non ſecus ac monachi, omnia habentes communia. Mortuus eſt autem bonis operibus plenus anno 875. regiminis ſui.28.& in monaſterio Aſſuedẽſi honorificè ſepultus eſt, *Trittemius lib.4.cap.196. Democharesde ſacrif.miſſę,Tomo 2.cap.35. Petrus Cratepolius de epiſcopis Germanię,& Crantzius in metrop. lib.2. cap.12.& alii.*

7 D.Vualbertus,ſiue Vualdebertus,monachns Corbeię Saxonicę, creatus eſt anno Domini 879. præfuitque annis 19. & obiit anno 898.licet Trittemius,hunc pro prædeceſſore ſuo accipiens dicat eũ pauco tempore in epiſcopatu uixiſſe. *Trittemius lib.4.cap.199.& Democharesde ratione annorum,à quo tamen aliqua ex parte diſcedimus Crantzium ſequentes.*

9 D. Diethardus,ſiue Dethardus,monachus Hirſaugienſis,& Abbas Hirsfeldenſis,creatus eſt Epiſcopus anno Domini 926. & præfuit annis 28.obiit anno 954. *Trittemius lib. 4. cap. 200. Democharesloco citato.*

10 D.Ochuinus,ſiue Othuuinus, monachus, & Abbas S.Ioannis Medburgenſis,ſiue ut dicit Democharis, Pergenſis,Diethardo ſurrogatus eſt anno 954. & cum annis plus minus.30. laudabiliter præfuiſſet, obiit anno Domini 984. *Trittem. lib.4.cap.207.& Democh.*

11 D.Oſdachus,monachus Monaſterii diuitis Augiæ, dignus inuẽtus qui Othuuino ſuccederet,ut religione,& doctrina, illo inferior non fuit, ita nec regimine, attigit enim annum Epiſcopatus 26. obiitque anno 1009. Errat Democharis qui annis. 4. tantum præfuiſſe refert. *Trittemius lib.4.cap.208. Democharis,& Crantzius de annis regiminis metrop.lib.3.cap.41.*

14 S.Gothardus,monachus & Abbas Altahenſis,poſtquamS.Beuuardus ad Monaſterium S.Michaelis, relicto epiſcopatu, ſe contuliſſet,electus eſt in eius locum anno 1042.Monaſterium S.Bartholomæi iuxta Hildeshemenſem ciuitatem ſuis ſumptibus extruxit, in quo miraculis clarus moriens ſepultus eſt, anno Domini 1058. adminiſtrationis ſuæ.16.quarto nonas Maij. *Trittemius lib.4.cap.217. & alii.*

& alii. Monachus quidam Heruеldenſis in Chronico creatum refert anno 1022. & mortuum anno 1038.

17 D. Sifridus, ſiue Sigefridus, monachus Fuldenſis, creatus eſt Epiſcopus, ut ex ratione temporum præcedentium Epiſcoporum colligere licet, anno 1208. & cum in magna temporum iniquitate, ſchiſmatis ſcilicet inter Philippum, & Ottonem. 4. Impp. reſideret, ita tamen ſe geſſit integro decennio quo Eccleſiam ſuam gubernauit, ut utrique Principi gratus & acceptus ſemper fuerit. Obiit anno Domini 1220.

Epiſcopatus de litera I.

Cap. XLV.

Ilerdenſes in Aragonia, ſub Terraconenſi Archiepiſcopo.

D. BERENGARIVS, Arago, Hiſpanus, Raymundi Aragoniæ Regis filius nothus, Monachus, & Abbas Monaſterii Montaragonis, ſede Turiaſonēſi relicta Ilerdenſem adiit, Alfonſi Regis Fratris ſui fauore anno circiter Domini 1170. *Ioannes Mariana in Annal. Hiſp. lib. 11. c. 9*

Imolenſes in Flaminia, ſub Rauennę Archiepiſcopo.

D. ANASTASIVS Vbertus Cæſenas, monachus, & Cellerarius cœnobii S. Mariæ de Monte, non procula Cæſena, uir doctus & pius, ad ouile Domini cuſtodiendum electus, uerbo & opere inſigniter illud defendit, & nonnullis lucubrationibus ſuis qualis, & quantus fuerit oſtendit. De illis uero nihil aliud hactenus uidi, præter epiſtolā unam, ſiue præfationē præfixā, explicationi D. Io. Baptiſtæ Folengii ſuper Pſalmos. Obiit hac noſtra ætate: *Ex epiſtola D. Angeli a Carpenedolo Decano Ceſenatico ad me tranſmiſſa.*

Inſulani, ſiue Inſulenſes, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Sancti Seuerini; ſiue Neapolitano.

D. HONORATVS Hiſernienſis ex Familia Faſcitella, monachus Monaſterii Caſinenſis, & poeta Epiſcopus creatus de Inſula in Calabria; uir doctus, & poeta inſignis, floruit temporibus Maximiliani & Caroli V. Impp. *D. Placidus Romanus in ſuppl. uir. ill. Montis Caſini MS.*

Episcopatus de Littera. L.

Cap. XLVI.

Landafenſes in Anglia, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

D. EDMVNDVS de Brumfeld, monachus Monaſterij S. Edmundi de Bury in Anglia, & Abbas cuiuſdam cœnobii in Gallia, uir ambitioſus, & Monaſterio ſuo parum utilis, ab Vrbano Papa VI. in gratiam Regis Angliæ Richardi. II. creatus eſt Epiſcopus Landafenſis anno 1389. Quantum uero in eo honore fuerit adhuc neſcio. *Thomas Vualſingam in hiſt. breui. ad annum* 1389.

Laquedouenſes in Apulia, ſub Conſano Archiepiſcopo,

D. DESIDERIVS, Monachus Sanctæ Trinitatis Cauæ, & Epiſcopus Laquedouenſis. *Tabulæ Cauenſes.*

D. Marcus Pedocea, Mirandulanus, monachus Monaſterii S. Benedicti de Mantua, & Abbas S. Vitalis Rauennæ, ordinis S. Benedicti, congregationis Caſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, uir in Mathematicis exercitatiſſimus, a Gregorio Papa XIII. factus eſt Epiſcopus Laquedouenſis anno 1584. de quo, quia adhuc ſuperſtes eſt, iudicium meum proferre non audeo, ne in alterutram partem, aut adulationis uitio reprehendar, aut nimiæ ueritatis.

De Lauaur, id eſt Vabrenſes in Aquitania, ſub Bituricenſi Archiepiſcopo.

D. BERTRANDVS, Gallus, Monachus, & Prior Sancti Martini de Campis Pariſijs, & poſtea Epiſcopus de Lauaur creatus, Paſtorem in omnibus ſe exhibere curauit. *Franc. Belforeſt. in Coſmo. ſua.*

Laudunenſes in Gallia, ſub Archiepiſcopo Rhemenſi.

5. S. CHAGNOALDVS, ſiue Chalnoaldus, Canoaldus, uel Gaynaldus, Frater Sanctorum Pharonis, & Vualberti Epiſcoporum, & Pharæ Abbatiſſæ, diſcipulus S. Columbani Abbatis, & monachus Luxouienſis in Burgundia, creatus Epiſcopus eccleſiæ Laudunenſis (non autem Lugdunenſis, ut uolunt auctor uitæ S. Euſtaſij Abbatis, & Trittemius, ſed id puto Librariorũ uitio accidiſſe, facilis enim eſt lapſus Lau, in Lug.) a pueritia ad mortem uſque, ut eius actate ſtantur, miraculis claruiſſe perhibetur. Floruit anno Domini 640. *Trittem. lib. 3. c. 69. & alii.*

D. DRO-

42 D. DROGO, Gallus, monachus, & Abbas Monasterii S. Ioānis de Lauduno, anno Domini circiter 1136. creatus Episcopus, cum esset iam Cardinalis, pauco tempore eo honore usus est, obiit enim anno 1137. *Franciscus Belforestius in Cosmogra. sua, in descript. ciuit. Laudunensis.*

63 D. Petrus Amelius de Mõte acuto, Gallus, monachus & Prior S. Martini de Campis, creatus circa annum 1380. triennio post ab Clemente VII. Antipapa, factus est Cardinalis S. Marci. Obiit Auinione 1389. quarto idus Augusti. *Belforestius ibidem.*

71 D. Ioannes Docœus, Gallus, monachus, & Prior Monasterii S. Dionysii extra Vrbem Parisiensem, Sacræ Theologiæ Doctor, & uerbi Dei prædicator egregius, ut eius scripta testantur, scripsit enim Sermones ad populum lib. 1. De passione Domini lib. 1. qui duo libri excusi sunt Parisiis. De æterna generatione filii Dei, & temporali natiuitate eiusdem filii hominis, lib. 2. Parisiis 1554. in 4. Floruit nostra ætate anno Domini 1560. *Ex eius vita, operibus suis prepositа.*

Lealhenses in Liuonia.

D. BERNARDVS Lippiæ dominus, relicto sæculo, primum factus est monachus Marienfeldensis, deinde Abbas, postremo cùm desiderio pro Christo peregrinandi tangeretur, creatus Episcopus, à proprio filio Ottone Traiectensi Episcopo consecratus est, qui inde factus est parentis sui parens. Et paulo post ipse pater cum eodem filio, alium filium suum Gerardum Archiepiscopũ Bremensem consecrarunt. Religiosus igitur Pater religiosos filios in Christo enutriens, familiæ suæ pro testamento religionem reliquit, non sanguinem. Floruit anno Domini 1260. *Familia Dominorum Lippię, & Crantzius metrop. lib. 7. cap. 40.*

Legionenses in Hispania, sub Compostellano Archiepiscopo.

4 S. FROILANVS, siue Froyllanus, qui & corrupto uocabulo Florianus uocatur, Hispanus, monachus & Abbas de Moreruela, prope Zamoram, creatus est Episcopus anno Domini 820. ut vult Villegas, siue ut Morales asserit 870. Fuitque in ea potestate annis quinque, uerbo simul & exemplo oues sibi concreditas incessanter pascens. Migrauit ex hac luce anno 825. siue 875. ætatis suæ 73. quinto nonas Octobris. *Alphonsus Villegas in flore Sanct. Morales lib. 15. cap. 7. & alii.*

S. Albitus, Hispanus, monachus & Abbas S. Facundi in Hispania, deinde Episcopus Legionensis, ut puto post S. Froilanum miraculis

clarus quieuit in pace, sepultus Legione apud suum prædecessorem. *Illescas lib.4.cap.85.*

Lemouicenses in Gallia, sub Bituricensi Archiepiscopo.

D. HVGO de Manhaco, siue Iugnaco, monachus S.Flori, & illius ciuitatis Episcopus nonus, ab illa sede, ad hanc translatus est circa annum Domini 1360. paulo ante, uel post. *Democharis Tomo 2.cap.25.& Belforest.*

Leodienses in Belgio, sub Archiepiscopo Colonienſi.

2 S. FLORIBERTVS, Sancti Huberti Aquitaniæ Ducis, & primi Episcopi Leodiensis filius, monachus, & Abbas Monasteri Stabulensis iuxta Leodium, patre sanctorum numero sociato, creatus est secundus Legiensis siue Leodiensis Episcopus an.731.siue 727. præfuit secundum Democharē annis.23.secundum alios annis.18. obiitque vt referunt anno 754.uel 745. sexto Calendas Maij. *Democharis de sacrif. missę, Tomo 2.cap.37. & catalogus quidam Episcoporum Tungrensium, sine nomine auctoris lingua Germanica excusus, qui apud me est.*

9 D.Francus, siue Franco, ex nobili prosapia Comitum Hannonię, monachus monasterii Lobiensis, creatus est anno 855.præfuit annis octodecim; obiit anno 874.die nono Ianuarii. *Catalogus prefatus.*

11 D.Richarius, Comitis Hannoniæ filius, monachus, & Abbas Stabulanus, creatus est anno 922. Hic ordinauit ut tredecim Abbates Leodiensis territorii, sint Capellani Episcopi. Obiit anno 946. regiminis sui. 24. die.23. Mensis Iulii, & sepultus est in ecclesia S.Petri Legij. *Catalogus.*

12 D.Hugo, siue Ogo, monachus, & Abbas S.Maximini Treuiris, in locum Richarii electus, cum annis duobus præfuisset, obiit anno 948.die vndecimo Aprilis, & sepultus est in ecclesia Sancti Lamberti. *Catalogus: & Trittemius lib.4.cap.214.*

13 D.Pharabertus, Comitis S.Pauli filius, monachus & Abbas Prumiensis, Hugonem subsequutus, lustro uix elapso obiit anno 953. die.28. Martij, in S.Lamberto sepultus. *Catalogus, & Democharis.*

14 S.Racherius, siue Ratherius, Comitis Viennæ filius, monachus Lobiensis, a Verona, cuius erat Episcopus, pulsus, Pharaberto succedens, non meliori fortuna Leodiensem Episcopatum gubernauit, quam Veronensem, Anno enim administrationis suæ tertio, Christi Domini 956. a regimine semotus, & in exilium actus, ad monasterium suum reuersus, in eodem mansit annis 19. & tandem doctrina, & sanctitate clarus obiit anno 974. & in monasterio Lobiensi

sepultus

sepultus est. Ab hoc exiit prouerbium, Veronæ Præsul, sed ter Racherius exul. *Demochares, Catalogus, & Trittemius lib.4.ca.204.* Errat Contractus in Chronico, qui dicit eum obijsse anno 874.

17 S.Notgerus, Ducis Sueuiæ filius, monachus, & Abbas S.Galli, uir doctus, & Sanctus, creatus est anno 971.præfuit laudabiliter annis plus minus.36.& signis ac uirtutibus coruscus migrauit ad Dominum anno Christi 1008.die secundo Aprilis,& in ecclesia S.Ioannis sepultus est. Hic inter cætera urbem Legiam muris cinxit, & Comitatum Huiensem ecclesiæ suæ acquisiuit. *Trittemius lib.4.c. 216.& alij.* Scripsit inter alia, De translatione S. Landoaldi,lib.1. qui est apud Surium Tomo 2. De uita S.Remacli Episcopi.lib.1.

19 S.Vuolbodo, Ducis Bergensis filius, monachus Stabulensis, uir corpore, & operibus sanctis, magnus, creatus est Episcopus anno Domini 1018. & duobus tantum annis præfuit; obiit enim anno 1020.undecimo calendas Maii, ad S.Laurentium sepultus. *Iacobus Meyerus in Annal.Fland.lib.2.ad annum 1020.*

41 D.Ioannes de Enghien,siue Anginus, monachus, & Abbas Stabulanus,Regis Franciæ nepos,& Sacræ Theologiæ Doctor, ex Episcopo Tornacense in locum Henrici in Concilio Lugdunensi depositi, creatus est ab eodem Concilio Episcopus an.1274. a quo Henrico tandem captus,occisus est anno 1281.regiminis sui sexto,& in S.Lamberto sepultus est. *Democharès loco supracitato.*

Leouenses in Britannia minori, sub Turonensi Archiepiscopo.

S.Paulus,monachus in Britannia sub disciplina S.Eltuti Abbatis, floruit Episcopus sanctitate,& miraculorum gloria, anno Domini 600. *Trittemius lib.4.ca.134. & alii.* Obiit die.12.Martij.

Lesmorenses in Hybernia; sub Caßelensi Archiepiscopo.

S.Malchvs,Hybernus,monachus Nichonensis in Hybernia, & S.Malachiæ Episcopi discipulus, senex plenus dierum & uirtutum,in Episcopatu magnis signis & miraculis refulsit. Floruit anno Domini 1109. *S.Bernardus in uita S.Malachiæ. cap.3. & Trittemius, lib.4.cap.250.& alij.*

Lexouienses in Gallia, sub Rothomagensi Archiepiscopo.

D.Petrvs, monachus, & Abbas in Gallia, episcopus creatus est Lexouiensis, ut apparet ante annum 750. *Belforest. in Cosmogr.*

D.Freculphus,monachus Fuldensis,historicus sui temporis clarissimus,& Sacrarum Literarum non ignarus,ad quem Rabanus Episcopus quatuor in Genesim libros scripsit. Floruit ab anno 830.ad 840. & amplius, *Belforestius ibidem. & Trittemius lib.4.cap.193.*

& Democharis Tomo 2.cap.21. Scripsit insigne & grande uolumen, continens ab exordio mundi, usque ad Christi natiuitatem, rerum gestarum historiam, lib.7. Excusam Coloniæ, anno 1539. & insuper aliquas epistolas, quarum una ad Rabanum Episcopum, legitur in initio commentariorum ipsius Rabani in Pentateuchum.

Lichefeldenses, siue Merciorum, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

1 D. Dinas, siue Diurnas, Monachus cuiusdam cœnobii in Scotia, cum Osuuius Northumbrorum Rex Peadæ Merciorum Regi, cognato suo, regnum Australium Merciorum, qui fluuio Trente discreti sunt ab Aquilonaribus Merciis, de se tenendum dedisset; populi illius creatus est primus Episcopus proprius anno Domin. 656. uocatusq; est pastor Mediterraneorum Anglorum, siue Lichefeldésis, quod in ea ciuitate sedem sibi collocasset: quam cum tenuisset aliquot annis, ibidem mortuus est circa annum Domini 660.

2 D. Coellacus, siue Colachus, Scotus, Monachus Huensis Insulæ, in Hibernia, Dinam in Episcopatu sequutus, amore quietis illi deseruit, & ad suum Monasterium reuersus, in pace uitã finiuit, circa annum Domini 670. *Trittemius lib.4.cap.147.*

3 D. Tunherus, siue Trunherus, natione Anglus, Gedlingensis, sed Monachus in Scotia, Abbasq; Monasterii, quod Ingetlingum uocatur, ubi Osuuinus Rex & martyr occisus est, uir doctus, & sanctus, cum paucis annis populum sibi creditum strenuè gubernasset obiit circa annum Dom. 676. *Trittemius lib.4.cap.148. Matthæus Vvestmonast.ad ann.656.* Scripsit de officiis Ecclesiæ, librum vnum.

4 D. Iaruman, siue, ut Trittemius habet, Laromannus, Monachus insulę Lindisfarnensis, in omnibus operibus suis dignum se episcopatu demonstrauit. Floruit anno Dom. 680. *Tritt.lib.4.c.151.*

5 S. Ceadda, Anglus, Monachus, & Abbas, Lestigahensis, siue Lestingensis cœnobii in Anglia, & Archiepiscopus Eboracẽsis uir Deo deuotus & sanctus, de cuius uirtutibus multa in historiis suis refert Beda, creatus, ut apparet, anno Domini 670. post biennium, & menses sex ad Monasterium suum rediens, in eodemq; uitam Angelicã potius, quam humanam ducens plenus bonis operibus migrauit in cœlum, circa annum Domini 672. die secundo Martii, *Beda, libro 4. cap. 3. Trittemius, lib.4.c.59. & alij.*

6 D. Vvinfridus, Monachus, & Abbas Monasterii Adbarune, in Anglia, uir deuotus & religiosus, post duos an. regiminis sui, à Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo pro inobedientia quadam depositus anno 674. Monasterium suum repetens, in optima conuersa-

tione

tione uitam finiuit. Matthæus Vueſtm. ad ann. 674. *Tritt. lib. 4. c. 157. & Beda, lib. 4. cap. 6.*

7 D. Sexulfus, Monachus, & Abbas Medeshamſtedenſis in regione Giruiorum, in locum Vuinfridi depoſiti collocatus, commiſſam ſibi plebem laudabiliter annis pluribus gubernauit; Obiit poſt annum 700. *Matthæus ad annos citatos, & Trittemius, libr. 4. cap. 158. & Beda, lib. 4. cap. 6.*

Limeſſani, in Italia.

D. Gregorius, Monachus Monaſterii Caſinenſis, uir in ſacris litteris eruditus; & poeta ſui temporis non contemnendus, ad gubernationem Eccleſiæ Limeſſanæ aſſumptus, nonnulla ſui ingenii monimenta reliquit, nec tamen ideo ſupergregem ſuum inuigilare deſtitit. Floruit anno..... *Petrus Diaconus de uir. illuſt. mont. Caſ. cap. 33.*

Lincolnienſes, ſiue Dorceſtrenſes, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

1 D. Remigius, Monachus de Freſchampo, anno Dom. 1085. fauore Gulielmi Conquæſtoris Angliæ Regis, creatus eſt primus Epiſcopus Lincolnienſis, ſiue Dorceſtrēſis, fuit uir doctus, & pius, cuius edoctus rex monitis ſalutaribus, pro trāſgreſſionibus ſuis expiandis, duo cœnobia fundauit, unum in honorem S. Martini in Anglia, ubi bellum cum Haraldo Rege conſertum fuit, unde & Monaſterium Belli nuncupatum eſt: aliud uerò in Normannia apud Cadomum conſtruxit, in honorem S. Stephani prothomartyris, & conſecrari iuſſit. Totus autem ſimilibus operibus pietatis deditus, anno Epiſcopatus ſui octauo, Chriſti 1092. diem clauſit. *Matthæus Vueſtmon. ad annum 1085.*

Lindiſſenſes, & Lindisfarorum, & Merciorum, ſimul ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi.

1 S. Honorius, natione & profeſſione Monachus Romanus, prouincia Lindiſſiæ regionis, quæ eſt ad meridianam plagam Humbri fluminis, ad Chriſti fidem per Paulinum Archiepiſcopum conuerſa, ab eodem conſecratus eſt primus eorum Epiſcopus in ciuitate Blecca, ubi ſedes Epiſcopalis poſita eſt anno 628. quam cum teniſſet annis duobus, S. Iuſto Archiepiſcopo Cantuarienſi iam defuncto, ab hac ad illam ſedem translatus eſt anno Domini 630. *Matthæus ad annos 628. & 630.*

2 D. Vuinfridus, Monachus, & Abbas Monaſterij Adbarne, Honorio ad ſedē Cantuarienſem anno 630. translato, Lindiſſenſem prouinciam regendam ſuſcepit, quam & gubernauit in timore Dei, per annos

annos plus minus 42. usquedum anno 672. Episcopatui Lichefeldē. si præpositus est, uti supra annotauimus. *Matthæus ad annos citatos.*

3 D. Sexulfus, Monachus, & Abbas Monasterii Medeshamstedē sis, Vuinfrido abdicanti, succedens, utranque sedem sanctè & iustè gubernauit, annis quatuor: usq; ad annum uidelicet 678. quo Eadhedus primus proprius Lindisfensis Episcopus creatus est: & bonis operibus repletus migrauit post annum Domini 700. *Beda, libro 4. cap. 6. Matthæus, & alij.*

Lindissenses, siue Lindisfarorum solum, sub eodem.

2 D. Aetheluuinus, siue Ediluuinus, Eadhedo ad Patres adposito, cum esset Monachus insulæ Huensis in Hybernia, factus est secūdus Lindisfarorum Episcopus, circa annum Domini 780. uel paulo amplius, & multo tempore Ecclesiam suam, populumque suum, suo exemplo, in Dei timore continuit, & cum bono nomine ex hac luce subtractus est. *Trittemius, lib. 4. cap. 156. & alij.*

Lingonenses, in Gallia, sub Lugdunensi Archiepiscopo.

32 D. Hariolfvs, Monachus, & primus Abbas Eluuangensis constitutus à Carolo Magno anno 764. factus postmodum Episcopus, non minus religione, quam doctrina clarus effulsit. Successit autem ei in Abbatiæ regimine, S. Victerbus, qui postea Augustanæ ciuitatis Episcopus factus est. *Belforestius in Cosmographia.*

65 D. Hugo, Gallus, Monachus, & Abbas Monasterii Cluniacensis 33. & deinde Episcopus Lingonensis creatus anno 1244. aliquot annis dignè præfuit. Obiit Idibus Aprilis, apud Damiatam sepultus. *Chronicon Cluniacense. MS.*

78 D. Bernardus de Turre, Aruernus, Gallus, Monachus, & Abbas cœnobij Tremorchiensis, Episcopus, claruit anno D. 1380. uel circa. *Democharis, tom. 2. cap. 28. de sacrific. Missæ.*

Liuonienses Episcopi, sine aliqua sede particulari.

1 S. Mainardvs, Monachus, & multæ religionis uir, à quibusdam mercatoribus, in Liuoniam inuectus, ut populis illis Christi fidem annunciaret, post multos pro Christo perpessos labores, tā in prædicando, quàm in baptizando, in magna sanctitate migrauit ad Dominum. Floruit anno Domini 1180. cui successit in Episcopatu, & Apostolatu, S. Bertholdus, Monachus Ordinis Cistercienſis. *Belforestius in descriptione Liuoniæ.*

Lobienses in Belgio, sub Rhemensi Archiepiscopo.

1 S. Hidvlphvs, Dux primum, deinde Monachus, postremo Abbas & Episcopus Laubiēsis primus, omnia fluxa huius seculi pro

Dei

Dei amore contemnens, uxorem, liberos, & Ducatum Cępimum, reliquit anno Domini 618. & pauper, pro Christo paupere, Monachus factus, ab eo ditari meruit; ad Abbatiam nanque & Episcopatum promotus, eam quam in Monasterio obseruarat regulam, etiã Prælatus pro uirili obseruare studuit; & uirtutibus, ac miraculis clarus, in pace quieuit circa annum Domini 680. die nono calendas Iulij, & Laubiis sepultus est: nunc uerò Binchii requiescit, cum aliis Sanctis illius Monasterii. *Trittemius, libro 4. cap. 231. & alij auctores in Martyrologio notati.*

2 S. Vrsmarus, Monachus, Abbas, & Episcopus Laubiensis secundus, ex Episcopo Suessionensi, sua sancta prædicatione totam ferè Flandriam Occidentalem Christo conuertit, de cuius rebus gestis magna extant uolumina. Obiit anno Domini 713. die decimotertio calendas Maii, cum prędecessore sepultus. *Trittemius, lib. 4. cap. 174. Meyerus, lib. 1. Annal. Flandriæ, & alij.*

3 S. Erminus, siue Herminus, alias Heruuinus, Monachus, Abbas, & Episcopus Laubiensis tertius, plebem sibi cõmissam, tam uerbo, quam exemplo, erat enim & sapientiæ doctrina, & sanctitatis laude conspicuus, quoad uixit mirabiliter instruens, magnum sui desiderium moriens posteris dereliquit. Obiit anno, ut uidetur 720. regiminis sui octauo, septimo calendas Maii. *Trittemius, lib. 4. cap. 180. Molanus in indiculo; & alij.* Scripsit de uita S. Vrsmari, lib. 1.

4 S. Theodulphus, Monachus, Abbas, & Episcopus Laubiensis quartus, uir in omni uia perfectus, ut eius acta testantur, prodentibus meritis Sanctorum catalogo adscribi meruit. Floruit anno Domini 736. obiitq; die 8. calendas Iulii: cum prædecessoribus suis sepultus. *Trittemius, lib. 4. cap. 104. Molanus & alij.*

5 S. Vlgisus, siue Vulgisus, uel Vuillegisus, Monachus, Abbas, & Episcopus Laubiensis quintus, non minora, quam eius prædecessores, sanctitatis, & doctrinæ, posteris monimenta reliquit: cuius rei causa dignus inuentus est, qui inter cœlites collocaretur. Floruit anno Domini 740. ac obiit die quarto Februarii, sepultus in communi prædecessorum tumulo Laubiis. *Trittemius, libro quarto, cap. 192. Molanus, & alij.*

6 S. Abel, Monachus, Abbas, & Episcopus Laubiensis sextus, uitam suam omnem, ad Christi saluatoris exemplum, ita dirigere, & terminare semper studuit, & prædicationi uerbi Dei, continuè ita insistere; ut propterea iam in cęlis æternis fruatur gaudiis, & sanctis connumeretur. Floruit anno Domini 750. & 776. obiit die 5. mensis

sis Augusti. *Trittemius, lib. 4. cap. 118. Molanus, & alij.*

7 S. Amuluuinus, uel Amulbuinus, seu Amoluinus, Monachus, Abbas: & Episcopus Laubiēsis septimus, uir quidem carne nobilis sed spiritu nobilior, ecclesiam sibi creditam, tam eruditione, quam sanctitate, ornauit, & bonorum operum odore perfusus migrauit in cœlum, circa annum Christi Domini 770. die septimo Idus Februarii. *Trittemius, libro quarto, cap. 203. Molanus in indiculo Sanctorum Belgij, & alij.*

Lombarienses in Gallia, in Comingio, sub Tolosano Archiepiscopo.

D. Ioannes, Gallus, Monachus, & Abbas S. Dionysii Parisiis, & Orator Regis Francorum, ob doctrinæ suæ meritum Episcopus factus, non longè post Cardinalis renunciatus est anno 1493. Obiit Romæ 1499. *Franciscus Belforestius in descriptione patriæ suæ Comingensis, in Cosmogr. sua.*

Londonienses in Anglia, siue Londinenses, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

1 S. Mellitvs, Romanus, Monachus, & Abbas Romanus, anno Domini sexcentesimoquarto, à S. Augustino Anglorum Apostolo, Episcopus Londonensis creatus, ciuitatis Londonensis primatum, quæ semper Britannorum temporibus Archiepiscopum habuerat, tunc primum amisit, dignitate Metropolitana ad Doroberniam, siue Cantuariam translata. Consecratus, eodem anno ad prouinciam Orientalium Saxonum ad prædicandum missus, Sebertum Regem cum tota gente sua ad fidem conuertit. Et tandem S. Laurētio Cantuariēsi Archiepiscopo in cœlum translato, eius loco præesse meruit anno 621. Episcopatus Londonensis ann. 17. *Matthæus Vvestmon. ad annos 604. & 621. & alij infiniti.* Mellito autem ad sedem Cantuariensem translato, uacauit sedes Londonensis ann. 29. usque ad 650.

2 S. Cedd, siue Ceddi, uel Ceddus, Anglus, Frater Sanctorū Ceddæ, Cimbilli, & Cealini, Monachus insulæ Lindisfarnēsis, & post Episcopatum assumptum, fundator, & primus Abbas Monasterii Lentisgeu, siue Lestingahensis, in prouincia Deirorum, postulatus ab Osiuu Rege Northumbriæ, ut gēti Orientalium Saxonum, uerbum fidei prædicaret, libenter annuit, Regemque Siberechtum, filiumq; Regis Sexbaldi Siudhelmū suis manibus baptizauit; à quo ann. 650. constitutus est secundus Orientalium Saxonum, siue Londinensis Episcopus, qui erat uacantis sedis annus 29. Populum sibi commissum uerbo, & exemplo pauit, annis plus minus quatuordecim, &

tandem

tandem bonis operibus plenus, miraculorumque gloria clarus, adpositus est ad patres suos anno 664. *Beda, lib. 3. c. 21. 22. & 23. Trittemius, lib. 4. c. 66. & alij.*

3 D. Vuino, uel Vuina, Monachus in Anglia, pulsus à sede Vuintonienſi, cuius erat Episcopus à Chineualchio Rege, anno 666. à Vulfhero Rege Merciorum, Londonienſem Episcopatum accepit; sed quod precio sedem illam acquisierit, ut aiunt, ideo à nonnullis in Episcoporum Londinenſium serie non recenſetur. Obijt an. 674. *Tritt. lib. 4. c. 144. & Matthæus, & alij.*

4 S. Erchenuualdus, Anglus, Frater S. Aethelburgæ Abbatiſſę, Monachus & Abbas Certeſey, ſiue Ceroteſcenſis, in Anglia, uir ſanctitatis eximię, Episcopus creatus à Theodoro Archiepiſcopo, & cōſecratus anno 675. die quodam cum ęger pedibus lectica parochiā circuiret, ad oram amnis rapaciſſimi fortè peruenit, ubi cum ſocii hęſitarent, quod infirmus, nec equo, nec pedibus trāſire flumen poſſet, gurges repētè diſparuit: qui ſtatim ut Episcopus cum ſuis alueū tranſmeaſſet, reuerſus eſt ad naturam. Præfuit in omni ſanctitate annis plus minus 16. & poſt præſentis uitæ decurſum defunctus, anno ut colligere licet, 690. in eccleſia S. Pauli Lōdini ſepultus eſt, die 30. menſis Aprilis. *Beda, lib. 4. c. 6. & ſequentibus. Trittemius, libro quarto, cap. 163. & alij.*

5 D. Vualdherus, Monachus in Anglia, Erchenuualdo ſucceſſor datus, ut erat uir non minus religione, quam ſcientia clarus, prędeceſſoris ſui in grege Dominico paſcendo, imitator ſtuduit exiſtere. Floruit anno Domini 700. *Tritt. lib. 4. c. 165.*

25 S. Dunſtanus, Anglus, Monachus & Abbas, Glaſconiēſis, ex Episcopatu Vuigornienſi, ad Londinenſem translatus anno Dom. 959. eidem præfuit annis plus minus 14. anno enim 973. ad Cantuarienſem ſedem regendam aſſumptus, ibidem in pace uitam finiuit anno Dom. 1001. *Polydorus, lib. 6. & 7. Matthæus, Trittemius, et alij.*

D. Gilbertus Folioth, Monachus & Abbas Glouernienſis, cum ſedem Herefordenſem, cui prælatus erat, annis 17. ſumma cum laude gubernaſſet, anno poſtea 1163. ad hanc translatus, paulominus quā 25. annis eidem præfuit. Obiit anno Domini 1188. *Matthæus ad annos 1146. et 1163.*

Lubecenſes, olim Aldemburgenſes, in Saxonia, ſub Bremenſi Archiepiſcopo.

1 D. Conradvs, ſiue Cunradus, Frater Geroldi Episcopi Aldemburgenſis duodecimi & ultimi, & Lubecēſis primi, Monachus,

&

& Abbas Monasterii de Reddageshusen, creatus est secūdus Episcopus anno Domini 1163. consecrationis munus accepit ab Hartuuico Bremensi Archiepiscopo: pollebat literatura, facundia, largitate, & affabilitate, Clero tamen suo seueritate quadam abusus est, sed postea in alterum virum mutatus est. Multis enim aduersitatibus à Duce Henrico, quod episcopatum ab eo recipere per uirgam recusaret, perpessis, clero suo compati didicit. Tandem in terram sanctā profectus cum eodem Duce in ciuitate Tyrensi spiritum Deo reddidit anno Domini 1168. Episcopatus sui sexto. *Helmoldus in chron. Slauorum, lib. 2. c. 1. & Crantzius metrop. lib. 6. c. 43.*

3 D. Henricus, Brabantinus, Belga, Monachus & Abbas Monasterij Sancti Aegidij de Brunsuuico, doctrina, eloquentia, & sanctitate insignis; cum Duce enim Hentico in terram sanctam peregrinatus, grandem sustinuit disputationem in conspectu Imperatoris Constantinopolitani, præsente D. suo Henrico Duce, super processione Spiritus sancti, cū sermo oriretur de controuersia Orientalis, & Occidētalis Ecclesiæ. Reuersus, unanimi cleri, & canonicorū consensu electus est in Episcopū anno Domini 1170. consecratusque est à tribus Episcopis in præsentia Henrici Ducis, qui ægrè eius electioni consensum præbuit, quod tanto uiro carere non poterat. Præfuit sanctissimè annis quindecim, & moriens anno Domini 1184. sepultus est in Monasterio S. Ioannis ab ipso fundato, pro Monachis Benedictinis. Reliquit quædam sui nominis monimenta, ex quibus est homilia in Euangelium, *Stabat iuxta crucem Iesu;* quæ qualis fuerit in cæteris, satis demonstrat, quam sensu profundus, quam excultus eloquio. Sed præstabat omnibus sincera in viro deuotio. *Arnoldus in supplemento Helmoldi, cap. 8. Trittemius, libro 4. cap. 268. Crantzius metrop. lib. 7. cap. 2.*

Lyddenses in Syria, sub Hierosolymitano Patriarcha.

D. Bernardvs, Monachus & Abbas mōtis Thabor, Ord. S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis, creatus est Episcopus Lyddensis, anno Domini 1167. qui erat annus sextus Amalrici Regis Hierusalem: sed quantum præfuerit, mihi incognitum. *Gulielmus Tyrius de bello sacro, lib. 20. c. 13.*

Annotatio.

Monasterium montis Thabor eo tempore, sub Regula S. Benedicti, & Congregatione Cluniacensi fuisse, testatur Chronicon Cluniacense MS. quod apud me est, his uerbis: Ad ueritatem autem suprascriptorū confirmandam, lector aduertat Religionem Cluniacen. esse extentam,

&

& propagatam usque ad uallem Iosaphat, sepulchrum matris Domini, ubi & in quo Gelduinus Monachus Cluniacēsis, illius sanctissimi Monasterij Abbas extitit. Sortita est etiam hæc Cluniacēsis ecclesia cum Monachis & fratribus habitātibus in sancto monte Thabor, ubi transfiguratus est Dominus confraternitatem; sicut legitur in 2. libro Epistolarum S. Petri Abb. Clun. cap. 44. *Hæc ille.*

Episcopatus de litera M.

Cap. XLVII.

Marinenses, in Gallia.

D. GVILELMVS de Estouteuilla, Gallus, Monachus & Prior S. Martini de Campis Parisijs, deinde Episcopus Marinensis; postmodum meritis suis exigentibus, Andegauensis, & Biterensis, & S. R. E. Card. factus est anno 1439. *Panuinus in Epitome.*

Marsicani in terra Laboris, sub Archiepiscopo Salernitano.

D. IOANNES, Monachus S. Trinitatis Cauæ. *Tabulæ Cauenses.*

D. Ioannes alter, Monachus S. Trinitatis Cauæ. *Tabulæ Cauenses.*

D. Iacobus, Monachus Casinensis, Floruit anno Domini 1320. *Donnus Placidus Romanus in Hist. Casin. MS. in Odone Patriarcha.*

Maurianenses, in Sabaudia, sub Taurinensi Archiepiscopo.

D. LVDOVICVS de Varambone, Monachus Ord. S. Benedicti, Sorbonæ Parisinæ Doctor, ob singularem doctrinam Episcopus cō secratus; postmodum in Concilio Basileensi Cardinalis renunciatus à Felice V. Antipapa; declaratus est deinde legitimus Cardinalis à Nicolao Papa V. anno 1449. *Trittemius, lib. 4. c. 30. & alij.*

Megarenses.

D. ANDREAS, Hispanus, Monachus, Ord. S. Benedicti, & S. R. E. Pœnitentiarius, ob Iuris Pontificij peritiam Megarensis Episcopus electus; Ciuitatensis postmodum, & Aiatensis Episcopatus promeruit, & demum S. R. E. Cardinalis renunciatus est. *Trittemius, libro 4. cap. 43.*

Meldenses, in Gallia, sub Senonensi Archiepiscopo.

19 S. VVALPERTVS, siue Vualbertus, frater S. Pharonis, Burgundus, Gallus, Hagnerici Comitis filius, Monachus, & Abbas tertius Monasterij Luxouiensis, uir doctus, & sanctus, creatus est Episcopus circa annum Domini 612. præfuit annis 8. & sanctitate clarus migrauit anno

anno 620. die secundo Maij. *Trittemius, lib. 4. c. 137. & alij.*

20 S. Pharo, S. Vvalperti frater, Monachus Luxouiensis, fratri in regimine succedens anno 620. in omni sanctitate populum, & Ecclesiam sibi commissam gubernauit annis 66. & plenus dierum in Domino obdormiuit anno Christi 686. 5. calendas Nouembris. *Trittemius, lib. 4. cap. 139.*

21 S. Hildeuertus, seu Hildenutus, uel Hildemitus, Monachus Luxouiensis, ob singularem pietatem, & religionem, Pharoni surrogatus anno 686. cum annis aliquot laudabiliter præfuisset, obijt die septimo calendas Iunij, inter sanctos à morte translatus. *Trittemius. libr. 4. cap. 141.*

69 D. Durandus, Monachus cuiusdam cœnobij in Gallia, Ordinis D. Benedicti, Episcopus 69. creatus. Floruit circa ann. Do. 1250. *Belforestius in catalogo Episcoporum Meldensium.*

80 D. Ioannes de Cressi, Picardus, Gallus, Monachus Ordinis S. Benedicti, & Episcopus Meldensis, postmodũ à Cœlestino Papa V. Cardinalis pronunciatus anno 1294. Obijt Auinione ann. 1307. Hic fundauit Collegium Parisijs, quod à suo nomine, Collegium Monachi uocatur. *Belforestius loco citato.*

ANNOTATIO:

Ponũtur, & alij duo Episcopi Meldenses, vnus à Trittemio, lib. 4. c. 191. qui est S. Pirminius; alter à Belforestio in Catalogo Episcoporum Meldensium, Sanctus uidelicet Vulfrannus: sed quid de Pirminio sentimus, diximus in Annotationibus Martyrologij nostri ad diem tertium Nouembris. Vvlfrannum uerò ideo hic omittimus, quod ex ratione temporum cognouerimus, eundem non posse esse cum S. Vvlfranno Monacho Fontanellæ, & Archiepiscopo Senonensi: ille enim obijsse refertur anno Domini 720. hic autem de quo agit Belforestius post tempora Sancti Zachariæ Papæ floruit, circa annum 760. His igitur rationibus moti, hos duos ex industria prætermisimus.

Melodunenses, in Gallia.

D. GVLIELMVS, Gallus, monachus, & Abbas Sancti Germani de Pratis in Ciuitate Parisiensi, Episcopus renunciatus Melodunensis, aliquot annis optimè præfuisse scribitur. *Belforestius in catalogo Abbatum S. Germani in Cosmographia.*

Memenanenses, siue Maiumæ, in Lydia, sub Archiepiscopo.

Sancti Georgij, siue Cappadociæ.

S. COSMAS, Italus, monachus Italus, ordinis S. Benedicti, deinde Abbas monasterij S. Sabæ iuxta Hierusalem, & S. Ioannis Damas

sceni

sceni in monastica disciplina eruditor, poeta sui temporis nulli secundus, ob eximiam doctrinam, & uitæ pietatem, Episcopus creatus, super gregem sibi commissum inuigilans, sanctitate, & miraculorum gloria floruit, anno Domini 700. & quod excurrit. Obiit die 14. mensis Octobris. *Vita S. Io. Damasceni apud Surium Tomo 3.* Composuit quosdam hymnos græcos, & alia nonnulla, quæ in Italia asseruantur MS.

Mentesani, qui nunc Giennenses, in Portugallia, sub Vlixponensi Archiepiscopo.

D. MARTINVS, Hispanus, monachus, & Abbas in Hispania, deinde Episcopus Mentesæ, creatus anno Domini 658. præfuit annis multis.

D. Suniulfus, Hispanus, monachus, & Abbas in Hispania, Episcopus electus, in locum, ut arbitror, Martini, anno 688. ecclesiam suam aliquot annis gubernauit. *De his duobus Gonzalus argotes de nobilitate Andalusiæ lib. 1. cap. 13.*

Mersburgenses, in Thuringia, sub Magdeburgensi Archiepiscopo.

1 D. BOSO, Bauarus, monachus monasterii Sancti Emerani Ratisponæ, nobilitate generis, honestate morum, & scripturarum scientia clarus, Episcopus creatus, in omnibus operibus suis dignum se Episcopatu ostendit. Floruit sub Ottone. 1. Imperatore, obiitque anno Domini 969. *Trittemius lib. 4. cap. 213.*

D. Dithmarus, monachus monasterii S. Ioannis Magdeburgensis, Episcopus creatus anno Domini 1008. præfuit annis 10. mensibus 7. diebus 7. Obiit anno 1019.

Metenses, in Lotharingia, sub Treuirensi Archiepiscopo.

29 S. ARNVLPHVS, Austrasiæ Mosellanicæ Dux, Ducatu, Vxore, ac liberis pro Christi amore relictis monachus Lirinensis factus anno 623. & deinde Eremiticæ uitæ cultor, postmodum episcopus creatus in omni sanctitate populum sibi commissum annis 15. gubernauit: amore tamen solitudinis iterum inflammatus, Episcopatum deserens, anno 638. Eremum repetiit, in qua miraculis clarus obiit anno Domini 641. die decimoquinto calendas Augusti. *F. Petrus Cratepolius de episcopis Germaniæ; & alij.*

32 S. Clodulphus aliàs Godulphus, S. Arnulphi Ducis Austrasiæ, Episcopi Metensis, & monachi filius, dux & ipse Austrasiæ post patrem, necnon eius exemplo monachus: Tertio loco post patrem creatus est Metēsis Episcopus circa annū Domini 661. Qua in potestate cum fuisset annis 11. ad ecclesiam Treuirensem transiit, & mi-

raculis coruſcus migrauit anno 673.die octauo Iunij: *ut auctor eſt Franciſcus de Roſieres Stemmatũ Lotharingię,to.3. Hiſtoria capitali.49.*

S.Bruno,monachus, & Eremita in Gallia, Epiſcopus agnoſcitur Metenſis à Belforeſtio,ſed à Demochare omittitur.

40 D.Drogo, Caroli Magni Imperatoris filius Nothus,monachus Luxouienſis,uir in agendis negotiis ſtrenuus, & ſacrarum literarũ non mediocriter eruditus, creatus eſt Epiſcopus, ut rectiſſimè annotat Belforeſtius anno Domini 823. fratre ſuo Ludouico Imper. Pio adhuc ſuperſtite,qui eius opera in maximis, & arduis rebus ſæpiſſimè uſus eſt (non autem,ut malè refert Demochares,anno 841. Imperatore Pio iam defuncto) præfuit eccleſiæ ſuæ annis plus minus 32. & cum magno ſuorum dolore,obiit anno Chriſti 855.Metis ſepultus. *Belforeſtius Annalium Francię lib.2. cap. 30. & in Coſmographia ſua: et Trittemius lib.4.cap.225.*

41 D.Aduentitius, ſeu Aduentius, Gallus, monachus & Abbas Metenſis,deinde Drogone mortuo 41.Metenſis Epiſcopus, creatus anno 855.præfuit laudabiliter annis 17. Interfuit Concilio Moguntino, à Rabano Archiepiſcopo anno Domi.848. contra Godſcalcũ hæreticum celebrato, cum adhuc eſſet Abbas, ut auctor eſt Trittemius in Chronico Hirſaugiæ;Obiit anno 872. *Tritt.in chron.Hirſaugię: et F.Laurentius Surius in Tom.3.conc.poſt finemconc. Moguntini.*

44 D.Diegerus,ſiue Vigerus,Germanus,monachus S.Aurelij Hirſaugiæ, & Abbas monaſterii S.Georgii in Nigra ſylua, creatus eſt Epiſcopus anno Domini 921.præfuit laudabiliter annis 10. & cum poſteris ingenii ſui nonnulla monimenta reliquiſſet,obiit anno 931. *Trittemius lib.4.cap.259.*

Mimatenſes,in Aquitania, ſub Bituricenſi Archiepiſcopo.

D.GVLIELMVS de Conacho, monachus S.Florentii de Sanemurio,Decretorum Doctor,ob ſingularem eruditionem Epiſcopus Mimatenſis creatus, ſuccedente tempore, cum eius doctrina Gregorio XI. nota facta fuiſſet, ab eodem Auinione in purpuratorum numerum relatus eſt anno 1371. *Belforeſtius in Coſmographia ſua.*

Mindenſes,in Germania, ſub Colonienſi Archiepiſcopo.

10 S.Helinuuardus,Monachus cuiuſdã Monaſterij, Ordinis S.Benedicti, vir ſingularis pietatis,& religionis,anno Domini 952.Epiſcopus electus, ſexennio poſt ipſis ferijs Diui Valentini, die 17.calẽ Ianuarij (ut arbitror) anno 958. cum morte uitam commutauit. *Crantzius metrop.lib.3.cap.32.*

24 D.Henricus,Saxo,Monachus Bursfeldenſis Monaſterij,& Ab-

ba

bas S. Mauritij de Insula iuxta ciuitatem Mindensem, & postmodũ eiusdem ciuitatis Episcopus creatus anno Domini 1144 præfuit annis 12. Obijtque anno Christi 1156. sepultus in Bursfelde Monasterio patrum suorum, ut postulauerat: ut ubi initia sacræ religionis fecerat, ibi inter Patres suos expectaret nouissimam tubam, ad iudiciũ euocaturã uniuersos. *Tritt. li. 4. c. 236. Crantzius metr. li. 6. c. 42.*

49 D. Vvllebrandus, siue Vvillebrandus de Hallermundt, Monachus, & Abbas S. Viti Corbeiẽsis Saxonicæ, uir religione & natu primarius, Episcopalis muneris honore ditatus, Episcopatus iura, quæ uerbo non potuit, gladio materiali per se, & p amicos, defendit; eaq; de causa Ecclesiasticis uiris factus est amicabilis, & secularibus bonis Ecclesiæ inhiantibus formidabilis. Floruit anno Domini, ni fallor, 1430. uel circa. *Trittemius libro 4. cap. 254. Crantzius in metrop. lib. 11. cap. 42.*

Misnenses, in Thuringia, olim sub Magdeburgensi Archiepiscopo: nunc uerò exempti.

1 D. Bvrchardvs, Monachus Ordinis S. Benedicti, & deinde suis meritis sic exigentibus, primus Misnensis Episcopus, aliquot annis sedem suam laudabiliter tenuit, & non sine sanctitatis opinione, ab hac luce subtractus est. *Petrus Cratepolius de Episcopis Germ. in dictione, Hugonis Citizensis Episcopi.*

S. Gerungus, Germanus, Monachus, & Abbas Monasterij Putzauuigensis, uotiuò totius cleri consensu Misnensis ecclesiæ consecratus Antistes, inter alia gesta æterna memoria digna, reliquias S. Donati, cũ preciosis eorũ thecis attulit ecclesię, & alia complura, multosq; libros pro ecclesiæ ornamento, & studentiũ utilitate dispo suit: floruit anno Domini 1000. *F. Paulus Langius in Chron. Citizense.*

S. Benno, Germanus, Monachus, & Abbas S. Michaelis Hildeshemẽsis, & S. Vuigeri Abbatis discipulus, uir insignis pietatis, & admirãdæ doctrinæ, cuius ergò factus est Misnensis Episcopus anno Domini 1076. quo in uitæ genere, quantum sibi, & alijs profuerit, eius acta testantur. Slauos ad paganismum relapsos, sua prædicatione ad gremium reduxit Ecclesiæ, & quadraginta annis insigniter in uinea Domini laborauit. Migrauit a sæculo anno a Christo nato 1116. ætatis suæ 96. decimosexto calendas Iulij. Et in numerum Sanctorum relatus est, una cum S. Antonino, Ordinis Prædicatorij, & Archiepiscopo Florentino, ab Adriano Papa VI. Romæ anno 1523. pridie calendas Iunij, in die Sanctissimę Trinitatis. *Hieronimus Emser in uita sua, Tomo 7. Surij apud Mosandrum.*

Monasterienses, in Germania, sub Colonienſi Archiepiſcopo.

1 S. Lvdgervs, Friſius, Monachus primum S. Saluatoris Traiecti, deinde Caſinenſis, poſt Beneuentanus, poſtremo ad prædicandum inter gentes Euangelium, primus Monaſterienſis Epiſcopus, Caroli Magni Frãciæ Regis fauore, anno 789. creatus, viginti totos annos in diſſeminatione uerbi Dei conſumpſit, Saxonibuſque ad fidem cõuerſis, Apoſtolus eorum appellari meruit. Obiit ſanctitate coruſcus anno Domini 809. die ſeptimo cal. Aprilis. *Trittemius, libr. 4. c. 187. Crantzius metrop. lib. 1. c. 5. & in Saxonia, lib. 2. c. 14. & 16. & alij.* Scripſit non contemnendæ lectionis opuſcula, uidelicet,

De eleuatione, canonizatione, & miraculis S. Suuiberti Epiſcopi, lib. 1. qui eſt apud Surium, tom. 2. die 1. Martij.

De uita S. Gregorij Traiectenſis Epiſcopi, lib. 1. eſt Vltraiecti ad S. Saluatorem MS.

13 D. Sigefridus, ſeu Segefridus, Monachus Corbeiæ Saxonicæ, & Abbas S. Ioannis Magdeburgenſis, uir ſecundum ſæculi dignitatem nobilis, erat enim Comitis cuiuſdam filius, Epiſcopus Mimigardeuordenſis creatus, nobilitatem ſuam religione, & pietate non parũ adornauit. Floruit ſub S. Henrico, Imp. ann. Domini 1020. & quod amplius excurrit. *Trittemius lib. 4. cap. 252.*

Morinenſes, ſiue Taruanenſes in Belgio, ſub Rhemenſi Archiepiſcopo.

3 S. Avdomarvs, Friulphi filius, Monachus Luxouienſis in Burgundia, & S. Euſtaſij Abbatis diſcipulus, fama uirtutum ſuarum ubique uolante factus eſt tertius Morinenſis Epiſcopus anno à Chriſto nato 665. Fuit in officio annis plus minus 30. & ſanctitatis opinione pollens ad Dominum migrauit anno 695. 5. Idus Septembr. Quieſcit nunc in ciuitate ſui nominis in Belgio. *Trittem. lib. 4. c. 160. Democh ares, Tomo 2. c. 17. & alij.*

5 S. Bainus, Monachus, & Abbas Fontanellæ in Gallia, & poſtmodum Morinenſis Epiſcopus quintus; uir multum deuotus, & Deo dilectus, in Epiſcopatu, ſignis & uirtutibus floruit, circa annum Domini 730. inter ſanctos relatus. Obijt die 20. Iunij. *Ex uita S. Vuandregiſili Abbatis apud Surium, Tomo 4.*

16 S. Folquinus, Hieronymi filius, Francus, Monachus S. Bertini Sithiuenſis, & Epiſcopus Morinenſis ſextuſdecimus, de cuius actibus glorioſis multa memoranda narrantur. Obijt anno 855. die 14. Decembris, in S. Bertino ſepultus. *Ex monimentis Monaſt. S. Bertini.*

17 S. Hunfridus, Francus, Monachus Monaſterij S. Saluatoris de Prumia in Sylua Ardẽna, deine Abbas S. Bertini in Sithiu, poſtremo

Morinen-

Morinensis Episcopus, 17. à Normandis sede sua pulsus, pro Christi nomine exilij ærumnam aliquandiu patientissimè sustinuit. Obiit signis glorioſus anno Domini 868. uel 869. die octauo Idus Martii. *Molanus in indiculo Sanctorum Belgij: Meyerus libro secundo Annal. Flandriæ, & alij.*

23 D. Bauco, siue Dauid, Monachus Corbeiēsis, ad dignitatē Episcopalem assumptus, post aliquantos regiminis annos, obiit an. 964. *Democharis, to. 2. c. 17.*

26 D. Drogo Belga, Monachus Monasterii S. Vuinoci Bergis Flādriæ, deinde Gestellensis Pastor, postremo Episcopus Morinorū 26. creatus an. Domini 1036. præfuit laudabiliter annis plus minus 33. & scientiæ doctrina clarus quieuit in pace, anno 1079. Scripsit

De uita S. Godoleuę uirginis & martyris, lib. 1. excusam, tomo 4. Surij die 6. Iulij.

De uita S. Osuualdi Regis Northumbriæ, lib. 1.

De eodem sermones duos: sunt in cœnobio Bergis MS.

De miraculis S. Leuuinnæ uirginis, lib. 1.

Ad primum librum uitæ S. Vuinoci Abbatis, adiunxit secundum, & tertium: qui sunt Bergis S. Vuinoci MS.

Ioannes Molanus in Annot. ad Vsuard. die 5. Augusti.

Episcopatus de litera N.

Cap. XLVIII.

Nannetenses, siue Nantes, in Britannia minori, sub Turonensi Archiepiscopo.

S. MAINVS, Monachus, & Abbas cuiusdam Monasterij in Britannia minori, quod à suo nomine, Monasterium Sancti Maini nuncupatur, uir sanctissimæ cōuersationis, & Episcopus postea Nannetensis: cuius, diuino aspirante fauore & gratia, tantū ualuit apud eximium in Britannia principem nomine Iudicahelum, penetrabilior omni gladio ancipiti exhortatio, ut abiecto mundanæ celsitudinis fastu, Rex ille sese in arctum Diui Maini cœnobium intruserit. Floruit uirtutibus & signis anno Domini 560. & quod excurrit; fuitque synchronos Sācti Maclouii Episcopi. *Belforestius in Cosmog. sua, in descriptione Armoricę.*

Nemauses in Gallia, sub Narbonensi Archiepiscopo.

D. REMIGIVS, Monachus, & Abbas in Hispania, Episcopo Are-

gio defuncto, in eius locum substituitur circa annum Domini 680. *Ioannes Mariana Societatis Iesu in Annal. Hisp. lib. 6. c. 12.*

Niceæ in Prouincia, sub Archiepiscopo Eduensi.

S. VALERIVS, Monachus Monasterii S. Honorati, insulæ Lerinensis, & deinde ob sanctitatem eximiam Episcopus Nissenus, post multa uirtutum insignia, migrauit ad Dominum, nono calendas Augusti. *Tabulæ Lerinenses.*

Niuernenses, in Gallia, sub Senonensi Archiepiscopo.

S. ADEODATVS, Gallus, Monachus, & Abbas Vallis Galileæ in Gallia, ac deinde Niuernensis Episcopus, magnatũ uirtutum uir, & obseruantiæ Monasticæ inuiolabilis cultor. Miraculis clarus obiit die 19. Iunii. *Trittemius de uir. ill. Ord. S. Ben. lib. 3. c. 304.*

D. Nothrannus, Monachus, & Abbas cœnobii Sancti Petri Vici Senonensis, Episcopus creatus circa annum Christi 1300. & completis in Episcopatu annis aliquot laudabiliter, diem clausit: *Demochares de sacrific. Missæ, tomo 2. cap. 19.*

Nouiomenses, & Tornacenses simul, in Belgio, sub Rhemensi Archiepiscopo.

19 S. ACARIVS, siue Archarius, Monachus Monast. Luxouiensis in Burgundia, Episcopus Nouiomensis nonusdecimus creatus est anno 633. præfuitque in omni sanctitate annis 14. & miraculorum gloria clarus, migrauit ab hac luce anno 647. 5. calend. Decembris. *Jonas in uita S. Eustasii Abbatis, apud Surium, to. 2.*

20 S. Eligius, Gallus, aurifaber, & postmodum, Monachus, & Abbas Monasterii Solemniaci, deinde S. Acharii in Episcopatu successor, creatus anno Domini 648. uel 649. sui muneris minimè oblitus, continuis prædicationibus populum sibi commissum pauit, & multos à uia ueritatis errantibus, in Flandria Occidẽtali maximè, ad semitam iustitiæ reduxit: sedit annos plus minus 16. uel 17. & Sanctorum cœtui coniungendus obiit anno 665. ipsis calendis Decembris. *Sigebertus in chronico; supplementum Chronicorum, libr. 10. & alij plures.* Scripsit ad clerum, sacrã plebem, & pœnitentes, homilias 16. quæ excusæ sunt in appendice ad Bibliothecam SS. Patrum.

21 S. Mummolenus, siue Mommolenus, Monachus Luxouiensis, & S. Audomari discipulus, Episcopus in locum S. Eligii renunciatus est anno Christi 666. siue 664. & secundum hanc ultimam opinionem præfuit annis 26. obiitque plenus dierum anno 691. die 17. cal. Nouemb. *Tritt. libr. 4. cap. 161. & alij.*

41 D. Galbertus, siue Vuaberthus, Monachus Corbeiæ Gallicæ,

Epi-

Episcopale munus assumpsit anno 932. præfuit annis tribus tantum; & moriens an. 934. sepultus est in dextra parte Ecclesiæ Nouiomensis. *Democh. de sacrific. Missæ, to. 2. c. 15.*

42 D. Transmarus, Monachus Monasterii S. Vedasti in ciuitate Attrebatensi, in locum Galberti suffectus, præfuit annis plus minus 12. obiit anno 946. Nouiomi sepultus. *Democh. ibidem; & Belforestius in catalogo Episcoporum Nouiomensium.*

44 D. Fulcharus, siue Fulcherus, Monachus Monasterii S. Medardi Suessionensis, de quo multa non bona narrantur, uir ambitiosus, uia indirecta Episcopatum adeptus, mense 18. administrationis suæ, morbo pediculari consumptus, magnum exemplum puniti ambitus posteris reliquit. Obiit anno Domini 952. *Democh., & Belforestius, ibidem.*

Nouiomenses proprij solum, sub Rhemensi Archiepiscopo.

55 D. BALDVINVS, Monachus, & Abbas Castellionis in Gallia, Episcopus Nouiomensis secundus proprius, creatus est anno Domini 1148. præfuit annis plus minus 18. Obiitque, ut colligere licet, anno 1166. sepultus in Ecclesia B. Mariæ uirginis de Vrsicampo, à prædecessore suo fundata. *Belforestius loco citato, & Robertus in chron. ad annum 1148.*

Noruuicenses in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

14 D. N. Monachus, & Prior Eliensis Monasterii, Gulielmo de Luda, Episcopo Eliensi ab hac luce subtracto, à maiori parte Capituli electus est in eius locum qui succederet, ab aliis uerò Ioannes de Langtona Regis Cancellarius: causâ electionis coram summo Pontifice producta, irritatus Pontifex de improbitate Monachorũ, neminem alium præter Priorem suum eligere uolentium, Episcopum Noruuicensem in sedem Eliensem transtulit, & hunc Priorem Eliensem in sedem Noruuicensem confirmauit, ann. Domini 1298. *Matthæus Vvestmon. ad annum 1298.*

D. Alexander, Monachus & Prior Monasterii Noruuicensis, uir pius & doctus, unanimi consensu, post Henricum de Spencer, electus est Episcopus Noruuicensis, anno Domini 1406. circa mensem Nouembrem, qui & Monachi suo tempore consummauit officium, & pontificale non neglexit debitum. *Thomas Vualsingam in hist. breui, ad annum 1406.*

Episcopatus de Littera. O.

Cap. XLIX.

Osnabrugenses, in Germania, sub Colonienſi Archiepiſcopo.

D. 19 MARQVARDVS, Monachus & Abbas, Monaſterij Sancti Viti Corbeiæ Saxonicæ, anno Domini 1087. decimuſnonus Episcopus Oſnabrugenſis creatus, præfuit difficillimis temporibus annis ſex; quibus uix completis, ab adminiſtratione remotus, (cauſa putatur, quod apertè nimis ſe Imperatori libertatem eccleſiaſticam oppugnanti, opponeret, & partes Pontificis Romani coram tueretur) ad Monaſterium reuerſus, in pace uitam finijt. *Crantzius metrop. libro 5. cap. 36.*

Oxomenses in Hiſpania, ſub Toletano Archiepiſcopo.

S. AETHERIVS, Hiſpanus, & Monachus in Hiſpania, & deinde ob inſignem & doctrinam, & ſanctitatem Episcopus Oxomenſis, ſiue Vxamenſis renunciatus: hæreticorum ſui temporis opiniones malleo uerbi diuini, fortiſſimè contudit, ut eius ſcripta teſtantur. Vixit anno Domini 790. *Morales, lib. 13. c. 26. 27. & alij.*

Episcopatus de litera P.

Cap. L.

Padeburnenses in Germania, ſub Moguntino Archiepiſcopo.

D. 11 VDOLPHVS, ſiue ut Trittemius habet Rotho, ſeu Pnotho, Monachus, & Abbas Hirſfeldenſis, in tractu Moguntino, uir doctrina, & religione præcipuus, eccleſiæ Padebornenſi præfectus anno Domini 1039. præfuit annis 13. qui quantum honore adminiſtrationis cunctos præibat, tantum uirtute præſtabat, & eruditione. Obijt anno a Chriſto nato 1052. *Trittemius lib. 4. c. 215. & Crantzius metrop. libr. 4. cap. 15. & Democharis de ſacrif. Miſſæ, Tomo 2. c. 35.*

Domnus Bernardus Monachus & Abbas S. Viti Corbeiæ Saxonicæ, uir non minus religione, quam ſanguinis nobilitate clarus, Padebornenſem quidem Cathedram aſcendit, ſed quo tempore, cum

Trit-

Trittemius non explicet, definire non audeo. Quinque enim huius nominis Bernardi, huic sedi præfuisse apud Crantzium lego, sed quis eorum quinque fuerit iste Bernardus nō refert: ideoque coniectura explicare nolo, quod ab auctoribus non proditur. *Trittemius, lib. 4. c. 257.*

28 Domnus Henricus Spegel, Monachus, & Abbas Corbeiæ Saxonicæ, factus est Episcopus Padeburnensis anno Domini 1360. Vir fuit satis seuerus, iustitiæ & ueritatis tenax, & inimicis durus. Pacem super omnia inter subditos uolebat. Præfuit laudabiliter satis annis octodecim, obiitque anno Christi 1378. *Trittemius lib. 4. cap. 266. Crantzius, libro 9. cap. 44. metrop. & Demochares, To. 2. c. 35.*

Parentini in Istria, sub Patriarchatu Aquilegiensi.

D. Bertholdus, Monachus & Abbas S. Anastasij de Parentio, quod nunc S. Nicolai uocatur, circa annum Domini 1114. factus est Episcopus Parentinus, ut colligitur ex quodam priuilegio ab ipso Monachis S. Nicolai de Littore cōcesso, ubi sic loquitur: Sic tradimus hāc suprascriptam ecclesiam S. Anastasij, quæ etiam olim Abbatia nostra fuit positam in Insula ante Parentinam ciuitatem. *Ex archiuio S. Nicolai de Littore.*

Parisienses in Francia, sub Senonensi Archiepiscopo.

19 S. Germanvs, Gallus, Monachus, & Abbas Sancti Synphoriani in Gallia, ob incredibilem eruditionem, & sanctitatem eximiam, Parisiensibus Pastor datus, officium sibi cōmissum diligenter expleuit; in tantū ut inter Sanctos connumerari meruerit. Obiit anno Domini 578. die quinto calēdas Iunij. *Fortunatus Episcopus in eius uita apud Surium, Tom. 3.*

26 Domnus Aegelbertus, siue Egilbertus Monachus in Gallia, uir doctus, & religiosus, cum Episcopalem sedem Dorcaestrensem, annis decem summa uigilantia gubernasset, quorundam iniurijs lacessitus, cathedram & regnum Angliæ reliquit; & in Ecclesia Parisiensi Episcopus constitutus anno Domini 661. non minori uigilātia, hanc quam priorem sedem administrauit. *Trittemius lib. 4. c. 142.*

48 D. Goslinus, siue Gorlinus, Monachus, & Abbas S. Dionysij Parisijs, uir doctus, & multæ apud Regem æstimationis, ad Pontificatum Parisiensem assumptus anno 885. suo munere egregiè functus est. Suo tempore Abbatiæ S. Germani, & S. Genouefæ ab hostibus igne consumptæ sunt. Obiit circa annum Domini 900. *Belforestius in Catalogo Abbatum S. Dionysij.*

68 D. Theobaldus, monachus Cluniacensis, & Prior S. Martini de

de Campis, uir, ut ait Chronicon Cluniacense illustris, & magnus Monachus, uirtutibus plenus, meritis promoueri ad Episcopalē Parisiorū dignitatē meruit. De quo extant Epistolæ ad Petrum olim Abbatem suum Cluniacensem: & ipsius Petri ad eundem; de quibus habentur in 10. libro epistolarum ipsius Petri. Floruit ab anno Domini 1130. ad 1150. *Chron. Cluniacense. MS.*

Patauienses in Germania, sub Saltzburgensi Archiepiscopo.

D. ALEMANNVS, monachus monasterij Sancti Ioannis Magdeburgensis, uir eruditione & doctrina clarus, ad Episcopatum electus, in omni religiositate uitam duxit, & quātum fuerit in utraque pagina uersatus, docent monimenta, quæ posteris reliquit. *Trittemius, lib. 4. c. 241.*

Pictauienses in Aquitania, sub Burdegalensi Archiepiscopo.

48 D. EBROINVS, Monachus, & Abbas S. Germani de Pratis Parisijs, ad Pictauiensem cathedram assumptus, tempore Ludouici Pij Imperatoris, annis aliquot cum strenuè eandem gubernasset, migrauit anno 858. *Belforestius in Cosmographia sua.*

D. IOANNES de Montelambert, Monachus, & Prior S. Martini de Campis, idem onus sustinuit aliquot lustris; & cum honore ab hac luce subtractus est; sed quo floruerit tempore mihi incertum. *Belforestius in catalogo Priorum S. Martini, in Cosmographia sua.*

Placentini in Hispania, sub Compostellano Archiepiscopo.

D. PETRVS Poncius, Hispanus, Monachus Ordinis S. Benedicti in Hispania, sed cuius monasterij non refertur à Morale, qui de eius laudibus in descriptione Hispaniæ suæ multa narrat, & cui iam Episcopo Sancti Eulogii opera dedicauit, ob incredibilem sapientiā suam ad fastigium Pontificatus eleuatus, mirabili quodam artificio doctrinæ suæ arcana omnibus nota esse uoluit. Duos enim fratres Germanos & sororem Contestabilis Hispaniæ, ab infantia mutos, noua quadam sapientiæ adinuentione, & arte prorsus inaudita, perfecta tamen, ad plenum uerba proferre, perfecteque loqui docuit, ita ut de illo dici possit illud Sapientis, *Sapientia aperuit os mutum.* Quō verò id factum sit ipse Ambrosius Morales in descriptione Hispaniæ suæ, sequētib. uerbis Hispanicis edocet. Ea aūt ideo à nobis ēt Hispanicè inserta sunt, ut lectori manifestū fiat, nulla nostra hic esse, sed omnia vt vidimus, uel legimus appositisse. Sic igitur loquitur.

El otro insigne Espannol de ingenio peregrino, y de industria increybile, sino la uuieramas uisto, es el que ha ensennado a hablar los mudos, con arte perfecta, que el ha inuentado. Y es el Padre Fray

Pe-

Pedro Ponce monje de la Orden de S.Benito, que ha moſtrado a hablar a dos hermanos y una hermana del Condeſtable,mudos.Y agora mueſtra a un hijo del juſticia de Aragon. y para que la marauilla ſea mayor,quedanſe con la ſordedad profondiſſima,que les cauſa el no hablar. Aſſi ſe les habla por ſennas, o ſe les eſcriue,y ellos reſponden luego de palabra, y tambien eſcriuen muy concertadamente una carta,y qualquier coſa. Vno de los hermanos del Cõdeſtable, ſe llamo Dõ Pedro de Velaſco,que aya gloria.Biuio pero mas de ueynte annos,y en eſta edad fue eſpanto lo que aprendio;pues de mas del Caſtellano,hablaua y eſcreuia el latin caſi ſin ſoleciſmo,y algonas uezes con elegancia:y eſcreuia tambien con caracteres Griegos. *Hæc Morales*. Floruit iſte Petrus tempore Caroli quinti Imperatoris, & Philippi II. Regis Hiſpaniarum; quando tamen obierit reſcire nondum potui. *Ambroſius de moralibus loco ſupracitato de Monachatu; & in epiſtola dedicatoria operũ Diui Eulogij ad eundẽ, de Epiſcopatu.*

Polycaſtrenſes in Apulia, ſub Salernitano Archiepiſcopo.

S. Petrvs, Salernitanus, Monachus, & Abbas tertius monaſterii Sanctæ Trinitatis Cauæ,antequam Abbas efficeretur,petente Clero,& Principe Giſulpho, Epiſcopus Polycaſtrenſis conſecratus eſt, quo in uitæ genere talem ſe exhibuit ut ab omnibus amaretur. ſed cum perpenderet culpę Paſtoris attribui,quicquid ab ouibus deliquitur, honori & oneri cædens ad Monaſterium ſuum reuerſus eſt, in quo quaſi unus ex fratribus humillimè conuerſatus, dignus habitus eſt q. Leoni abdicanti ſuccederet anno 1080.Obiit anno 1120. quarto nonas Martii miraculis clarus.*Ioãnes Abbas in eius uita, apud Surium Tomo 2. & Tabulæ Cauenſes.*

Pompelonenſes in Nauarra, ſub Cæſar Auguſtano Archiepiſcopo.

D. Sanctivs Hiſpanus,monachus & Abbas Leirenſis,deinde Põpelonenſis Epiſcopus creatus anno Dom. 1032. ſtrenuè annis multis officio ſuo functus, ſapientiæ laude clarus obijt. *Ioannes Mariana in Annal. Hiſp. lib. 8. c. 14.*

D. Ramirus, Aragoniæ Regis filius, monachus S. Pontii Tomerii,ex Burgenſi,Epiſcopus Pompelonenſis factus, tranſijt deinde ad ſedem Barbaſtrenſem.*Idem Mariana, lib. 10. c. 15.*

Pragenſes in Boiemia, ſub Moguntino Archiepiſcopo.

1 D. Dethmarvs, Saxo, monachus Magdeburgenſis, deinde omnium acclamatione primus Pragenſis Epiſcopus in Boiemia, electus, & a Boleslao Rege confirmatus, conſecrationem accepit ab Archiepiſcopo Moguntino: Vir fuit integerrimus, & ſui gregis

cu-

custos vigilantissimus. Obiit anno Domini 981. *Ioannes Dubrauius in Hist. Boiem. lib. 6.*

2 S. Adalbertus, Boiemus, Voytichius ante uocatus, Slauonici, siue Sclauici, Libecensis Comitis filius, monachus primum Magdeburgensis, deinde Dethmaro mortuo, Pragẽsis Episcopus a Boleslao Principe, uolens nolens renunciatus, multa aduersa in episcopatu sustinuit; vnde quorundam æmulorum suorum inuidia pulsus, per annos septem monachus, sub Leone Abbate, in monasterio S. Alexii, siue S. Bonifacii Romæ, uixit: sed inde tandem reuocatus, & sedi restitutus suæ, cum Prussis Euangelium prædicaret, ab ijs martyrio coronatus est anno 997. regiminis assumpti sextodecimo, die nono cal. Maij. *Idem Dubrauius lib. 6. Trittemius, lib. 4. cap. 206. & alij.*

3 D. Strachiquas, Boiemus, Boleslai sæui Boiemiæ Principis filius, monachus monasterii S. Emerani Ratisponæ; deinde Pragensem ecclesiam, ut regeret a S. Adalberto rogatus, primum recusat, pietatis & religionis, ut dicebat, causa; Sed cum eodem sancto exulante hác postmodum dignitatem ambiens, sui voti compos factus fuisset; in ipsa consecratione sua a Diabolo arreptus, tamdiu ab eo concussus est, donec animam exhalaret: quod factum eidem a S. Adalberto prænunciatum fuerat. Vixit anno Domini 984. *Idem Dubrauius ibidem. Aeneas Siluius in hist. Boiem. cap. 16. & alij.*

4 D. Thiedagus, siue Theodatus, Saxo, monachus S. Viti, Corbeiæ Saxonicæ, & Othonis Imperatoris a sacris, & ab epistolis, Hemmæ Boleslai Principis uxore procurante, quæ uiri doctrinam, & morum grauitatem nouerat, Adalbetto successor datus anno 997. præfuit strenuissimè annis plus minus 33. & tandem Regi, & populo suo carus obiit anno 1030. *Trittemius, lib. 4. cap. 109. & alij.*

5 D. Exardus, siue Helichardus, Saxo, monachus & Abbas monasterii Nouæ Ciuitatis, & deinde post Thiedagum Episcopus Pragensis quintus, scientia, & religione, quibus non mediocriter effulgebat, populum suum laudabiliter rexit, Fratresque Principes inter se discordes, sua oratione & humilitate, ad concordiam attraxit. Floruit anno Domini 1040. *Tritemius, lib. 4. cap. 112. & alij.*

Episco-

Episcopatus de littera Q.
Cap. LI.

Quinque Ecclesienses in Hungaria, sub Stridonienſi Archiepiſcopo.

S. MAVRVS, Monachus monasterij S. Martini in monte Pannoniæ, uir humilitate & patiẽtia maximus, & castitate puriſſimus, à Stephano primo Hũgariæ Rege, qui uirtutũ ſuarum periculũ fecerat, Eccleſię Quinqueeccleſienſi p̃poſitus circa annum Domini 1003. eam, quam in monaſterio caſtitatem coluerat, in Epiſcopatu conſeruare ſtuduit; & tandẽ bonorum operum odore repletus in pace obdormiuit. *Antonius Bonfinius rerum Hungaricarum, decadis. 2. lib. 1. circa medium.* Scripſit de uita SS. Zoerardi, & Benedicti, monachorum, lib. 1. qui eſt apud Surium Tom. 3. 1. Maij.

Episcopatus de littera R.
Cap. LII.

Ratiſponenſes in Bauaria, olim ſub Saltzburgenſi Archiepiſcopo. nunc uerò exempti.

S. 1 GAIBALDVS, ſiue Gouuibaldus, monachus, & diſcipulus S. Bonifacii epiſcopi & martyris, anno circiter 760. Ratiſponenſi Eccleſiæ Prælatus, primus in illa prouincia Epiſcopus agnitus eſt, quam doctrina, ſanctitate, & aſſiduis concionibus non parum illuſtrauit, multosque ad Chriſti fidem adduxit. Migrauit miracula operans circa annum Domini 780. *Trittemius lib. 4. cap. 220.*

3 S. Vuolfgangus, monachus Augienſis, ſiue Treuirenſis, Epiſcopus Ratisponenſis creatus, officium ſuum ſedulo & ſanctiſſimè multis annis executus eſt: Excelluit enim uita & doctrina, ac multis miraculis tempore Otonis II. Imper. Poſtremo in bona ſenectute, correptus febri anno 994. uel 999. piè mortuus eſt pridie calendas Nouembris, Ratisponæ in maiori templo ſepultus. *Trittemius lib. 4. cap. 223. & alij.*

D. Guntherus, monachus cœnobii S. Emerani Ratiſponæ, & eiuſdem poſtea ciuitatis Epiſcopus, uir tãto dignus officio, annis aliquot

eccleſiam

ecclesiam sibi commissam, verbo, & exemplo mirabiliter iuuit. Tem pus quo floruit me latet. *Trittemius, lib. 4. cap. 243.*

S. Putho, siue Tuto, Monachus Monasterij S. Emerani, quod est in Ratispona, ob morum integritatem, & sapientiæ doctrinam, ciuitatis suæ Episcopus renũciatus, ita se gessit in opere, vt dignus fuerit catalogo Sanctorum adscribi. *Trittemius, lib. 4. c. 260.*

D. Cuno, monachus, & Abbas monasterij Sigebergensis, iuxta Coloniam, Ruperto Abbati Tuitiensi admodum familiaris, ut eius libri diuinorum officiorum, & alii nonnulli testantur, qui huic Cunoni sunt dedicati, religione, & doctrina sedem Episcopalẽ ad quã assumptus est anno 1126. dignè exornauit, & quibusdam sapientię suæ monimentis relictis, in pace quieuit. Floruit anno Domin. 1130. *Trittemius, libr. 4. cap. 261. & Dodechinus in appendice ad Marianum Scotum, ad annum 1126.*

D. Bruno, Monachus, & Abbas monasterii Salzburgensis, ut puto, S. Petri, & deinde Ratisponensis Episcopus, dignum se Pontifica tu operibus ostendens, venerabilem se populis suis reddidit, Deoque, & ouibus suis carus, obdormiuit in Christo. *Tritt. lib. 4. c. 267.*

Rauellenses in Apulia, sub Salernitano Archiepiscopo.

D. Flavius, Ferrariensis, Monachus monasterii Casinensis, Græca, & Latina lingua valde instructus, & à Papa Iulio III. plurimum dilectus, à quo tandem Episcopus Rauellensis creatus, munus sibi iniunctum laudabiliter impleuit. Floruit anno 1553. *Placidus Romanus in suppl. ill. uir. montis Casini MS.*

Rhedonenses in Britannia minori, sub Turonensi Archiepiscopo.

D. Stephanus, Monachus, & Abbas monasterii S. Florentii, ann. 1157. Eps factus præfuit annis 21. Obiitque anno 1178. *Demochares de sacrific. Missæ, to. 2. c. 23. & Robertus in Chro. ad an. 1157.*

Roffenses in Anglia, sub Cantuariensi Archiepiscopo.

1 S. Iustus, Romanus patria, & professione Monachus, anno Domini sexcentesimo quarto, à S. Augustino, Anglorum Apostolo primus ordinatus Episcopus in ciuitate Hrofensi, siue Roffensi (quę à quodam primario nomine Rof, Rofeceastria, id est ciuitas Rof dicebatur) in Ecclesia S. Andreæ Apostoli sedem suam posuit, cui insedit per annos plus minus 21. vsque ad annum 625. quo trãslatus est ad Ecclesiam Cantuariensem. *Trittemius, lib. 4. c. 51. & alij.*

2 Domnus Comanus, siue Romanus, Monachus S. Gregorii Papę in urbe Roma, S. Iusto ad Cantuariensem transeunte anno 625. Roffensem Ecclesiam gubernandam suscepit, quam cum annis ferè

no-

nouem administrasset,& populum suum continuis pauisset concionibus,obdormiuit in Domino an.633.uel 632.*Trittemius,li.4.c.143.*

3 S. Paulinus,monachus & ipse Romanus,cũ anno 634. ob mortem Eduuini Northũbriæ Regis, à sede sua Eboracensi pulsus fuisset, & Ecclesia Roffensis iam duobus ferè annis pastore caruisset,inuitatione Honorii Archiepiscopi, & Eadbaldi Cantiæ Regis, Roffensem Ecclesiam regendam humiliter suscepit eamque sedem tenuit usque dum ipse ad cœlestia regna conscendit:ubi etiam moriẽs anno Domini 654.regiminis Roffensis anno 19.mense 2.die 21.pallium quod à Romano Pontifice susceperat, reliquit. *Beda,libr.2.c.3. & 14.Trittemius,lib.4.c.53. & alij.*

4 D.Ithamar Anglus, & Monachus in Anglia, S. Paulino an.654. suffectus, & ab Honorio Archiepiscopo consecratus, annis plus minus 17. Ecclesiam suam strenuè gubernauit: obiit circa annum Domini 671.*Trittemius,libro 4.cap.146.*

7 D.Tobias, Monachus monasterii Sanctorum Petri, & Pauli in Anglia, uir doctrina & religione clarus, & trium linguarum, latina scilicet, græca, & Saxonica, cognitione peritus,Pontificii honore refulsit annis plus minus 29. creatus enim anno 693. obiit anno 722. *Trittemius,lib.4.c.171.*

17 D. Vualterus, monachus,& Prior Monasterii Dorobernensis, siue Cantuariæ,creatus est Episcopus in locum Ascelini anno Domini 1146. peruenitque,ut uidetur,usque ad annum Domin.1170.uel circa. *Matthęus Vvestmon.ad annos 1146.& 1161.*

24 D. N. monachus monasterii Roffensis, Vualtero de Marton Episcopo an. 1278.defuncto,in Episcopali dignitate succedens,pluribus annis laudabiliter oues sibi creditas gubernauit: quando tamẽ obierit incertum. *Matthæus ad annum 1278.*

27 D. Ioannes de Shepey, monachus & Prior Roffensis, resignante Haymone Episcopo in manus Papæ spontè,ab eodem promotus est in Præsulem Roffensem anno Christi 1352. cuius tempore incepit magna caritas oĩum rerum uenalium:& cũ aliquot annis vtiliter satis præfuisset,obiit.*Thom.de Vvalsingham in hist.breui,ad an.1352.*

Rotę, & Barbastri in Hispania.

D. Ramirvs, Aragoniæ Regis filius, Monachus S. Pontii de Tomeriis ad Iauri fluminis ripas territorii Narbonensis, & Abbas S. Facundi,ex Burgensi primum,deinde Pompelonensi sedibus, Rotæ, & Barbastri Epus assumptus, ex hac tandem ad regnum ascendit anno Domini 1134.*Ioannes Mariana,lib.10.c.5.Annal.Hisp.*

Episco-

Episcopatus de litera S.

Cap. LIII.

Sagienses in Normandia, sub Rothomagensi Archiepiscopo.

S. 11 ADELINVS, seu Adelinus monachus S. Carilephi in Gallia, siue Treuerensis, & post Sagiensis Eps, ingenii sui monimenta nonnulla posteris reliquit, & inter illa uitam S. Oportunę Abbatissæ, quæ est tomo 2. Surii. Floruit anno Domini 870. *Ipse in uita S. Oportunæ apud Sur. to. 2.*

Saliocenses.

1 D. PAVLVS, monachus, & Abbas monasterii Saliocensis, deinde eiusdem etiam ciuitatis Episcopus primus, postquam aliquot annos super gregem suum cautè inuigilasset, ex hac uita migrauit, de nomine suo Episcopatui nomen relinquens, qui exinde Paulensis dictus est. *Belforestius in sua Cosmogr. tom. 1. fol. 139.*

Saltzburgenses, siue Iuuauienses in Bauaria, nunc sunt Archiepiscopi.

1 S. RVPERTVS, ex Regali Francorum Regum progenie ortus Vvormatiensis Episcopus octauus, de sede sua à quodam tyranno deturbatus, Bauariam verbum Dei prædicaturus adiens, à Theodone Rege humaniter susceptus, eodem cooperante, quem iam salutari abluerat lauachro, Iuuauiæ Sancti Petri sibi & fratribus monasterium statuit, in quo uitam monasticam ducēs, eis pro Abbate fuit annis duobus; deinde Episcopus primus Salisburgensis, siue Iuuauiensis creatus ann. Domini 579. uel 581. ut alii uolunt, præfuit monasterio, & Episcopatui aliis annis 44. continuè prædicando sacras literas explicans; Obiit plenus dierum anno Domini 623. die 27. Aprilis, & in Ecclesia monasterii sui S. Petri sepultus est. *F. Petrus Cratepolius de Episcopis Germaniæ, & alij nonnulli.*

2 S. Vitalis, monachus, & Abbas monasterii S. Petri de Salisburgo, uitæ sanctitate, ac doctrina clarus, S. Ruperto magistro suo in regimine Episcopatus succedens, præfuit annis 23. & obiit anno 646. *Belforestius in catalogo Episcoporum Saltzburgensium, in cosmogr. sua; & Democharis de sacrific. Missę, tom. 2. cap. 40.*

3 D. Ansologus, monachus, & Abbas S. Petri, & post tertius Iuuauiensis Præsul, populum suum gubernauit annis 20. & moriens anno 666. in suo monasterio sepultus est. *Democharis ibidem, & Belforestius.*

D. Sa-

4 D. Sauolus, siue Samolus, monachus, & Abbas S. Petri; quarto loco creatus Episcopus sedit annos 14. & in eodem suo cœnobio inhumatus est anno Christi 680. *Auctores ijdem.*

5 D. Ezius, monachus, & Abbas S. Petri Saltzburgensi Ecclesiæ præfuit annis 23. Obiit anno 703. in Sancto Petro conditus. *Auctores qui supra.*

6 D. Florbargisus, monachus, & Abbas S. Petri, & sextus Saltzburgensis Episcopus, Ecclesiam suam rexit annis 37. Migrauit ab hac luce, anno Domini 740. in monasterio Sancti Petri tumulatus. *Demochares, & Belforestius.*

7 S. Ioannes, Anglus, monachus Vvintschelensis in Anglia, discipulus S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, uir morum sanctitate, & eruditione insignis creatus est septimus Saltzburgensis Episcopus anno 740. & annis 14. in omni sanctitate præfuit. Obiit an. 754. *Hunc Trittemius, lib. 4. c. 105. primum Archiepiscopum Saltzburgensem agnoscit, uti in Archiepiscopis notauimus.*

9 D. Bertricus, monachus, & Abbas monasterii S. Petri, in locum S. Virgilii Episcopi, anno 784. nonus Episcopus Saltzburgensis electus, sequenti anno uiam patrum suorum ingressus est. *Democharis, & Belforestius.*

Sanctonenses, siue Xanctonenses, in Aquitania, sub Burdegalensi Archiepiscopo.

24 S. Godranvs, siue Goderannus, monachus monasterii Cluniacensis, & primus Abbas Malleacensis, deinde Sanctonensis Episcopus 24. creatus anno 1069. de cuius sanctitate multa miranda narrantur, inter quę illud est, quod cum quadam uice S. Hugo Abbas Cluniacensis, cuidam leproso, à communione cæterorum hominum corporaliter subtracto, sacram Eucharistiam porrexisset, ille tumentibus labris & ulceroso ore, corpus Domini indignè masticans, importuna sternutatione reiecit, sequente nimirum nausea & spuma horribili. Christi uerò miles Goderannus, qui aderat, Domini sui sacramenta indignè conspiciens agitari, quod diligebat celeri collegit obsequio; uir enim magnanimus manus utrasque supponēs uiuificis sacramentis, in ore suo proiecit, & uomitum magnifætentis ægri, læthalibus coleris cohærentibus, fideliter absorbuit. Qua in re magister pius S. Hugo stupefactus, & discipuli sui perfectione attonitus, Laurentii craticulam tollerabiliorem fuisse indubitanter asseruit. Obiit uir sanctus anno Dom. 1075. regiminis sui septimo. *Trittemius, lib. 4. c. 248. chron. Clunic. & alij.*

27 D. Petrus, monachus, & Prior Subizienſis, Epiſcopus 27. renunciatus anno Chriſti 1088. præfuit annis octo. migrauit à ſæculo anno 1095. *Democh ares de ſacrific. Miſſe, to. 2. c. 26.*

32 D. Bernardus, Monachus & prior de Sabloncellis in Gallia, paſtorali infula ornatus legitur anno 1167. quo tamen obierit tempore, uel quantum præfuerit incertum. *Democh ares ibidem.*

Sardorum, ſub Calaritano Archiepiſcopo.

S. Benedictvs, Monachus monaſterii Caſinenſis, uir doctus, & ſanctus, de cuius miraculis librum unum ſe ſcripſiſſe refert Petrus Diaconus, ab Vrbano Papa II. circa annum Domini 1090. Epiſcopus Sardorum creatus, in ſanctitate uitam finiuit, die decimotertio calendas Martii. *Petrus Diaconus de Sanctis mont. Caſin. cap. 36. & lib. 4. hiſt. Caſ. cap. 7.*

D. Homodei, monachus Caſinenſis.

D. Albertus, monachus Caſinenſis. Hi duo ad Calliſto Papa II. circa annum Domini 1122. Epiſcopi ordinati, & in Sardiniam Inſulam miſſi ſunt. *Petrus Diaconus, lib. 4 hiſt. Caſinenſis, cap. 82.*

Schireburnenſes, ſiue Saresburienſes, in Anglia, ſub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

1 S. Aedelmvs; Adelmus, ſiue Aedhelmus, uel Anthelmus: tot enim modis in diuerſis, diuersè ſcriptus reperitur, Bladuinus, monachus Meldunẽſis, & Abbas, quod cœnobium nunc Malmesburienſe uocatur; Sancto Heddi, quinto Epiſcopo Dorcaceſtrenſi ad patres adpoſito, & ſede illa, partes in duas ſciſſa; primus Schireburnenſis, quæ modo Saresburia, Epiſcopus creatus eſt ann. Dom. 704. Vir fuit omni ſanctitate repletus, & doctrinæ laude inſignis, atque tam liberalium, quàm eccleſiaſticarum rerum eruditione mirandus. Præfuit Eccleſiæ ſuæ annis quatuor, & uitã uniuerſæ carnis ingreſſus eſt ann. Chriſti 709. die 8. calen. Iunii, *Beda, lib. 5. cap. 19. Matthæus Weſtmon. ad annos præfatos. Trittemius, libr. 4. cap. 175. & alij plures.* Scripſit tam carmine, quàm proſa.

De celebratione Paſchæ, lib. 1.

De uirginitatis laudibus metro. libr. 2. qui excuſi ſunt Baſileæ inter monumenta Orthodoxographorum Patrum, & Pariſiis, in folio, tomo 8.

Bibliothecæ SS. Patrum.

Aenigmata carmine, excuſa Baſileæ, anno 1557.

Epiſtolas plures ad diuerſos, lib. 1. Et alia nonnulla, quæ ad manus meas non peruenerunt.

Sco-

Scotorum, incertæ sedis.

S. VVIRO, Scotus, monachus primum in Anglia, deinde Episcopus in Scotia, suam functionem sanctissimè obiuit; sed aliquot post annos, populi durę ceruicis obstinatione, ut putatur irritatus, in Frā ciam transmittens, propter|uitæ sanctitatem dignus habitus est, qui Pipino Duci à sacris cōfessionibus eligatur, cuius ope monasterium Sanctæ Matiæ in monte Petri, quod nunc S. Odiliæ vocabulū retinet, non longè à ciuitate Ruremundensi exstrui curauit, ubi reliquū ætatis suę sanctissimè transigens piè moritur, 8. Idus Maij. Floruit anno Domini 700. *Trittemius, lib. 3. c. 263. & alij.*

D. N. Monachus monasterij Furnesii in Anglia, uir astutus multum & vafer, circa annum Domini 1150. Episcopus Insularum Scotiæ renunciatus cum dexteritate maxima populum suum gubernauit. *Gulielmus Neubrigensis rerum Anglicarum, lib. 1. cap. 24.*

Sedunenses in Valesia, sub Tarantasiensi Archiepiscopo.

D. EDOARDVS, Philippi, Pedemontium Achaiæ, & Moreæ Principis filius, monachus Ordinis S. Benedicti, & Burgeri Prior, tū Secusiæ Abbas, demum Sedunensis Episcopus, postremo Bellicensis, & Tharantasiensis, ac S. R. E. Cardinalis, ut suis locis annotabitur. *Philibertus Pingonius in Arbore Sabaudica, gradu 22.*

Senogallienses in Marchia Anconitana.

D. TRASMVNDVS, Monachus monasterij S. Crucis de Auellana, Congregationis Columbæ, & deinde Episcopus Senogalliæ. *Aug. Flor. parte 2. lib. 5. cap. 16.*

Seleseienses, siue Cicestrenses, in Anglia, sub Cantuarien si Archiepiscopo.

1 D. EADBERTVS, seu Edbrechtus, Monachus & Abbas Monasterii Selesciæ, quod olim constructum fuerat à Sancto Vvilfrido Episcopo, decreto Synodalis Concilij anno 711. in prouincia Australium Saxonum celebrati, constitutus est primus Selesciensis, siue Ciceſtrē sis Episcopus: quo in honore cum annis aliquot permansisset, Cellā habuit successorem. *Matthæus Vvestmonasterien. ad annum 711. Trittemius, lib. 4. cap. 177.*

8 D. Aethelgarus, monachus, & Abbas Monasterij Noui Vvintonien sis, uir pius, & doctus, creatus anno 988. post annum sessionis suæ duodecimum ad Cantuarien sem sedem migrauit. *Matthæus ad annum 988.*

17 D. Sigefridus, monachus, & Abbas Glastoniēsis, creatus est Epi

scopus Ciceſtrenſis,ſeu Seleſcienſis, anno 1125. ſed quo anno obierit non refertur. *Matthæus ad annum* 1125.

21 D. Ranulphus, monachus, & Prior Noruuicenſis, Epiſcopus creatus eſt anno Chriſti 1218. præfuit annis plus minus 5. Obiit anno 1222. *Matthæus ad annos illos.*

Signienſes in Campania, exempti.

1 S. Bruno, ſiue Brunus,Ligur,ex illuſtri Aſtenſium ſanguine,Epiſcopus primum Signienſis factus, aliquot poſt annos Epiſcopatum reſignans, in monaſterio Caſinenſi monachum induit, ubi tandem Abbas in ordine 40. renunciatus eſt, & eo munere functus eſt annis 3.& mẽſibus 10. Quibus finitis à Paſchale Papa II. abdicare coactus, ad epiſcopatum ſuum reuerſus, & anno Domini 1111. ibidem in pace uitam finiuit, vltimo Auguſti. *Petrus Diaconus, libro 4. Hiſt.Caſin. c.44. & alibi ſæpius.*

Siracuſani in Sicilia, ſub Metropolitano montis Regalis.

74 D.Thomas,Epiſcopus,Ciuis Catanẽſis,Siculus, monachus Ordinis S.Benedicti,& Sacrę Theologię,& Decretorum Doctor peritiſſimus.Hic dũ viſitaret Diœceſim Erachię à Saracenis captus,eccleſię ſuæ impenſis redemptus eſt. Sedit annis 29. & demum Cataneæ obiit anno 1416.*D.Ignatius Zamparanus, Monachus S. Martini de Scalis,& R. P.Octauius Caietanus Siracuſius Societatis Ieſu Theologus, in catalogo Epiſcoporum Siracuſanorum ad nos tranſmiſſo.*

Sodorienſes, ſiue Monæ Inſulæ, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Sancti Andreæ.

1 D.Reimvndvs, ſiue Vvimundus,monachus Sauinienſis,obſingularem eruditionem, & prudentiam primus Epiſcopus Sodorenſis, ſiue Monæ inſulæ creatus, anno 1151. uitam in pace finiuit. *Matthæus ad annum* 1151.

2 D.Ioannes, monachus Sagienſis in Gallia,Reimundo ſuccedẽs, aliquot annis laudabiliter gubernauit. *Matthæus ibidem.*

Spirenſes, ſiue Nemetenſes, in Germania, ſub Moguntino Archiepo.

16 D.Amelricvs,monachus monaſterij Vveyſſemburgẽſis,electus eſt Epiſcopus Spirenſis ſextuſdecimus, ann.D.890. præfuit annis 3. Obiit anno 893. *Democharesde ſacrific.Miſſæ, to.2. c.35.*

17 D.Gebhardus, ſiue Berinhardus, Monachus Vveyſtemburgenſis, creatus eſt in Amelrici locum an.893. Cuius tempore Canonici Spirenſes uitam monaſticam profeſſi, ſub uno recto coniuncti habitare cœperunt,ſine proprio, ſub regulari diſciplina uiuentes.Hic anno Epiſcopatus ſui 18.Chriſti Domini 912.à quibuſdam comitibus

tru-

trucidatus est, quod persuasisset eorum cognato, ut sua quædam prædia donaret ecclesiæ Spirensi. *Democh. ibidem.*

19 D. Reginobaldus, I. Monachus Hirsaugiensis Sancti Aurelij, uoluntate Otonis I. Imperatoris Spirensi ecclesię præfectus anno Domini 943. præfuit annis 15. Obiit uerò anno 958. die 13. mẽsis Octobris. Hic uectigalia, & potestatem cudendi monetã, decimas, & reditus, ecclesiæ suæ impetrauit à Cunrado Duce Franconiæ, consentiente Otone Imperatore, anno Episcopatus sui tertio. *Democh. ibidem, & Belforestius in Cosmographia.*

20 D. Godefridus, monachus Vveyssemburgensis, Episcopus creatus, mensibus tantum quindecim præfuit; obijt anno 959. *Democh. loco citato.*

21 D. Odogarius, monachus Ordinis S. Benedicti, Godefrido substitutus, an. 10. administrationis suæ, Christi 969. diem obiit. *Democh.*

23 D. Rupertus, monachus Vveyssemburgẽsis, Episcopus electus anno Christi 987. præfuit annis 18. Obijt anno 1005. *Democh.*

27 D. Reginobaldus, II. monachus, & Abbas Monasterij Sancti Vlrici, in Augusta Vindelicorum, creatus anno 1032. cum annis octo præfuisset, obijt anno 1039. *Democh. loco citato.*

31 D. Einhardus, monachus, & Abbas Limburgensis, electus anno 1058. præfuit annis 9. Obijtq; anno Christi 1067. *Democh.*

35 D. Gebhardus, II. Comes Auracensis, Monachus, & Abbas Hirsaugiensis, Spirensis Episcopus electus est anno Dom. 1105. Abbatialis regiminis sui 14. & insigni pompa consecratus est à Ruthardo Moguntino Archiepiscopo: præfuit uir doctus, & eloquens, annis 4. & mensibus 10. Obiitque anno 1110. in monasterio suo Hirsaugiensi ante summũ altare sepultus. *Tritt. lib. 4. c. 246. & Democh.*

37 D. Arnolphus, monachus, & Abbas S. Viti Corbeiæ Saxonicæ, unanimi Capituli consensu electus Episcopus anno 1113. præfuit laudabiliter annis 4. & anno 1117. moriens, in Ecclesia S. Guidonis humatus est. *Democh.*

58 D. Lambertus, nobilis à Buren, Alsata, Monachus Neouurlerensis, & Abbas Gengenbacensis, anno Domini 1364. communi canonicorũ suffragio Spirensis Ecclesiæ Episcopus electus, relicta sede Brixinensi quam annis 13. rexerat, electioni de se factę consentiẽs Spirensem adiit, quam gubernauit annis plus minus octo, usque ad annum 1371. Illo enim anno à Carolo IIII. Imperatore, cuius erat Cancellarius, ad Argentinensem Ecclesiam transire iussus est. *Democh. loco citato, & Trittemius, lib. 4. c. 251.*

Stagnenſes in Dalmatia, ſub Raguſino Archiepiſcopo.

D. BASILIVS Gradi, Raguſinus, monachus primum Congregationis Melitenſis, poſtea Caſinenſis, & demum Stagnenſis Epiſcopus factus à Gregorio Papa XIII. anno 1584. uix biennio præfuit. Vir fuit doctus & eruditus, ut eius caſtigationes in paraphraſim pſalmorum Ioannis Baptiſtæ Folengij monachi Caſinenſis Congregationis demonſtrant.

Sueſſani, in Campania, ſub Capuano Archiepiſcopo.

D. MILO, monachus monaſterij Caſinēſis, & præpoſitus Capuani cœnobij, Abbaſque Sancti Benedicti de Salerno, ab Alexandro Papa II. anno Domini circiter 1072. Eccleſiæ Sueſſanæ Epiſcopus creatus, monaſterio ſuo, & Epiſcopatui ſimul, aliquot annis ſumma cum uigilantia præfuit. *Leo Oſtienſis in Chron. Caſinenſi, lib. 3. c. 24. & Trittemius. libr. 4. cap. 226. qui emendatione tamen indiget: dicit enim Epiſcopum eum Sueſſionenſem in Francia, pro Sueſſano.*

D. Iacobus, monachus Caſinenſis, Sueſſanæ Eccleſiæ Prępoſitus, Obijt die 7. Cal. Martij, ſed quo floruerit tempore incertum. *Calendarium vetus Caſinenſe MS.*

Sueſſionenſes, in Gallia, ſub Rhemenſi Archiepiſcopo.

16 S. VRSMARVS, qui ab alijs Autcharus vocatur, monachus, Abbas Lobienſis, ſextodecimo loco Sueſſionenſi Eccleſiæ Epiſcopus datus, Aldemburgi præcipuè prædicans, templum in honorem Apoſtolorum Principis dedicauit anno Chriſti 669. quod poſtea conuerſum eſt in monaſterium monachorum Ordinis S. Benedicti à S. Arnulpho Epiſcopo itidem Sueſſionenſi. Præfuit autem S. Vrſmarus huic ſedi annis plus minus 44. Obiit enim anno Domini 713. die 13. calendas Maij. *Meyerus, libro primo Annal. Flandrię, ad annum Domini 669.*

51 S. Arnulphus Pamelius, Aldenardenſis, Flander, monachus, & Abbas monaſterij S. Medardi in ciuitate Sueſſionenſi, uir ſanctiſſimę conuerſationis, iuſſu S. Gregorij Papæ VII. ab Hugone Legato ſedis Apoſtolicæ, & Archiepiſcopo Lugdunenſi, Epiſcopus Sueſſionenſis conſecratus, anno Domini 1080. & in Flandriam, ad tumultus excitatos ſedandos miſſus; munus ſibi iniunctum ſtrenuè compleuit: & demum ſanctitate, & miraculorum operatione clarus, in Domino quieuit anno 1087. regiminis ſui octauo, die decimo octauo calendas Septembris, & in monaſterio S. Petri à ſe fundato die ſequenti ſepultus eſt. *Trittemius, lib. 3. cap. 326. Meyerus, lib. 3. Annal. Fland. Belforeſtius in Coſmogr. & alij.*

Epiſco-

Episcopatus de litera T.
Cap. LIIII.

Taruisini, in Ducatu Foroiulienſi, ſub Epiſcopo Patauino.

D. 60 LVDOVICVS Barbo, Venetus, Abbas monaſterij Sanctæ Iuſtinæ de Padua, & reformator eiuſdem monaſterij, auctorque Congregationis Sãctæ Iuſtinæ de Padua, quę nunc Caſinenſis appellatur, cum annis multis monaſterio præfuiſſet in omni ſanctitate, & bonorum operum operatione, anno Domini 1437. nolens & inuitus, ab Eugenio Papa IIII. factus eſt Epiſcopus Taruiſinus 60. & die 15. menſis Aprilis conſecrationis munus accepit: præfuit eccleſiæ ſuæ annis ſex, & menſibus ſex; obiitque bonis operibus plenus, anno 1443. (non autem 1471. ut malè ſcriptum reliquit Ioannes Bonifacius, libr. 11. hiſtor. Taru.) menſe Septẽbri, in Capitulo monaſterij ſui Sanctæ Iuſtinæ ſepultus. *Ex monimentis illius cœnobij, & alijs.*

Terracinenſes in Campania, exempti.

D. AMBROSIVS, Mediolanenſis, monachus monaſterij Caſinenſis, vir prudens, & eruditus, anno Domini 1072. ab Alexandro Papa II. Terracinenſis Epiſcopus creatus, ingenij ſui monimenta nonnulla poſteris reliquit. *Leo Oſtienſis in Chron. Caſinen. lib. 3. cap. 24. & Trittemius, lib. 4. cap. 211.*

5 D. Gregorius, monachus monaſterii Caſinenſis à pueritia ſua, vir in ſacris literis eruditiſſimus, à Paſchali Papa II. circa annum Domini 1110. eccleſiæ Terracinenſi Præpoſitus, eandem verbo, & exemplo mirabiliter illuſtrauit; vt uidere eſt ex eius operibus, quæ paſſim in multorum manibus uerſantur. *Petrus Diaconus, de vir. ill. mont. Caſini, cap. 32. & lib. 4. hiſt. Caſin. cap. 44.*

Theanenſes, in Apulia, ſub Capuano Archiepiſcopo.

D. HILARIVS, monachus monaſterij Caſinenſis, ob ſingularem doctrinam, & tam in ſecularibus, quàm in diuinis ſcripturis peritiã, Theanenſis Epiſcopus creatus, populis ſuis quod uerbo prędicauit, prius exemplo monſtrauit. Floruit ann. Domini .... *Trittemius, lib. 4. cap. 232. Leo Oſtienſis in Chron. Caſin. lib. 1. c. 35.*

D. Angelarius, monachus Caſinenſis, & Præpoſitus, atque eiuſdẽ cœnobij Abbas XX. Teanenſis verò primus, Epiſcopo Teanenſi defuncto eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus creatus eſt anno Domini 890.

& officio suo aliquot annis laudabiliter functus, obiit nonis Decembris, & ibidem in ecclesia sui Episcopatus sepultus est. *Leo Ostiensis in Chron. Casin. lib. 1. cap. 49.*

D. Leo, Monachus monasterij Casinensis, uir in utroque homine clarus, ecclesiam Theanensem gubernandam suscepit circa annũ Domini.... & cum munus sibi impositum strenuè complesset, quieuit in pace. *Trittemius, lib. 4. cap. 264.*

D. Pandulfus, monachus cœnobij Casinensis, & Episcopus Theanensis, vir doctus & eruditus, & libertatis monasterij sui defensor acerrimus. Floruit sub Innocentio Papa II. *Petrus Diaconus in Chronic. Casin. lib. 4. cap. 110.*

Theofordenses in Anglia, sub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

2 D. Herebertvs Cosinga (qui ab aliis Henricus, sed malè vocatur) monachus & Abbas de Ramissia, precio Pontificatum an. 1091. adeptus Theofordensem, in tantum postea pœnituit, ut delictorum eluendorum causa Romam profectus, sponte se dignitate abdicauerit, traditis Pontificatus insignibus in manum Vrbani II. Pontificis: cuius indulgentia munus spretum obire iussus est; qui postea domũ reuersus, reliquam ætatem integerrimam uixit; & anno Dom. 1094. die 5. idus Aprilis Episcopalem sedem ex Theofordia, Nordouuicũ, hominum conuentu, & negotiatorum copia maximè celebrè, inuexit, ubi loci monasterium monachorum Ordinis Diui Benedicti instituit, & templum Theofordiense monachis Cluniacensibus, eiusdem Ordinis, donauit: & demum uita, & morte præclarus, obiit anno Domini 1119. regiminis sui 28. *Matthæus Vvestmon. ad annos 1091. 1094. & 1119.*

Therofenenses in Anglia, sub Cantuarienſi Archiepiſcopo.

S. Pavlinvs, monachus Romanus, ordinatus primum Episcopus Therofenensis, à S. Iusto Episcopo, eam sedem annis aliquot in omni sanctitate rexit, & post anno 625. ad Cathedram Metropolitanam Eboracensem translatus, alteri locum cessit. *Trittemius, libro quarto, cap. 58.*

Toletani in Hiſpania, nullius Diœceſis: obtinebant enim tunc temporis Archiepiſcopalem dignitatem.

S. Helladivs, Hispanus, primum in Aula Regia enutritus, deinde sæculo relicto monachus Agalensis monasterij, quod constructũ erat in honorem Sanctorum martyrum Cosmæ, & Damiani, postea eiusdem monasterij Abbas secundus, & tandem, Auraſio Episcopo defuncto, Toletanus Episcopus, creatus anno Domini 606. plebem

sibi

sibi commissam in omni exemplaritate rexit, & gubernauit ann. 18. & sanctitate, miraculorumq; gloria clarus, obdormiuit in Domino, anno 624. duodecimo cal. Martij. *S. Ildephonsus de vir. illustribus, c. 7. & alij in Martyrologio notati.*

S. Iustus, Hispanus, monachus, & Abbas Agaliẽsis tertius, deinde S. Helladij, magistri sui, in Episcopatu successor, præfuit annis plus minus decem, & sanctus habitus, beatam gloriam, & cœlestis regni bona promeruit anno 634. post mensem Aprilem, vt arbitror die 9. Maii. *Ildephonsus ibidem cap. 8. Morales, histor. Hispan. libro duodecimo, cap. 21. & alij.*

S. Eugenius, huius nominis secundus, Hispanus, monachus Agaliẽsis, & S. Helladii discipulus, postquam S. Iustus in gaudium Domini ꝑpetuo victurus intrauit, Ecclesię Toletanę pastor datus est an. 634. & in omni sanctitate, & iustitia populo suo præfuit annis vndecim, & in senectute bona adpositus est ad patres suos, an. D. 645. *Ildephonsus ibidem cap. 12. Morales, lib. 12. cap. 29. & alij.*

S. Eugenius, huius nominis tertius, Hispanus, monachus monasterii S. Engratiæ in ciuitate Cæsarauguſta, dignus inuentus, qui S. Eugenio II. sibi æquiuoco succederet, Toletanæ ecclesię regimẽ assumpsit anno Domini 645. quod tenuit annis plus minus 12. & bonis operibus plenus migrauit anno 657. idibus Nouembris, in Basilica S. Leocadiæ sepultus. *Ildephonsus, cap. 14. Morales, lib. 12. cap. 34. & alij.* Nonnulla scripsisse refert Mariana, lib. 6. cap. 9. quæ autem sint illa præter eius Epitaphium nihil uidi.

S. Ildephonsus, siue Hildephonsus, seu Illephonsus, uel Alphonsus, Hispanus, ex nobilissimo stemmate Comitum de Orgaz, monachus, & Abbas monasterii Agalienſis, & s. Eugenii tertii in Episcopatu Toletano successor, præfuit in omni sanctitate annis nouem, & mensibus duobus: & tandem doctrina, & eruditione clarus, obiit anno 667. die 13. calendas Februarii, *Ipse ibidem c. 15. Vaseus in Chronico, Morales, lib. 12. c. 39. & alij.*

S. Iulianus, cognomento Pomerius, sed alius à primo, Hispanus, monachus monasterii Agalienſis, & s. Eugenii II. discipulus, Quirico Episcopo, qui s. Ildephonso successerat anno 680. uita defuncto, Toletanam ecclesiam regendam suscipiens, exemplo, non minus quam verbo: erat enim omnium ferè sui temporis doctissimus, ecclesiam suam non modicum illustrauit, & cum eandẽ gubernasset annis decem, mense uno, & diebus septem, octauo idus Martii migrauit ad Dominum, an. 690. *Vaseus in chronico, & alij.* Scripsit, De vita s. Hildephonsi

dephonsi Episcopi, lib. 1. qui est apud Surium, tomo 1.

D. Cixila, Hispanus, monachus Agaliensis, & s. Illephonsi in Abbatiæ regimine successor; deinde iam senex & quasi decrepitus Toletanus Episcopus, creatus anno D. 766. uerbo, & exemplo extitit mirabilis. Scripsit uitã pfati s. Illephonsi Epi. *Ioannes Mariana, lib. 7. c. 6.*

Tornacenses, in Neruijs, sub Archiepiscopo Cameracensi.

1 D. Anselmus, Laudunensis, Gallus, monachus, & Abbas monasterii s. Vincentii martyris, prope Laudunum, uir, tam in humanis, q̃ in diuinis literis eruditus, ab Eugenio Papa III. anno Domini 1146. proprius Tornacensis Episcopus creatus est, cum hactenus populus ille sub Episcopo Nouiomensi fuisset; dignitatem tenuit annis plus minus quinque; & nonnulla ingenii sui monimenta posteris relinquens, obiit anno 1150. Tornaci sepultus. *Democharis de sacrificio Missæ, tomo 2. cap. 15. Belforestius in Cosmogr. sua. & Trittemius, lib. 4. cap. 240. qui tamen ambo correctione indigent; ille quod Episcopum Laudunensem eum dicat, iste quod Suessionensem, cum in catalogis ambarum sedium nullus huius nominis reperiatur.*

9 D. Ioannes Buchel, Anginus, Francorum Regis nepos, Doctor Theologus, monachus, & Abbas Stabulanus, Galtero à Mandra in Ecclesia Tornacensi anno 1261. surrogatus, annis plus minus 13. laudabiliter officium sibi commissum impleuit: & anno 1274. à Patribus Concilii Lugdunẽsis, in Episcopum Leodiensem promotus, tandem ab æmulo suo iniquissimè occisus est anno 1281. *Democharis de sacrific. Missæ, tomo 2. cap. 37.*

13 D. Gulielmus, monachus ordinis s. Benedicti, creatus an. Domini 1320. præfuit aliquot annis laudabiliter. *Democharis ibidem.*

22 D. Carolus de Croy, Comitis de Croy filius, monachus primũ monasterii Sanctæ Mariæ de Affligem in Brabantia, deinde Abbas monasteriorũ Altimontis, Affligem, & s. Gisleni in Hannonia, postremo Episcopus Tornacensis, uir magni nominis & famæ, multis annis cum monasterio, tũ Episcopatui præfuit. Vixit sub Carolo V. Imperatore, sub anno Domini 1550. & quod excurrit. Obiit in monasterio suo s. Gisleni, & ibidem sepultus est ad dexteram summi altaris in sepulchro alabastrino maximi ualoris, quod sibi ante mortẽ præparauerat. *Tabulæ monasterij S. Gisleni.*

Traiectenses in Hollandia, sub Colonienſi Archiepiscopo.

1 S. Vvillierordvs, qui in consecratione dictus est Clemens, Anglus, monachus monasterii Ripẽsis in Anglia, Episcopus Frisiorũ, siue Traiectensium ordinatus est à Sergio Papa, Romæ, anno 696.

in

in templo & die sanctæ Ceciliæ: totos quadraginta annos in dissẽminatione Euangelii pacis inter gentes consumpsit; & tandem plenus dierum & sanctitatis, in monasterio Epternacensi in Ducatu Luxemburgensi, à se exstructo anno 736. mortuus, die septimo Nouembris, ibidem sepultus est; & Apostolus Hollandiæ & Frisiæ appellari meruit. *Beda, libro quinto, cap.* 11. *&* 12. *Trittemius, libro quarto, cap.* 67. *& alij.*

2 S. Bonifacius, Vvinfridus antea dictus, Anglus, monachus monasterii Adescancaster, deinde Mutscellæ, & Archiepiscopus Moguntinus primus, s. Vvillibrordo in cœlum translato, ecclesiæ Traiectẽsis curam suscipiens, eandem annis sexdecim per Eobanum Corepiscopum prudentissimè rexit: & anno 752. Gregorium Abbatem loco suo præficiens ad Frisios Orientales, Euangelium prædicaturus accessit, quorum gladiis in oppido Doccum cum 50. sociis occisus, martyrii coronam accepit anno 755. nonis Iunii. *Trittemius, libro* 3. *cap.* 176. *Barlandus in cat. Episc. Traiectensium, & alij.*

3 S. Gregorius, monachus, & Abbas monasterii sanctĩ saluatoris Traiecti, & s. Bonifacii discipulus, à quo constitutus, & consecratus est tertius Traiectensis Episcopus anno Christi 752. præfuit sanctissimè annis plus minus 32. & sacri ministerii administratione clarus, ad Dominum migrauit anno 784. die octauo calendas Septembris. *Trittemius, lib.* 4. *cap.* 188. *& alij multi.*

4 S. Albericus, siue Adelbertus, uel Adelbricus, Frisius, Illustrissimo Frisiorum Regum stemmate clarus, monachus, & Abbas s. Saluatoris Traiectensis, magistrum suum S. Gregoriũ proximè insequutus, annis plus minus decem Ecclesiam sibi commissam uita, & moribus ornauit, & per temporariam hanc mortem laudabili fine, immortalem uitam consequutus est, ann. Domini 794. duodecimo calendas Septembris, in monasterio suo sepultus. *Trittemius, libro quarto, cap.* 202. *& alij.*

7 S. Rixfridus, siue Ritfridus, monachus (ut arbitror s. Saluatoris Traiecti) Frisius, uir doctus, humilis, & Deo deuotus, Episcop. Traiectensis septimus creatus anno Domini 828. præfuit annis plus minus nouem, & bonorum operum plenus, mortem immortalitate cõmutauit anno 836. die tertio nonas Octobris. *S. Ludgerus Episcopus in uita S. Suuiberti apud Surium, tomo* 2. Scripsit nonnullas Epistolas, inter quas, extat illa quæ est ad S. Ludgerum Episcopum.

14 S. Radbodus, Frisius Radbodi Frisiorum Regis pronepos, monachus Ordinis s. Benedicti, monasterii sancti Saluatoris Traiectensis,

sis,uir humanarum sacrarumque literarum nō mediocriter peritus, ut ex eius operibus uidere est,omnium suffragiis Traiectinensis Episcopus electus anno Christi 900. postquam decem & septem annis Episcopi munere functus esset, obiit anno 917. die tertio calendas Decembris, & sanctorum numero adscriptus, Dauentriam corpore suo ibi in Diui Lebuini templo recondito, clariorem reddit. *Trittemius,lib.2.cap.38.lib.3.c.255. & de scriptoribus Ecclesiasticis apertius.* Scripsit inter alia quæ extant, laudes S. Bonifacii Episcopi & mart. lib.1.qui extat MS.in Belgio.

De S.Amalberga virg. Serm.1.

Flores S.Vvillibrordi, Libr.1.

Vitam S.Lebuini,Carmine, Lib.1.

De eodem Encomiasticam orationem, quæ est cum uita eiusdē Carmine descripta,Vltraiecti in Holandia.MS.

Homiliarum & Sermonum,Lib.1.

Officium quoque integrum de translatione Sancti Martini Episcopi.

19 D. Adelbandus, seu Adelboldus, Frisius, Monachus Lobiensis, uir scientia literarum insignis, S. Aufrido ex hac uita sublato,Episcopus cōsecratus est anno Christi 1010. & multis in Episcopatu rebus præclarè gestis,ut eius acta testantur, subtractus est anno 1021.regiminis sui 11. *Trittemius,lib.4.c.219.* Scripsit uitam S.Henrici Imperator. Lib.1. quæ est excusa apud Surium,Tomo 1.

De laude S.Crucis. De laude B.Mariæ.

De S.Martino, cantum nocturnalem, & triumphum ipsius de Danis, Turoniam infringere uolentibus,etsi non multo sermonis cultu : magno tamen pietatis affectu . Et alia nonnulla tam metro,quàm prosa.

Trecorenses in Britannia minori, sub Turonensi Archiepiscopo.

S. Tvdvalvs,Derochi Regis Britanniæ affinis,monachus & Abbas Lambalius,deinde Episcopus Trecorensis, anno circiter Domini 600. creatus,cœnobio,& Episcopatui multis annis præfuit sāctissimè,& clarus virtutibus, & signis migrauit in pace, 7.calendas Iulii. *Cœnalis de re Gallica,lib.2. perioche 6.*

Tripolitani in Syria, sub Patriarcha Antiocheno.

D. Bernardvs III. Monachus Ordinis S. Benedicti, deinde Tripolitanus Episcopus,ad extremum Casinensis Abbas 64.creatus anno 1296. Obijt eodem anno 15.calend. Augusti ibique sepultus est. *Catalogus Abbatum Montis Casini MS.*

Tullen-

Tullenſes in Leucis, ſub Treuirenſi Archiepiſcopo.

20 D. GARIBALDVS, ſiue Gribualdus, Volfandi filius, cœnobij Diui Michaelis auctor & dotator, & ibidem poſtmodum ſpretis mundi deliciis monachus, deinde ob pietatem Tullenſis Pontifex electus anno Domini.... præfuit annis ferè 8. & multa à Childeberto Rege Eccleſiæ ſuæ acquiſiuit priuilegia. Obiit anno Domini.... *Franciſcus de Roſieres, to. 3. Stemmatum Lotharingiæ, hiſtor. capitali 52.*

25 D. Frotharius, monachus & Abbas monaſterii S. Apri, & poſtea Tullenſis Epiſcopus, creatus anno Domini circiter 806. præfuit annis.... & multis munificè ad utilitatem eccleſię ſuæ, & Monaſterii, peractis exceſſit ex humanis, anno..... *Idem hiſt. capitali 54.*

33 D. Robertus, monachus Methelochienſis monaſterii, Pontifex Tullenſis anno.... creatus, vix anno uno miniſtrauit. *Idem tomo 4. hiſtor. capitali 58.*

D. Bruno, Sueuus, Alſata, Hugonis Comitis filius, monachus monaſterii cuiuſdam Tullenſis, & deinde eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, electus anno Domini..... præfuit Epiſcopatui annis..... & cũ virtutibus, religione, probitate, ac in egenos mira charitate ſplẽdeſceret, euectus eſt ad ſummum Romanum Pontificatum anno Domini 1049. & Leo IX. vocatus. *Trittemius in Chronico Hirſaugiæ, & alij.*

D. Ludhelmus, monachus monaſterij Sancti Maximini Treuirenſis, & poſtea Tullenſis Epiſcopus, creatus anno Domini...: præfuit annis.... Obiit anno.... *Auctor huius rei iam e mente excidit.*

Tungrenſes, ſiue Traiectenſes ad Moſam, ſub Colonienſi Archiepiſcopo.

26 S. AMANDVS, Aquitanus, Gallus, Serani Ducis filius, monachus Ogyæ inſulæ, ſiue Lerinenſis, & poſt Bituricenſis, deinde Tungrenſis Epiſcopus vigeſimuſſextus, creatus anno Chriſti 632. præfuit ſolus anno vno, & paulo amplius; anno enim 633. à Dagoberto Rege euocatus Eccleſiæ Argentinẽſis primus præficitur Epiſcopus, quam cum annis aliquot in omni ſanctitate rexiſſet, improbitate populorum irritatus, eandem deſeruit, & ad primam ſuam ſedem Tungrenſem reuerſus, quæ hactenus per annos nouem à S. Landoaldo Suffraganeo gubernata fuerat, eandem annis tribus aliis adminiſtrauit: tandemque ſtudio vitæ arctioris incenſus eam iterũ relinquens ad monaſterium Elnonenſe, quod nũc à ſuo nomine, S. Amandus uocatur, anno 645. ſe contulit, ibique ſtatum uitæ prioris reaſſumens, monachus obiit anno Domini 661. die 6. menſis Februarii, ubi & honorificè

ficè sepultus est. *Tabulæ Lerinenses MS. Meyerus, Molanus, Cratepolius, & alij permulti, & Trittemius, lib. 4. c. 135.*

27 S. Remaclus, monachus, & Abbas monasterij Solemniacensis, & Sancti Eligij Abbatis, & Episcopi discipulus, S. Amãdo in Episcopatus regimine suffectus, anno Domini 645. præfuit annis plus minus decem: anno enim 652. sæculi huius rumores fugere peroptãs, episcopatum reliquit, & in cœnobio Stabuleti, non longè à Leodio, se abdidit, ubi monachus primum, deinde Abbas effectus, diẽ obiit anno abdicationis suæ 63. qui erat à natiuitate Christi 715. & ibidem sepultus die tertio Septembris successorem habuit Sanct. Papolenum Abbatem. *Trittemius, libro quarto, cap. 149. & alij in Martyrologio nostro notati.*

28 S. Theodardus, monachus Stabulensis, & S. Remacli discipulus, magistro suo in Episcopatu succedens anno 655. pro libertate ecclesiæ, ut uerus Pastor, animam suam posuit, unde à filijs Belial iuxta Vvormatiam occisus, statim in testimonium sanctitatis, euidentia signa subsequuta sunt. Martyrio coronatus est anno 655. regiminis sui tertio incepto, die 10. Septembris. *Tritt. lib. 4. c. 154. & alij.*

29 S. Lambertus, Apri Comitis Lossensis filius, monachus monasterii Stabuleti, ob eximiam pietatem, & sanctitatem anno Domini 657. in locum S. Theodardi Episcopus renunciatus; præfuit sanctissimè, tam in episcopatu, quam extra, annis 40. & tandem ut alter Ioannes Baptista, pro iustitia, & stupri repræhensione coronatus est martyrio anno Domini 698. 15. calend. Octobris. Quo mortuo Tungrensis, siue Traiectensis superioris ad Mosam sedes, Leodium, siue Legium translata, per S. Hubertum eius successorem, denominationem ab illa ciuitate noua accepit. Fuit autem S. Lambertus Episcopus Tungrensis 29. Traiectensis uerò 20. *Tritt. lib. 4. c. 162. & alij citati in Martyrologio nostro.*

Turiasonenses in Hispania, sub Cæsaraugustano Archiepiscopo:

D. Berengarius, Arago, Hispanus, Raymundi Argoniæ Regis filius nothus, monachus, & Abbas Montaragonis, deinde episcopus Turiasonensis, circa annum Domini 1150. creatus, postmodum ad Ilerdensem sedem transiit. *Ioannes Mariana in Annal. Hispan. libro vndecimo, cap. nono.*

Turonenses in Gallia, nulli tunc subiecti: nunc Archiepiscopi.

17 D. Gontharius, monachus, & Abbas monasterii S. Venantii intra terminos Andegauenses, uir prudentiæ maximæ, dum Abbatis officio fungeretur; sed episcopus factus repentè in alium uirum mutatus,

tatus, & potationibus deditus, omnibus de se maximam admirationem reliquit. Præfuit annis duobus, mensibus 10 diebus 22. Obiit anno Domini 555. & uacauit sedes anno uno. *Belforestius in Cosmogr. sua. & S. Gregor. Turonensis de gest. Francorum, lib. 10. c. 31.*

19 S. Gregorius Florentii filius, monachus monasterii Turonensis (ut arbitror S. Martini) Episcopus creatus est anno Domini 573. & quam sanctè per annos 21. præfuerit ingenii sui monimenta, quę posteris reliquit indicant. Migrauit ab hac luce anno Christi 594. 15. calendas Decembris, & Turonis sepultus in album sanctorum adscriptus est. *Trittemius, libro quarto, cap. 45. & Belforestius ibidem.* Scripsit simplici, & aperto sermone nõnulla opera, de quibus extãt;

De laude Sanctorum Martyrum, Lib. 1. excusi Colonię, in 8.
De Vita quorundam cõfessorum, Lib. 2. & Parisiis in fol.
De Miraculis S. Iuliani martyris, Lib. 1.
De Miraculis s. Martini Episcopi, Lib. 4.
Hist. Francorum, Lib. 10. qui excusi sunt Parisiis, cum scholiis Morelii, anno 1561. in 8. & Basileæ 1568. in 8. sed in ista impressione tollenda est epistola dedicatoria, impii Ill. Flacci.
Epitome eiusdem Historiæ, Lib. 1.
Chronicon Ecclesiasticæ Historiæ, Lib. 1.

Quæ omnia opera impressa narrantur Lutetię Parisiorum simul in uno codice, sed quo anno, nondum uidi.

Episcopatus de litera V.

Cap. LV.

Valentini in Gallia, sub Archiepiscopo Viennensi.

D. GERARDVS, Monachus Cluniacensis, deinde Bolismensis Abbas, post Cluniacensis XIX. exinde Episcopus Valentinus, cui sedi cum aliquandiu in omni bonitate præfuisset, meritis crescentibus ad Patriarchatum Hierosolymitanum assumptus, plenus operibus bonis, quieuit in pace. *Chronicon Cluniacense MS.*

D. Petrus de Castro Lucii DD. Doctor monachus, & Abbas Cluniacensis XXXI. deinde episcopus Valentinus creatus anno Domini 1342. præfuit annis duobus. Obiit 4. nonas Martii, anno 1344. &

Clu-

Cluniaci in Capella Sancti Martialis sepultus est. *Chronicon Cluniacense MS.*

Valentini in Hispania Terraconensi, sub Archiepiscopo Terraconensi: nunc sunt Archiepiscopi.

S. Evpropivs, Hispanus, Monachus, & Abbas Monasterii Sirbitani, in Hispania, & postea Episcopus Valentinus, uir eruditissimus, & monasticis disciplinis apprimè instructus, cuius doctrina Hispaniæ non parum decoris accepetunt, cum in plurima sanctitate, populos sibi subditos gubernasset, clarus miraculis migrauit in cœlum die 6. idus Iunii. Floruit anno Dom. 600. *Trittem. lib. 2. cap. 14. & alij.* Scripsit inter alia, De Chrismatis unctione, Lib. 1.

De coercitione Monachorum. Lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, Lib. 1.

Vandalorum, sub Bremensi Archiepiscopo.

S. Benno, Monachus Hamburgensis, Reginberto Episcopo defuncto ad Vandalos conuertendos Episcopus missus, pietate & doctrina nulli suo tempore secundus extitit: Dæmonum apud Barbaros cultum sustulit, lucos excidit, atque Christianorum religionem plurimis in locis plantauit; unde & quintus Vandalorum Apostolus uocari meruit. Obiit anno Christi 1190. *Crantzius in Saxonia, lib. 4. cap. 30. & alij.*

Vectę Insulę, sub Archiepiscopo S. Andreæ.

D. Cymbertvs, Anglus, monachus Rietfordensis, id est, Vadi arundinis, in Anglia, deinde Episcopus Insulæ Vectæ, in ecclesiasticis, & monasticis disciplinis nobiliter instructus. Floruit anno Dom. 730. *Trittemius, lib. 4. c. 178.*

Vencienses, in Prouincia, sub Eduensi Archiepiscopo.

S. Lambertvs, Monachus Lerinensis, & postea Venciensis episcopus, obiit sanctitatę clarus die 26. Maii. *Tabulę Lerinenses MS.*

S. Veranus eiusdem monasterii Lerinensis monachus, ob insignę pietatę episcopus creatus, miraculis fulgens inter sanctos relatus est. *Tabulę Lerinenses MS. quæ quo tempore claruerint non explicant.*

Venefrani, in Apulia, sub Archiepiscopo Capuano.

D. Petrvs, Rauennas, Monachus monasterii Casinensis, uir doctus, & religiosus anno Domini 1059. à Nicolao Papa II. Episcopus Venefranus, & Hisernensis ordinatus apud Acerras, eo in honore fuit annis aliquot. *Leo Casinensis historię, lib. 3. c. 14.*

Verdenses in Germania, sub Moguntino Archiepiscopo.

S. Svvibertvs, siue Suitbertus, uel Suuitbertus, ex illustri Comitum

mitū nortgalliæ ſanguine ortus, Anglus, monachus Bearmenſis ſub s. Hicbaldo Abbate, deinde Abbas monaſterij Dacore, poſtremo Verdenſis, ſiue Vuerdę Cæſaris Epiſcopus primus, creatus anno Domini 711. præfuit in omni ſanctitate annis ſex, & paulo amplius, & multos in Saxonia, Friſia & alibi, ab infidelitate ad Chriſtum adduxit, & tandem meritis cumulatus viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt anno Chriſti 717. ætatis ſuæ 69. calendis Martij. Et anno 756. de terra eleuatus quarto idus Iunij, a Leone Papa. III. in Sanctorum numerum relatus eſt anno 803. pridie Nonas Septembris. *Trithemius lib. 4. c. 182. Marcellus in eius uita apud Surium Tomo 2. Democares de Sacrif. miſſæ Tom. 2. c. 35. qui tamen correctione aliqua indiget in annis quibus eum uixiſſe affirmat. Crantzius metropolis lib. 1. capit. 6.*

2 Sanctus Patto, Scotus, monachus, & Abbas Amarbaricanus in Scotia, & Epiſcopus Vuerdenſis ſecundus, creatus anno Domini circiter 718. vir in Euangelica veritate enuncianda, ac hæreſis prauitate conuellenda, ſtudio, ac zelo præcipuus, præfuit annis plus minus 43. & in bona ſenecture ad patres ſuos adpoſitus eſt circa annum Domini 760. die tertio calendas Aprilis. *Crantzius metropolis lib. 1. c. 21. & 22. Jo. Lesleus in hiſt. Scot. lib. 4. Democares de ſacrif. miſſæ tomo. 2. c. 35. & alij.*

3 Sanctus Tanco, Scotus, monachus & ipſe, & Abbas Amarbaricenſis, Pattoui in monaſterio primum, deinde & in eccleſia Verdenſi Pontifex ſuccedens anno Domini 760. vel circiter, & martyrii deſiderio accenſus in Saxoniam contendens, populi illius uitia, acerbiſſima oratione perſtringebat: vnde illius immani furore truculentiſſime extinctus eſt, circa annum Domini 800. die 14. calendas Martij. *Crantzius ibidem. Leslæus lib. 5. Democares ibidem, & alij.*

6 Sāctus Kortilla ſiue Rortilas Scotus, monachus, & Abbas Amarbaricanus, proferendæ Catholicæ fidei nomine in Saxoniam profectus, poſt Chriſti fidem diu ac ſincerè plebi prædicatam, Vuerdenſi Eccleſiæ poſt Ceuilonem præfectus circa annum Domini 820. non multo poſt Saxonum crudelitate occiſus eſt. *Crantzius metrop. lib. 1. capit. 29.*

7 Sanctus Iſengerus Scotus, monachus, & Abbas Amarbaricanus, vir ſanctitate præcipuus, in demortui Kortilæ ſedem eleuatus, pauco tempore præfuit, ſed quo mortis genere obiecit ignoratur. *Crantzius ibidem.*

8 Sanctus Hartucus, Scotus, monachus & Abbas Amarbaricanus,

eodem Dei spiritu, quo sui prædecessores, concitatus, in Saxoniam contendit; vbi post multos labores, molestias, & cruciatus, patientissimo animo pro ecclesia toleratos, Episcopatu ecclesiæ Vuerdensis primum, ac martyrij deinde corona, vt & sui antecessores, ornatus est, anno Domini circiter 831. ipsis Idibus Iulij. *Crantzius ibidem. Democharis loco citato, & alij.*

ANNOTATIO.

Crantzius metuprolis lib. 1. c. 29. 'apertis verbis præfatum Harrucum monachum & Abbatem fuisse declarat; reliquos duos, Kortillam scilicet & Isengerum, ex coniectura verborum eiusdem pro monachis hic posuimus, sic enim ait; Harruch octauus hunc insequitur, vir omnium plenus virtutum, cuius neque tempora, neque acta signantur: hoc solum est annotatum, quia obierit Idibus Iulij. Erat & hic natione Scotus, vt & ante eum duo, Abbas & ipse Amarbaricensis. *Hæc ille. Ex his verbis aperte colligitur, illos duos Scotos & ipsos, Abbatesq; Amarbaricenses fuisse, sicut & ipse Harrucus: relatiuum enim illud,* Ipse, *hoc apertissime demonstrat. Si quis tamen aliquid in contrarium habuerit me submitto.*

16 D. Bruno, huius nominis primus, Othonis, Sueuiæ Ducis filius, Ludolphi nepos, Othonis Magni Imperatoris pronepos, monachus monasterii S. Viti corbeiæ Saxonicæ, deinde Episcopus Vuerdensis in ordine. 16. vir natu, & virtute nobilis, fundauit monasterium Oldenstadense circa Vlysseam. Deinde Pontifex Romanus inauguratus, Gregorij V. nomen sibi assumpsit anno Domini 995. die 8. cal. Iulij. Obijt anno 998. 12. cal. Martij, Pontificatus sui anno 2. mense 7. die 25. & ad S. Petrum sepultus est. *Trittemius li. 4. c. 224. de monachatu, at de Pontificatu nihil, nos quid de eo sentiamus, dicemus in fine operis ad Gregorium V.*

21 Domnus Bruno secundus, monachus, & Abbas Nuenburgensis, & Magdeburgensis, Friderici Comitis frater, & deinde Vuerdē sis Episcopus 21. pastor bonus & egregius fuit, sed in mala incidit tempora: bella enim, fames, pestilentiæ, mala, quibus hominū Deus castigat peccata, tum efferbuere. Vixit an. 1030. *Trittem. lib. 4. c. 239.*

Veronenses, in Lombardia, sub Patriarcha Aquilegiensi.

D. Hilduinus, Tasso, Belga, monachus Lobiensis monasterij, deinde Episcopus Veronensis, creatus anno Domini 928. præfuit annis plus minus octo; & anno 935. abdicans, ad Mediolanensem sedem transijt. *Tabulæ Episcoporum Veronensium; & Ioannes Franciscus Tintus lib. 5. c. 11. hist. Veronensis, qui dicit anno tantum uno præ*

fuisse,

fuisse, sed in annorum denumeratione, Galesinium & reliquos Mediolanenses scriptores sequimur.

Sanctus Racherius, seu Ratherius, Viennæ Comitis filius, & monachus Lobiēsis, abdicante Hilduino Episcopus Veronensis factus, anno 935. (uel ut Tintus dicit anno 928.) in magna sanctitate munus sibi impositum obiuit annis fere. 17. sed quorundam inuidia ab Episcopatu pulsus, anno ut colligere licet 952. uel circa, sequenti Episcopus Leodiensis renunciatus est. Obijt anno 974. miraculis clarus. *Trittemius lib. 4. c. 204. Tabulæ Veronenses, & Tintus loco citato.*

Domnus Bartholomæus, monachus ordinis Sancti Benedicti, & demum Episcopus Veronæ, creatus anno 1278. præfuit annis 12. obijt anno Christi 1290. *Tintus ibidem.*

Domnus Petrus, monachus, sed cuius cænobij non explicatur, & Episcopus Veronensis, post Bartholomeū, electus anno 1290. rexit annos octo, & anno 1298. obiit. *Idem Tintus.*

Domnus Thobaldus, primum Eremita Augustinianus, deinde Abbas monasterii Sancti Firmi, Petro mortuo Episcopus Veronensis, contra Bonincontrum quendā in schismate creatus anno 1298. sedit annos plus minus 33. obiit anno 1331. *Tintus ibidem.*

Domnus Nicolaus monachus, & Abbas monasterii Sancti Petri de Villa Noua, Ordinis Sancti Benedicti, Theobaldo successit anno præfato 1331. præfuit annis quinque; obiit anno 1336. *Tintus eodem. lib. 5. c. 11.*

Vesontionenses, in Gallia.

Domnus Donatus monachus monasterii luxouiensis, & deinde Episcopatus Vesontionēsis Ecclesiæ dignitate ornatus, religione, & doctrina florens, dum suis prodesse studuit, æternum sibi præmiū acquisiuit. Quo tempore uixit ignoratur. *Trittemius, lib. 4. c. 233.*

Vicenses in terra Laboris, sub Archiepiscopatu Surrentino.

Domnus Constantinus de Lannoy, siue ut Itali dicunt La Noya, natione Belga, patria Neapolitanus, monachus S. Seuerini de Neapoli congregationis Casinensis, a Gregorio Papa XIII. Episcopus creatus, deinde Rhegitanæ Ecclesiæ Metropolitanus factus, ante consecrationem obiit anno 1586.

Vicenses in Hispania, sub Taraconensi Archiepiscopo.

Domnus Frater Benedictus de Tocco, Regis, Epyri nepos, monachus Hispanus congregationis Vallisoletanæ, Episcopus Vicensis factus, ab illa sede ad Gerundensem transiit, qui nunc etiam, ut arbitror, in uiuis est. *Gonsaluus Illescas in hist. Pontif. lib. 5. c. 15.*

Virdunenſes in Lotharingia, ſub Treuirenſi Archiepiſcopo.

12 Sanctus Hermẽfredus, monachus Luxouienſis S. Colũbani ſuggeſtione factus, moxque Pontifex Virdunenſis renunciatus anno Domini 609. præfuit annis non minus 12. & vita piè tranſacta in Chriſto quieuit anno 621. die ... *Frãciſcus de Roſieres Tom. 3. Stemmatum Lotharingiæ hiſt. capitali. 47.*

13 S. Paulus, S. Germani Epiſcopi Pariſienſis nepos, Eremita primum apud Voſagum montem, deinde monachus monaſterii Theologii in dieceſi Treuerenſi, poſtremo poſt Hermenfredum Epiſcopus Virdunenſis quamuis inuitus creatus; ſuæ eccleſiæ bona augeri imprimis curauit; & exinde uirtutibus & miraculis fulgidus cælos petiit anno 648. regiminis ſui 27. die ſexto Idus Februarii. *Idem Roſieres hiſt. c. 48. Trittemius lib. 4. c. 201. & alij.*

14 Domnus Gisloaldus monachus Theologienſis, Sancto Paulo immediate ſuppoſitus, totius Cleri & ipſius Sigeberti Regis approbatione, præfuit annis. 17. & obiit anno Chriſti 665. *Idem Roſieres ibidem.*

15 Domnus Gerebertus, monachus, & Abbas Theologii, unanimi Cleri, & Regis electione, Paſtor gregis Virdunenſis ſacratus, tyrannidi Ebroini eccleſias Dei immenſis vectigalibus opprimentis, conſtanter reſtitit, & anno Præſulatus ſui 24. Chriſti Domini 689. diem obiit. *Roſieres Hiſt. c. 50.*

16 Domnus Armonius, Pipini Ducis Brabantiæ conſanguineus, monachus, & Abbas Theologii, ſacra Virduni peregit annis. 12. obiit anno domini 701. *Roſieres hiſt. c. 51.*

45 Domnus Vrſio, ſiue Vrſinus monachus, & Abbas monaſterii S. Dionyſii Rhemenſis, vir admodum puſillanimis, anno Epiſcopatus ſui tertio, qui erat a Chriſto nato 1131. Epiſcopatus iuribus renuncians, ad monaſterium ſuum reuerſus eſt. *Roſieres hiſt. c. 71.*

Vpſalenſes in Suetia, tunc ſub Bremenſi, ſiue Magdeburgenſi potius: nunc ſunt Archiepiſcopi.

1 Sanctus Ansgarius, ſiue Anſcharius, Gallus, monachus Corbeiæ Gallicæ, & deinde procurante Ludouico Pio Imperatore, ad gentium conuerſionem Epiſcopus primus Suecorum & Gothorum creatus anno domini 816. ſummo honore a Rege Berone in ciuitate Birchenſi ſuſceptus, uerbum dei fiducialiter prædicauit, & illius regis humanitate & pietate fretus, totam ciuitatem, omnemque in circuitu regionem ad veri Dei cultum conuertit, idque ſpatio annorum 16. uel circiter, vſque ad annum videlicet 833. quo prælatus

eſt

est Ecclesiæ Hamburgensi. *Ioānes magnus li.1.de vitis Pontificum Vpsalensium: & alii.*

3 Sanctus Stephanus, Gallus, sed monachus Corbeiæ Saxonicę S.Viti,in diuinis legib. ita institutus est, vt dignus sit habitus qui supra candelabrum in domo domini post S.Adaluardum collocaretur, circa annum domini 840. Hic,zelo prædicandæ fidei, relicta Vpsalia in qua nullum,aut certè paruum fructum fecerat, ad Helsingos, omnium Suecorum optimos se contulit,quos suis prędicationibus ad fidem maxima ex parte adduxit, eorumque Apostolus primus & præcipuus appellatus;a nonnullis tandem diaboli filiis,martyrio coronatus est: & sepultus est in Ecclesia & Villa Norala.Post cuius obitum Vpsalensis ecclesia pastore caruit. *Ioannes magnus loco citato; & alii.*

Vrbeuetani,in Italia, sub patrimonio S.Petri.

Domnus Petrus Boerius,Gallus,Narbonensis,monachus,& Abbas Cœnobii S. Auiani Sancti pontii Thomeriarum Diœcesis DD. Doctor & D.Ioannis de Iohannis Abbatis Imicellensis,& Decretorum Doctoris,discipulus, uir suo tempore Doctissimus, ob eximiā doctrinam, Sacrorumque Canonum peritiam Episcopus Vrbeuetanus factus, omne tempus vitæ suæ in dictando & scribendo consumpsit,ut eius opera testificantur. Floruit ab anno Domini 1320. ad. 1360.*Trittemius lib.2.c.134.ipse Boerius in prologo expositionis regulæ S.P.Benedicti.* Opera autem eius præcipua,hæc esse feruntur.

In speculum monachorum, lib. 1.

De signis locutionum,lib. 1. qui est in Bibliotheca nostra MS.

In Benedictinam Benedicti Papæ XII.commentarij: sunt in Bibliotheca nostra S.Benedicti de Mantua,MS.in membranis.

In Regulā S.P.N.Benedicti explicatio duplex, quarum prima concordat sententias ipsius Regulæ, cum sententijs Sanctorum Patrum,& est apud nos bis MS.

Hanc autem scripsit petentibus Monachis Sublacensibus,ad quos sic in fine scribit.

Pulsatus precibus, uobis transmitto pudicis.
O fratres cari, quod me sudante frequenter
Hoc opus exegi, Patris mea viscera nostri
Speleo, iuxta vos, iamque uitalia vestris.

Cui monachi specuenses sic responderunt,

Monachi Sacri specus,Vrbeuetano Episcopo.

Ista specus Monachi, semper venerabimur almi

Scripta ut reliquias, nos, & quicunque sequentur.
Ingenij clarus, composq; in lumine mentis,
Canonum & excellens Sacrorum Doctor & author,
Boetij Petrus castri de sede Redonte.
Parte minerbesii regnante diœcesis ortus
Narbonensis enim, Monachus exemplar honesti
Hactenus, o cunctis, Auiani monachus almi,
Tomeriarum prudensq; Diœcesis Abbas.
Nunc veteris summæ venerandus Episcopus Vrbis.
Rite specu Sancti Benedicti se speculanti.
Quam vallis Sublacensis sudore peregit.
Hoc opus ex dictis Sanctorum sæcula Patrum
Vertice parentum, iam eius quiscunq; legentum,
Septenis decies ternis, an mille trecentis
Principio hoc operis scripsit qua causa notatur.

Altera, nouo quodam & inusitato expositionis genere, omnia Regulæ non solum capitula, sententias, & dogmata, sed etiam quod amplioris industriæ est, uerba, consilia, & præcepta Iuri Pontificio conferens, mirabili subtilitate Decretalibus, & Canonibus Summorum Pontificum, & Patrum approbat, exemplar est apud nos in Bibliotheca nostra, in membranis MS. in folio prægrandi.

Vtenses, siue Vzenses in Gallia, sub Archiepiscopo Narbonensi.

Domnus Bernardus de Cadoena, monachus S. Flori in Aruernia, & eiusdem quoque Ciuitatis Episcopus undecimus, postquam sedem illam aliquot annis laudabiliter gubernasset, ad Vtensem trā siit, & boni pastoris uices impleuit. *Democharis Tom. 2. c. 25.*

Vuicciorum, siue Vuigornienses, in Anglia, sub Cantuarien si Archiepiscopo.

2 Domnus Ostphorus, siue Ostfertus, Anglus, monachus Strenes halcensis monasterii S. Hildæ, deinde Episcopus Vuicciorum secundus, in locum Boseli creatus anno circiter Domini 690. uir Doctus & pius, ut ex eius homiliis quas posteritati reliquit uidere est: obiit circa annum Domini 700. *Trittemius lib. 4. c. 212. Matthæus Vuestm. ad annum 680.*

3 S. Eguinus Vuiccius, monachus Benedictinus Vuigornienſis monasterii ut inuenio, & postmodum Vuigorniæ Episcopus tertius, post Ostphorum, uita in omni religiositate, & sanctitate transacta, in gaudium Domini introductus est anno Domini 716. tertio

Idus

Idus Ianuarii. Res eius gestas composuit S. Bertu aldus Episcopus Cantuariæ. Scripsit S. Eguinus nonnulla non contemnenda, inter quæ librum unum de Cœnobii sui primordiis: alium de suis apparitionibus: & quasdam SS. uitas, ut S. Adelmi Episcopi Schireburnensis: *Bertuualdus in eius uita. Bibliotheca philosophorum, & alii.*

5 Domnus Taffridus Anglus monachus monasterii Streneshalcē sis, & Vuicciorum Episcopus quintus Vuilfrido mortuo, religione, & scientia scripturarum clarus, non longe à creatione sua mortuus est, ut testatum reliquit Matthæus Vuestm. ad annum 680. quamuis Trittemius lib. 4. c. 189. dicat pluribus annis præfuisse. Obiit autem circa annum Domini 770.

15 Domnus Aethelhunus Anglus, monachus, & Abbas Bercheseiæ, & postea Episcopus Vuigornienſis 15. creatus in locum Hereferti anno Domini 915. præfuit annis plus minus octo: & anno 922. moriens locum reliquit Vuilfertho Episcopo. *Mattheus Vuest. ad annos citatos.*

18 Sanctus Dunstanus, Anglus, monachus, & Abbas Glasconiensis, & deinde, Episcopus Vuigornienſis 18. creatus pro Chineuuoldo anno Christi 957. ab Odone Cantuarienſi consecrationis munus accepit: præfuitque ecclesiæ Vuigornienſi annis plus minus. 4. usq; ad annum scilicet 959. quo anno Londonienſi etiam ecclesiæ præpositus, illam cathedram gubernauit per annos. 14. ad annum usque 973. quo translatus est ad regimen Cătuarienſis Archiepiscopatus, uti diximus in Archiepiscopis illius sedis. *Matthæus Vuestm. ad annos supracitatos: & alij nonnulli.*

19 Sanctus Osuualdus, Gallus, Sancti Odonis Archiepiscopi Cătuarię nepos, & monachus monasterii Floriacenſis in Gallia, Sancto Dunstano ad Londonienſem ecclesiam transeunte, Vuigornienſi episcopatui præficitur anno Christi 959. quem rexit annis plus minus duodecim: sanctitatis enim eius fama uolante, Eboracenſis Archiepiscopus renunciatus est anno Domini 972. *Matthæus Vuestm. ad annos citatos: Polidorus lib. 6. & Trittemius lib. 4. cap. 101. qui duo tamen correctione nonnulla indigent, præponunt enim in Episcopatu S. Osuualdum S. Dunstano, cum hic præponi, ille vero postponi deberet, ut rectissime annotat Matthæus, & ratio annorum id etiam manifestat.*

20 Domnus Aeldulphus, siue Eaddulphus, Anglus monachus, & Abbas cœnobii Medeshamēſis in Anglia, & deinde S. Osuualdo cę dente, Episcopus Vuigornienſis 20. creatus anno Domini 972. præfuit laudabiliter annis 21. plus minus: & sicut S. Osuualdo hac in

Sede succedere meruit, ita dignus habitus est eidem morienti, succedere in Archiepiscopalis Eboracensis sedis regimine, anno Domini 992. *Matthæus, ad annum 992.*

24 Domnus Leoffius, Anglus, monachus, & Abbas Thornienſis, & deinde, post Vulstanum qui ad Eboracensem sedem transierat, Episcopus Vuicciorũ 24 creatus anno 1002. præfuit annis. 31. obiit anno Domini 1033. *Matthæus ad annos citatos.*

29 Sãctus Vulstanus siue Vuolstanus Anglus, monachus, & Prior monasterij Burgi Vuigornienſis, & postmodum eiusdem ciuitatis Episcopus, creatus anno 1061. vir doctus, & Sanctus, rexit ecclesiam suam in omni æquitate annis 34. plus minus; & miraculorum gloria clarus obiit anno 1095. die 14. Kalendas Februarii, ætatis suæ anno 87. *Senatus Brauonius apud Surium Tomo 1. Matthæus Vuestm. ad annos citatos, & alii.*

42 Domnus Siluester, Anglus, monachus, & Prior Vuigornienſis, & exinde Episcopus eiusdem ciuitatis 42. electus anno 1214. præfuit annis. 4. & mensibus aliquot; obiit anno 1218. *Matthæus ad annos præfatos.*

45 Domnus N. monachus & Prior cuiusdam monasterij, cuius nomen non exprimitur, & postmodum Episcopus Vuigorniæ 45. creatus anno Christi 1301. quantum præfuerit non constat. *Matthæus ad annum 1301.*

Vuiltonenſes, siue Ramesburienſes, in Anglia, sub Cantuarienſi Archiepiscopo.

5 Domnus Aelfstanus, monachus Glasconienſis ordinis S. Benedicti, & deinde Episcopus Vuitonenſis, siue Ramesburienſes quintus, floruit anno Domini 970. uel paulo post. *Matthæus ad annum 920.*

8 Domnus Brithuualdus, monachus & ipse, & Episcopus postea huius sedis octauus, cum aliquot annis dignum se tali magistratu ostendisset, obiit anno Domini 1045. *Matthæus ad annum 1045.*

Vuintonienſes, qui ante erant Dorcaceſtrenſes, sub Archiepiscopo Cantuarienſi.

8 Sanctus Suuithunus Anglus, monachus Vuintonienſis, & deinde eiusdem Ciuitatis Episcopus octauus, creatus anno Domini circiter 850. præfuit annis plus minus 12. & Sanctitate, ac miraculorum gloria clarus, migrauit ad Dominũ anno 862. die 2. Iulii. *Matthæus Vuestm. in Flor. hist. & alii.*

14 Sanctus Birstanus, monachus, & deinde. S. Fristhstano abdicante

cante Episcopus Vuintonienſis 14. creatus anno 932. præfuit annis duobus, & Sanctitate clarus obiit anno 934. *Matthæus ad annos citatos.*

15 Domnus Aelphegus, monachus & ipſe, S. Birſtano in regimine Epiſcopatus ſuccedens, anno prælaturæ ſuæ 12. Chriſti 946. uitam cum morte commutauit. *Matthæus vt ſupra.*

18 Sanctus Aetheluuoldus, aliis Adelboldus, Anglus, monachus Glaſconienſis, deinde Abbas Abendonienſis, poſtremo Vuintonienſis Epiſcopus creatus in locum Brithelmi anno Domini 963. præfuit annis. 21. plus minus, & plenus dierum Calendis Auguſti obiit anno 984. *Matthæus qui ſupra: Trittemius lib. 4. c. 205. & alij.*

19 Sanctus Aelphegus, Anglus, monachus, & Abbas monaſterii quod Balneum dicitur, ſiue Bathonienſis in Anglia, deinde poſt S. Aetheluuoldum Vuintoniæ Epiſcopus electus anno 984. præfuit eccleſiæ ſibi commiſſæ per annos plus minus 34. uſque ad annum 1018. quo ad Cantuarienſis ſedis regimen aſſumptus, exinde per martyrii coronam cęlos intrauit. *Polydorus lib. 8. Trittemius lib. 4. ca. 113. Matthæus ad annos 984. & 1006. & alii.*

32 Domnus, Henricus, Gallus, Stephani Comitis Bloſii filius, & Stephani Regis Angliæ frater, monachus primum Cluniacenſis, poſt Abbas Glaſconienſis, & poſtremo Epiſcopus Vuintonienſis, creatus anno Domini 1129. factus deinde Apoſtolicæ ſedis in illis partibus Legatus, munere ſuo functus eſt annis 43. plus minus, & prophetię ſpiritu charus ac omnibus charus obiit anno 1171. die octauo Idus Auguſti. *Polydorus lib. 11. & 12. & Matthæus Vueſtm. ad annos citatos, & Matthæus Paris ad ann. 1171.*

37 Domnus Magiſter Ioannes de Exonia, monachus & Prior monaſterii Sancti Suuithuni Vuintoniæ, deinde Abbas de Middelton, ad vltimum Vuintonienſis Paſtor, creatus anno 1261. uir doctrina, & religione clariſſimus, præfuit quam optime annis multis, obiitque anno Domini circiter 1286. paulo ante uel poſt *Matthæus Vueſtm. ad annum 1261.*

39 Domnus Henricus Vuodeloches Anglus, monachus, & Prior Vuintonienſis, deinde Ioānis de Pontiſſina eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui anno Domini 1305. obierat, ſucceſſor, uir tanto honore dignus, aliquot annis cum præfuiſſet bonorum operum cumulatione plenus, uitam obiit. *Matthæus ad annum 1305.*

Vuormatienſes in Germania, ſub Moguntino Archiepiſcopo.

4 Domnus Samuel, monachus, & Abbas Lauriſſenſis, & deinde Epiſco-

Episcopus Vuormatiensis quartus, electus anno Domini 838. præfuit annis 18. decessit in meliorem uitam die 7. Februarij 856. & in monasterio suo Lamistano sepultus est, cum tali inscriptione:

Hęc loca fundauit Samuel, gratumq; parauit
Ipsi gregem Christo, tumulo qui clauditur isto.

9 Domnus Anno, patria Hessus, monachus, & Abbas S. Maximini Treuerensis, deinde Abbatiæ nouæ Pergensis, extra muros Magdedurgensis ciuitatis, Episcopatui Vuormatiensi præficitur anno 950. Præfuit annis 24. Obijt, die 24. Decembris, anno 974. Sepultus cum hoc Elogio:

Anno vir iustus, primus dilectus Otoni;
Ergo virum multa concumulauit ope.
Anno magis regis summi, sed amatus Olympi.
Quocirca cęli regna beata colit.

14 Sanctus Burchardus, siue Brocardus, Hessus, Franconis Episcopi Frater, Monachus Laubiēsis in Hannonia, deinde Præpositus monasterij S. Victoris, postremo Episcopus Vuormatiensis, creatus anno 997. consecrationem accepit, à Vuilligiso Moguntino Archiepiscopo, die 8. Martij. Præfuit in omni sanctitate, annis 29. Obijt anno 1025. die 20. Augusti: & in Summæ Basilicæ crypta sepultus est, cum sequentibus versibus:

Robora Burchardus ex nomine denotat artis,
Et quod nomen habet, imaxima facta probant:
Vangio nam per eum fossas, & mœnia, tures
Aedificat rursus, depopulata prius.

18 Domnus Adelbertus, siue Adelberus, vel Adelbero, Comes ab Habsburgh, Frater Rodulphi Sueuorum Ducis, monachus monasterij Sangallensis, Episcopus electus est die 23. Octobris, anni 1065. præfuit annis quinque. Obijt anno 1070. die 6. Augusti, sepultus dignè cum tali inscriptione:

Firmus Adelbero syncero pectore ciues
Vangiones docuit corde tenere fidem:
Sic se curauit, populi sic pectora pauit,
Vt superi moriens iret ad astra poli.

20 D. Ebbo, monachus monasterij Lauriſſensis, & deinde Episcopus Vangionum, creatus anno 1110. præfuit lustro: Obijt anno Domini 1115. sepultus cum tali Elogio:

Lauriſſas sedes Ebbo reliquit, & ædes,
Vuormatiam venit, populi quo scandala demit

Præsulis

Præſulis & partes, ſanctasq; exercuit artes:
Vnde Beatorum ceſserunt regna polorum
Ebboni patri, dilecto credite fratri.

De his quinque agit Democharesde ſacrif. Miſſæ, tomo 2. cap. 35.

Epiſcopatus de litera Z. Cap. LVI.

Zamorenſes in Hiſpania ſub Compoſtellano Archiepiſcopo.

1 SANCTVS Attilanus, Hiſpanus, monachus monaſterij de Moreruela, ſub Sancto Froillano Abbate, deinde Zamorenſis Epiſcopus, præfuit ſanctiſſimè annis aliquot; & miraculis clarus, Obijt anno Domini 825. tertio nonas Octobris: & anno 1092. ab Vrbano Papa II. in Sanctorum numerum relatus eſt. *Ambroſius morales lib. 15. c. 44. & alij permulti.*

De quibuſdam Epiſcopis intertæ ſedis, ex grege nigrorum Monachorum aſſumptis. Cap. LVII.

S. ADELARIVS Monachus Anglus, & Epiſcopus conſecratus ad fidem populis prædicãdam, eadem martirii palma coronatus eſt, qua S. Bonifacius eius magiſter, anno 754. die 5. Iunii. *Trittemius lib. 4. c. 183. Cratepolius, & alij.*

Domnus Alteus monachus, & Abbas monaſterii Sancti Mauricii Agauenſis trigeſimus in Ordine, à primo Abbate, & poſtea Epiſcopus, verum vbi locorum non explicatur, floruit tempore Caroli Magni Imperatoris. *Belforeſtius in coſm. in deſcriptione Valeſiæ.*

Domnus Amatus, monachus monaſterii Caſinenſis, & poſtea Epiſcopus, incertæ tamen ſedis, & ſcriptor ſui temporis non contemnendus. Vixit anno 1170. *Leo Oſtienſis in chron. Caſ. lib. 3. cap. 34.* Scripſit ad Gregorium VII. Papam.

De

De gestis Apostolorum Petri & Pauli versibus lib. 4.
De laude eiusdem Pontificis lib. 1.
De duodecim lapidibus lib. 1.
De ciuitate Celesti Hierusalem lib. 1.
Historiam Normannorum lib. 8.

Domnus Atto, monachus (vt puto) Casinensis, & postmodum Episcopus, obiit die tertio idus Februarii. *Calendarium uetus Casinense MS.*

Domnus Edanus Hibernus monachus, & S. Malachie Episcopi discipulus, ab ipso Malachiæ Romam proficiscente Episcopus ordinatus, munus iniunctum diligenter impleuit. *S. Bernardus Abbas in uita S. Malachiæ.*

Sanctus Eobanus monachus Anglus, & S. Bonifacii Archiepiscopi, & in messe Dominica coadiutor, & Chorepiscopus, cum eodem martyrium subiit anno 754. die 5. Iunii. *Trittemius lib. 3. cap. 176. & alij.*

Sanctus Etto, monachus in Anglia, & Episcopus Regionalis ad fidei dilatationem, miraculis clarus, quieuit in pace anno Domini circiter 660. uel paulò post, die 10. Iunii, quiescit Lætiis in Belgio. *Molanus in indiculo.*

Sancti Euualdus Albus, & Euualdus Niger, monachi in Anglia, & ad conuersionem gentium Episcopi ordinati, à Paganis tenti martyrium pertulerunt die tertio Octobris. *Cratepolius de Episcopis Germ.*

Sanctus Foillanus Philtani, Hiberniæ Regis filius, monachus in Anglia, deinde ad prædicandum Euangelium Episcopus constitutus à S. Martino Papa, cum tribus sociis martyrii palmam percepit anno 660. die ult. Octobris. *Molanus in indiculo, & alij.*

S. Gero, Germanus, & monachus (vt arbitror) S. Pantaleonis Coloniæ, & deinde Episcopus incertæ sedis, circa annum Domini 980. *Ex hist. Inuentionis S. Maurini. c. 7.*

D. Gitbertus, monachus S. Benedicti de Mantua, congregationis Cluniacensis, & deinde Episcopus. *Tabulæ eiusdem cœnobij.*

Sanctus Gisalaricus, discipulus S. Ruperti Episcopi Saltzburgensis, & monachus S. Petri de Saltzburgo, & Episcopus ad gentium conuersionem ordinatus circa annum 636. Viennam, & Austriam ad Christi fidem fertur reduxisse. Hic sedem Fauianensem iam a multo tempore pastore carentem in integrum restituit, vtrum tamen eius fuerit sedis Episcopus ignoro. *Belforestius in descriptione Viennę.*

Domnus

Domnus Gislerius, monachus (vt colligere licet) Casinensis,& deinde Episcopus, obiit die 15. Cal. Martij. *Calendarium Cas. MS.*

Domnus Goffredus monachus, vt arbitror, Casinensis,& exinde Episcopus, obiit nonis Februarij. *Calend. vetus Cas. MS.*

Sanctus Hunbertus monachus Laudunensis, deinde fundator cę nobij de Maricolis in Belgio,& ad fidem gentibus nuntiandam Episcopus titularis factus, anno Domini circiter 670. sanctitate & miraculis clarus, obiit die 25. Martij. *Molanus in indiculo.*

Sanctus Isidorus monachus, in quantū licet colligere, Sancti Andreæ Romæ,& S. Gregorii discipulus, deinde Episcopus in Sicilia; Vixit anno 606.& quod excurrit. Obiit die 15. Ianuarii. *Felici in Calendario.*

Domnus Laurentius, monachus Casinensis, uir doctus, & religiosus, ac postmodum Episcopus, multa scripsit. *Petrus diaconus uir. ill. Cas. cap. 6.*

S. Lebuinus, monachus Ripensis in Anglia, ad gentium conuersionem Episcopus constitutus, Apostolus Transiselanorum factus est. *Teatrum Conuers. gentium.*

D. Marianus Mannus, Siculus, monachus S. Martini iuxta Panhormum,& Episcopus Nullatenensis. obiit 1576

Sanctus Pirminius Abbas Diuitis Augiæ,& Chorepiscopus consecratus ut infideles ad Christi ouile perduceret: aliquot annis munere suo egregie functus, migrauit in cœlum die 3. Nouembris. *Cratepolius de Episcopis Germaniæ,& alij.*

D. Ribaldus, monachus S. Benedicti de Mantua, & Episcopus postmodum. *Tabulæ illius Cœnobij.*

D. Stephanus, monachus S. Benedicti de Mantua, deinde Episcopus, *Tabulæ Benedictine.*

De nonnullis Episcopis, qui Episcopatu abdicato, Ordinem Monasticum ingressi sunt. Cap. LVIII.

ANSELMVS Mantuanus, Lucensis Episcopus,& deinde amore diuinæ contemplationis, Papa,& amicis ignorantibus, monachus cœnobii S. Benedicti in agro Mantuano factus, non longe post a Gregorio Papa VII. qui eius opera maximè vtebatur, coactus, ad sedē quidem suam

suam rediit, sed tamen habitum monasticum sub veste Episcopali celans, in eodem etiam sepeliri voluit anno Domini 1086. die 18. Martii. *Vita eius MS. quæ est apud nos in monasterio S. Benedicti.*

Scripsit non contemnendæ lectionis opuscula, inter quæ contra Guibertum Antipapam pro defensione Romani Pontificis Apologeticum Domini Papæ, lib. 1.

In lamentationes Hieremiæ, non autem in Hieremiam, ut quidam annotatum reliquerunt, lib. 1.

In psalmos usque ad illum locum, Benediximus vobis in nomine Domini, rogatu Mathildæ ducissę, morte enim præuentus complere non potuit, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Reperiuntur & in Bibliotheca nostra S. Benedicti Mantuani MS. sequentia opera ipsi attributa, uidelicet,

Meditatio in orationem Dominicam, quæ sic incipit,

O immensa clementia, columnis octo in membranis pregrandibus.

Alia in eandem: Possunt autem omnia supradicta aliter explicari.

Alia in eandem: Possumus & supradictas petitiones exponere.

In salutationem Angelicam meditatio: Aue Maria. &c.

Super Salue Regina, Meditatio piissima columnis octo tali exordio, Ad salutandam Beatam Virginem: quæ meditatio Sancto Bernardo attribuitur in æditione Veneta anno 1568. in 4. Tomo 2. operum eius folio 435. at utrum rectè uideat Lector.

Sunt penes MSS. & alii duo libelli ipsi ascripti quorum primus, agit de gestis Domini nostri Iesu Christi rythimice, sic incipiens.

Desere iam anima lectulum soporis.
Languor, torpor, uanitas, excludantur foris.

Secundus uero, etsi agat de iisdem Domini nostri gestis, tamen præcipue sacram eius passionem explicat, tali exordio.

Iesu Christi celeri miseratione
Et Mariæ Virginis intercessione.

Fertur & eius esse illa pia oratiuncula, Domine Deus si feci ut essem reus tuus, &c.

De duobus Anselmis quos adducit Sixtus in Bibliotheca sua sancta, diximus in notis nostris ad diem 18. Martii, ad quas lectorem remittimus.

S. Ausfridus, Traiectensis Episcopus 18. cum propriis sumptibus monasterium montis S. Mariæ, non procul ab Amerfordia diuo Benedicto construxisset, ibidem annó regiminis sui, 14. Christi 1010. mo na-

monachus,Episcopatu relicto,effectus,multis uirtutibus clarus die obiit 5.Nonas Maii.*Trittemius.lib.3.c.289.*

Domnus Bartholomæus Laudensis Episcopus 43. anno Domini 1150.mundo, & dignitate,contemptis, Fusinaci monachum induit, ubi in Dei laudibus perseuerans, in domino quieuit. *Robertus de monte in chron.ad annum 1150.*

S.Bertualdus,Comes de Sommerscheborg,& Episcopus Hildesemensis13.cũ monasteriũ S.Michaelis propriis sumptibus constru xisset,illud ipsum Episcopatu abdicato intrans,& monachalibus in stitutis se subdens anno 1014.nouem annis pœnitentiæ luctu per mansit, & sanctitate clarus, in gaudium domini sui introductus est die 20.Nouembris,anno Christi 1023. *Surius Tom. 6.& alij.*

S.Bonifacius Bruxellensis,Brabantinus, Lausanensis in Burgundia Episcopus, Episcopali sede relicta factus est monachus Ordinis Cistertiensis in monasterio Cameræ.*Molanus in indiculo SS. Belgij.*

S.Bonitus,Episcopus Aruernorum 41.pietate ductus, Episcopalibus Infulis se exuens, monasticum habitum induit in cœnobio Magnilocensi,ubi in uigiliis & orationibus perseuerans, miraculis clarus quieuit in Domino,die 15.Ianuarii.Floruit anno 726.*Surius Tomo 1. in eius uita.*

S.Bruno,siue Brunus, Ligur,ex familia Astensium Comitum,Episcopus Signiensis, deinde quietis amore dignitate abdicata monachus primum,& post Abbas 40.Casinensis; cum cœnobio annis 3. & mensibus 10.præfuisset, ad sedem suam priorem redire coactus, anno Domini uii. ibid. in bonis operibus diem clausit, pridie Calendas Septembris.*Chron.Casinense lib.4.c.44.& alii.*

D.Conradus Episcopus Halberstatensis 21.insigni religione uir: cum septem annis sedi illi præfuisset,tædio rerum sæcularium, ex auctoritate Summi Pontificis eam dimisit, & in monasterium Sedebexe concessit, ibiq; monachus uitam finiuit anno circiter 1212. *Crantzius Metrop.lib.7.c.37.*

S. Deodatus Episcopus Niuernensis anno Domini circiter 780. uir Sanctitate præcellens, suo munere se abdicauit, & in monasterium Vosagi montis secedens, in sanctitate diem clausit. *Rosieres Stemm.Lothar Tom.3.hist.capitali 5.*

S.Disibodus Episcopus Hibernus, quietis amore patriæ & Episcopatui valedicens, in Germaniam se transtulit,ubi ædificato monasterio, in loco qui ex eius nomine,nunc mons S. Disibodi uocatur, multorum Pater extitit Monachorum. Floruit anno Domini 700.

obiit.

obiitque miraculis clarus, die octauo Iunii. *Trittemius lib. 3. c. 288.*

D. Eldoinus, seu Ilduinus, uel Eldonius, Archiepisc. Lugdunensis 48. uel 50. ecclesiam Lugdunensem quam paruo tempore tenuerat relinquens anno Domini 796. uel circa, in monasterio Lirinensis Insulæ monachalem conuersationem suscepit. *Ado in chronico.*

D. Geruilio Moguntinus Episcopus 16. & Vuormaciensis Archiepiscopus secundus, Geroldi prædecessoris sui filius, cum interfecto rem Patris sui ipse interfecisset, in detestationem tanti criminis a Gregorio Papa II. ex utriusque dignitatis Episcopalis fastigio deiectus, in monasterium trusus est, anno 719. ubi monastico habitu indutus, toto uitæ tempore pœnitentiam de commissa cæde ageret: cuius rei sequens extat terrastichon.

Patrius affectus me mouit ad arma cruenta,
Pœnam, quam merui, dignius ergo tuli.
In claustro latui pro crimine tempore uitæ,
At licet hic lateam, spero salutis opem.

Democh. de sacrificio missæ, Tomo 2. c. 34.

D. Gesuuuinus Episcopus Osnaburgensis 3. Ludouici Pii Imperatoris timore, malè sibi conscius, fugam iniit, ac se in Fuldensi morio inclusit. *Crantzius metrop. lib. 1. c. 40.*

D. Guido Episcopus Beluacensis, seculi pompis relictis, sanctæ conuersationis habitu in monasterio Cluniacensi susceptо, laudabili confessione communi sorte de hac uita substractus est, Floruit anno Domini 1160. *Chron. Cluniac. MS.*

D. Godebaldus, Friso, Traiectensis Episcopus 24. fundator cœnobii S. Laurentii Ordinis S. Benedicti in Oesterbroeck, ibidem episcopatu dimisso monachum induit, episcopatus sui anno 15. Christi circiter 1076. *Kempius in catalogo Episcoporum Frisonum.*

D. Heribertus, Antisiodorens. Episcopus 50. anno regiminis sui 13. Christi Domini circiter 1060. fit monachus apud S. Saluatorem in pago Senonico, ubi nigrauit ad Christum 7. Cal. Februarii, & ibi sepultus est. *Democh. de sacrif. miss. Tom. 2. c. 19.*

D. Hugo, Antisiodorensis Episcopus 49. anno Domini circiter 1050. regiminis sui 41. morti propinquus, monachalem induit habitum in monasterio S. Germani, & sic post diem quartum obiit pridie nonas Nouembris. *Democh. Tom. 2. c. 19.*

D. Iacob, siue Iacobus, Tullensis, Episcopus 23. Episcopatus relicto monachum induit in monasterio S. Benigni, Diuione, ibique quieuit. Floruit anno 750. *Rosieres Tomo 3. hist. c. 53.*

D. Ioan-

D.Ioannes Anglus,Lincolniensis Episcopus,administratione relicta anno 1398.fit monachus Cantuariæ,ubi non longe post obiit. *Thomas Vualsi.in hist.breui ad anno* 1398.

D.Ioannes Episcopus Glasconiensis,officium pastorale pertęsus, vitæ monasticæ propositum arripuit in monasterio Turonensi, sed haud paulo post ad ecclesiam suam redire coactus est. *Historia Scotiæ*.

S.Kentigernus,Scotus,Eugenii III.Regis Scotiæ filius, & Episcopus Clascoensis, Episcopatu abdicato, regulæ S.P.Benedicti se mancipat, & 663. monachus prælatus,in sanctitate diem obiit die 13. Ianuarii, anno Domini circiter 590. *Corographia Britanniæ fol.* 548.

D.Leidradus Lugdunensis Archiepiscopus 49.uel.51.is qui tempore Caroli Magni Imperatoris instituit Lugduui lectores i Theologia,& Grammatica,anno Domini 815. uel circiter,regiminis sui 20. Suessionense cœnobium ingressus in monastica obseruantia ex hac uita migrauit. *Ado in chronico.*

S. Nordembertus, siue Volipertus Comes a Summotorio, Bauarus, & 35. Curiensis Episcopus, anno Domini 1085. regiminis sui.6.sede sua deturbatus,in monasterio Hippacensi,quod ipse construxerat,uitam religiosam duxit,ibidemque biennio post obijt,anno 1087.*Democharesde sacrif. missæ Tomo c.* 2.35.

D.Pibo,Saxo,Episcopus Tullensis, circa annum Domini 1070. diuina pietate accensus,Diuione monasterium ingreditur: sed petente Clero a Summo Pontifice coactus,sedi suæ restitutus est. *Rosieres in Stemm.Lothar.Tomo* 4.*fol.* 211.

D. Stephanus, Eduensis Episcopus sub S. Petro Abbate monachus Cluniacensis Episcopatu abdicato factus, moriens in ecclesia maiori honorabiliter sepultus est.*Cron. Clun.MS.*

D.Syboto,Baro a Gundelfingen, Episcopus Augustanus, anno 25.Episcopatus sui,& Christi Domini 1251. in monasterium Cęsarience se contulit, vbi monasticam uitam egit, monasticè indutus annis decem:obiit anno 1262. ipsa die Assumptionis B. Mariæ, & sepultus est in choro eiusdem cœnobii.*Democares Tomo.2.c.*35.

S.Theogerus,Comitis Metensis filius,& eiusdem ciuitatis Episcopus 52.anno regiminis sui,2.magistratu se abdicans,Cluniacense claustrum ingressus, Christianæ religioni effusissimam impendit operam,& a morte inter Sanctos relatus est.Vixit anno 1100. *Rosieres Tomo* 4.*fol.*239.

D. Vualterus, Palatinus Tubingensis, postquam 16. annis Episcopatui Augustano præfuisset, libere episcopatum resignans an. 1150. cœnobium Selgenstadiense in Orientali Frãcia ingressus, ibi cursum uitæ absoluit, anno 1153. die. 9. Septembris, ibique sepultus est. *Demochares Tomo 2. c. 35.*

D. Vuilicarius, siue Vuillarius Archiepiscopus Viennensis, 42. uidens Viennensem ecclesiam indecenter humiliari, relicto Episcopatu anno Domini circiter 720. in monasterium sanctorum martyrũ Agaunensium ingressus, uitam uenerabilem duxit. *Ado Viennensis Archiep. in Chronico.*

N. Episcopus quidam Anoymus, is qui uitam S. Boniti Episcopi scripsisse fertur, post Episcopatum aliquot annis digne administratum, ad portum quietis se recipiens, monachi habitum fuscepit. *Surius in vita S. Boniti Tom. 1.*

De Episcopis aliquot, qui ex monachis Episcopi, ex Episcopis deinde monachi facti sunt.
Cap. LIX.

ADELBERO, Herbipolensis Episcopus.
S. Amandus, Argentinæ, & Tungrensis Episcopus.
Arnulphus, Constantiensis Episcopus.
S. Arnulphus, Metensis Episcopus.
Bartholomæus, Bononiæ Episcopus.
S. Bosa, Dommocensis Episcopus.
S. Burchardus, Herbipolensis Episcopus.
S. Ceadda Licheseldensis Episcopus.
Eberhardus, Churensis Episcopus.
S. Eucherius, Aurelianensis Episcopus.
Fridericus, Augustanus Episcopus.
Hatto, Basileensis Episcopus.
Maingutus, Herbipolensis Episcopus.
Marquardus, Osnabrugensis Episcopus.
Petrus, Compostellæ Episcopus.
S. Petrus, Polycastrensis Episcopus.
S. Racherius, Veronensis, & Leodiensis Episcopus.

Rami-

Ramirus, Burgenſis, Pamp elonæ, Rotæ & Barbaſtri Epiſcopus.
S. Remaclus, Tungrenſis Epiſcopus.
S. Rodeſindus, Compoſtellæ Epiſcopus.
Trumuuinus, Candidæ caſæ Epiſcopus.
Vlricus, Churenſis Epiſcopus.
Vlricus, Conſtantienſis Epiſcopus.
Vrſio, Virdunenſis Epiſcopus.
Vuinfridus, Lichefeldenſis, & Lindiſſenſis Epiſcopus.
S. Vuiro, Scotorum Epiſcopus.

Quod non omnes poſit. ſint Epiſcopi Benedictini in præſenti tractatu. Cap. LX.

QVOS non ſine magno labore ex hiſtoriarum latebris Archiepiſcopos, & Epiſcopos Benedictinos eruimus, en tibi benigniſſime lector proferimus. Plures tamen fuiſſe de quibus nulla in præſentiarum mentio facta eſt ſcient illi, qui vel a nobis, vel ab alijs ſcripta legerint: quos omnes non tam ſcriptorum negligentia, quam æmulorum Monachiſmi inuidentia, ſuppreſſos, in ſuperioribus oſtendimus. Et ut fides dicto ſit, exemplo nobis ſint aliquot ſedes Epiſcopales, ut Syracuſana, & Catanenſis in Sicilia, Vabrenſis ſiue de Lauaur, & Sarlatenſis, in Aquitania, Vuintonienſis, & Vuigornienſis, in Anglia, & Othomenſis in Suetia: (quas omnes Ordinis Diui Patris Benedicti fuiſſe, auctor eſt D. Hieronymus Pauli Barchinonenſis, litterarum Apoſtolicarum Vicecorrector, in ſuo omnium eccleſiarum prouinciali, Romæ, anno 1493. excuſo in 4. cuius exemplar in Bibliotecha monaſterii S. Mariæ de Pratalea ordinis S. Benedicti, congregationis Caſinenſis, non procul a Patauio reperitur) ad quas regendas, nullus aſſumi poterat, qui Regulam eiuſdem patris expreſſe profeſſus non fuiſſet. Eiuſmodi fuit & Eccleſia Metropolitana Montis Regalis in Sicilia, vt in hiſtorijs legimus. Hæc quamuis Ordinis Diui Patris Benedicti, ſicut & cæteræ, extiterit, pauci nihilominus admodum, tam illius, quam aliarum ſedium Epiſcopi ad nos perlati ſunt, ut ex eârum catalogo uidere eſt. Et adeo pauci, ut

etiam Sarlatensis,& Othomensis sedes ad nos uacuæ redierint, vt ferè & Aragoniæ,ad quas gubernandas communi Patrum illius tẽporis decreto sancitum esse, ut Episcopi ex monasterio S. Ioannis Rupẽsis (quod tunc sub Regula Patris Benedicti militabat)assumi dẽrent,Ioannes Mariana,Societatis Iesu Theologus in hist.hisp. lib.9.c.5.attestetur, his uerbis: *Biennio post in diui Ioannis Rupensis, Ramiro Rege præsente, Concilium Episcoporum fuit ad septimum calendas Iulii,Sanctii Aragonii, Sanctii Pompelonensis, Garsiæ Naiarensis, Arnulphi Ripacurtiensis,Iuliani Castellensis,Pontij Ouetensis, atque aliorum Episcoporum magno numero.In eo concilio a Sanctio maioribus superioribus annis factum decretum, vt Aragonij Episcopi ex eius cœnobij Monachis legerentur, communi Patrum consensu sancitum est.* Hæc Mariana, ex cuius uerbis colligimus Episcopos ex monachis Ordinis Diui Patris Benedicti plures ad Aragoniæ Regni sedes moderandas assumptos fuisse, etsi senarium numerum uix attigerimus, iniquitate temporis sic permittente.Et inde arbitror euenisse ut in secunda impressione Practicæ cancellariæ, cui adiunctum est, & Prouinciale omnium ecclesiarum præfati D.Hieronymi Pauli,quæ facta est Lugduni anno Domini 1549. in 16. & in tertia similiter, Venetiis anno 1572. in 8. verba illa quæ in prima impressione reperiuntur, *Ordinis Diui Benedicti*, ex toto abrasa fuerint; uel, uti in præcedentibus dixi, odio Monachismi; uel certe quod eiusmodi Episcopatus pro maiori parte Ordinis nostri amplius non sint, ipsis monasterijs cum eorum redditibus Episcopatibus iam annexis & incorporatis. Nam ut testantur Matthæus Paris, & Vuestmonasterienſis, alijque nonnulli Anglici scriptores, qui de Episcopis Angliæ ex professo tractant, illius temporis Episcopi non in Palatijs,& amplis ædificiis,vt ferè nunc,habitabant,sed in cœnobijs,cõmunibus Monachorum uictu, & vestitu, contenti; unde factum est ut ab aduentu Sancti Augustini in Angliam, usque ad annum 1200. quo seculo Ordines Mendicantium suscitati sunt, tam multi reperiantur Monachi ad Episcopatus Anglicanos regendos assumpti. Idipsum in Germania obseruatum tempore Caroli Magni, Ludouici Pij,& Othonis primi Imperatorum, testatur Petrus Cratepolius de Episcopis Germaniæ:& Catalogi sedium Germaniæ id abunde demonstrant,in quibus,ut plurimum,primi illarum sedium Episcopi,ex choris Monachorum referuntur assumpti. Idque non de Germania tantum,sed & de aliis quoque prouincijs, & sedibus opinandum est: nam,vt uerum fatear, per totum Occiden

tem

tem vix vnum crediderim Episcopatū supereſſe qui ex ordine Diui Benedicti assumptum, vel vnius ad minus non habuerit Episcopum, cum ecclesiæ nonnullæ (vt dictum est) multo complures habuerint. Nec mirum videri debet quod aliquot posteriores sedes pauciores habuisse legantur, cum fundatione sint recentiores. Eas tamen habuisse plærosque, docet sedes Audomarensis his nostris temporibus fundata, sed quorundam scriptorum negligentia, ne dicam displicentia, minime expressos crediderim. Et ita quoque erga aliarum diœcesium Episcopos actum videmus & dolemus, quorū uita & res gestæ, professionisque tituli, perfunctoriè nimis litteris commendata sunt, quod non sine iactura Ordinis Monastici experimur. Quarum omnium sedium catalogi, si integri & probati ad nos peruenisset, maiori quoque cum integritate & fide præsens tractatus in publicum prodijsset.

De scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis S. Benedicti Nigrorum, quorum,

Sapientiam narrant populi, et laudes eorum pronunciat omnis Ecclesia Sanctorū. Ecclesiast. C. XLIIII.

Cap. LXI.

VT finem tandem huic secundo libro imponamus, quinto loco nunc agendum est de Doctoribus, & scriptoribus illis Ecclesiasticis monachis, qui ex infinita quodāmodo multitudine ad nostram notitiam peruenire potuerunt. Nam si historicis credendum est feruntur fuisse tā in dignitatibus constituti, quam monachi simplices, viri graues quindecim millia scriptis & eruditione celebres, absque ijs qui postremo hoc nostro seculo floruisse perhibentur; quorum omnium typus repræsentatur in illa Abbatum turma quæ ad dexteram S. P. N. Benedicti, statim post Episcopos, in ipsius montis ascensu collocata cernitur. Quantum namque a principio Ordinis, usque ad tempora Gregorii IX. Papæ, per octingentos continuos annos, doctrina & sanctitate Ordo noster radiarit, testis est Sancta Mater Ecclesia passim ex filiorū suorum Benedictinorum fructibus sustentata & ornata: testes & Hæreseon tam præteritarum, quam præsentium auctores, ita sancto

rum monachorum ſana,catholica, & irrefragabili doctrina uicti & attriti, ut mutire uix audeant: Teſtes & hiſtoriarum ſcriptores, qui Doctorum noſtrorum nominibus ſcripta ſua non modicum illuſtrarunt. Horum omnium adumbratam quandam notitiam ſi quis expetat,ſcripta tam ueterum,quam recentiorum perlegat, & vnde animum ſuum paſcat abundè reperiet. Antiquiores erunt S. Venerabilis Beda,Leo Oſtienſis,Petrus Diaconus, Philippus Bergomenſis,Faſciculus temporum,Vincentius Beluacenſis,& S.Antoninus Archiepiſcopus Florentinus: Recentiores vero, D.Ioannes Trittemius Abbas, in omnibus fere operibus ſuis, Petrus Meſſias Hiſpanus, egregiam de Ordine monaſtico Benedictino laudem pro meritis,in libro ſuo de uitis Imperatorum;F.Ioannes Rioche in compendio hiſtoriæ eccleſiaſticæ:D. Gilbertus Genebrardus in ſua chronologia; & Hieronymus Plata ſocietatis Ieſu,de bono ſtatus Religioſi.lib.2.cap. 32. Nec mirum ſi tot præclaros viros Ordo protulit,cum tunc temporis,vt diffuſe narrant Trittemius in chronico Hirſaugiæ; Auctor libri de monaſterijs Germaniæ,& Gonſaluus Illeſcas lib. 4.hiſt. Pontif. omnia cœnobia eſſent Gymnaſia, & omnia Gymnaſia cœnobia.Nuſquam enim eò tempore per Germaniam,Galliam,Italiam,& Angliam,inſtituta litterarum fuerant Gymnaſia,imo & aliquot poſt ſeculis Academiæ,vel(vt aiunt) Vniuerſitatis nomen illuſtre,in omni penè Occidentis imperio incomperſum fuerat.Præter enim Romanum uetuſtiſſimum, & Pariſienſe. ac Papienſe tunc noua,vtpote Caroli Magni, & ſucceſſorum eius, iuſſu,ope,& auctoritate,per noſtros Doctores Monachos fundata, nullum in hiſtoriis aliud uniuerſale legimus extitiſſe ſtudium.Particularia uero multa fuiſſe in monaſteriis noſtris, uidere eſt in Chron.Hirſaugiæ.Trittemii. Sigeberto de uir.Ill.c.172.& Lamperto monacho qui in quodam tractatu de Abbate Meginhero de ſtudio monaſterii ſui Hirfeldēſis ſcribit in hęc uerba. *Quid dicam de ludo ſcholari. Vbi adeo circa illud tempus ſtudium flagrabat, vt ex alijs etiam monaſterijs quoſcunque feſtinæ ſpei tyrunculos diſcendi cauſa illo tranſmitterent, & mater Hirueldia vbique odorem noticiæ ſuæ diffunderet;nobilitate filiorum in laribus philoſophiæ,a tenero (vt aiunt)ungue obſeruatorum.* Floruit itaque illa ætate ſapientiæ ſtudium in cœnobiis Germaniæ,Galliæ,Hiſpaniæ,Italiæ,Angliæ,in quibus monachi & Abbates claruere in omni ſcientia doctiſſimi,qui & multa præclara ad utilitatem legentium,& fidei defenſionem,carmine & proſa ediderunt opuſcula,quæ uſque in præſens extant,& extabunt in ſalutem,

salutem, per secula, credentium. Proinde Reges & Principes, cæteti-que nobiles ad discēdum Dei timorem cum litteris, liberos suos monachis intra claustra tradiderunt instituendos: quorum plæri-que manentes sub regula disciplinæ magisterio in uiros creuerunt sanctissimos: alii per parentes reuocati moderatores Reipublicæ summi & prudentissimi facti sunt. Patet hoc in Beatis Mauro, & Placido, itemque Fausto & Marco poeta, Sanctissimi P.N. Benedicti discipulis. Patet in Remigio, Beda, Alcuino, Rabano, & multis aliis, qui a parentibus Deo oblati, ab ipsis penè cunabulis inter studia sacratiora sunt educati. Exemplum nobis sit Angelicus ille doctor S. Thomas Aquinas, qui in monasterio Casinensi sub sanctorū monachorum disciplina ita eruditus est, ut postmodum nouū Prædicatorum ordinem ingressus in Doctorem fidei orthodoxæ profecerit nominatissimum. Et ita in Sanctitate & iustitia, necnon disciplina monastica, alij mille profecerunt, vita & doctrina clarissimi: qui in tanta veneratione a Regibus & Principibus sunt habiti; ut lege & communi decreto cautum fuerit apud Gallos, Anglos, & Scotos, monasteria, in primis uero & præ cæteris San Dionisianū, Albanense, & Santandreanum, quasi communem thesaurum & receptaculum debere esse, ubi reponerentur, ac fideliſſimè reseruarentur omnia historica gesta illius regni, & quæcunque memoria ac fama digna essent, verè possent & memoriter statim expedire. Pro grauiori testimonio huius antiqui & perueteris moris in Anglia, memoriæ mandatum est ab illo qui scripsit Scotichronicon. lib. 6. c. 39. *Statutum est (inquit) conuenienter in Anglia, quod vnumquodque monasterium a Regibus fundatum, haberet de ipso loco suum certum scribam vel scriptorem, quo omnia notabilia tempore Regis, saltem in Regno, vel è vicinis contingentia, secundum quod veritas facti se haberet, cum data annotarentur; ad proximum generale Concilium, post obitum Regis, omnes illi Chronographi conuenirent, & sua uerè dicta, siue scripta, in medium producerent, & delectis a Concilio sagacioribus, & in talibus peritis & expertis, scripta examinarent, & diligenti habita collatione, de congestis summarium extraherent, & chronicam compingerent, ac in cœnobicis archiuis librariorum pro autenticis chronicis, quibus fides daretur, scripta reponerent, ne temporum labilitate memoriæ gestorum in regno deperirēt.* Hęc ille. Hic mos quam egregie continuatus, & studiose obseruatus sit a pluribus cœnobitis, docent infinitæ penè historiæ, & chronica, quæ ex Monachorum schola proderiunt, & præmanibus omnium quotidie uersantur, ut sunt Chronica, Si-

geberti monachi Gemblacensis;Mariani Scoti,Fuldensis,Hermanni contracti,Augiensis ; Reginonis,Abbatis Prumiensis;Lamberti Scafnaburgensis, Hirsfeldensis ; Anastasij Bibliothecarij, Leonis Ostiensis,Petri Diaconi,Casinensium; Dodechini, Abbatis S. Disibodi;Roberti, Montensis ; Roberti, Remensis; Ioannis Trittemij, Abbatis ; Annonij,seu Aimonii,S.Germani; Helinandi,fontis frigidi;Matthæi Paris,Albanensi; Matthæi Vuestmonasterienſi;Thomę Vualsinghamii,Albanensi;Vuitichindi,Corbeiensis;Ottonis S.Blasii;Guntheri Ligurini,S.Amandi;Pauli Langii,Bozauuiēsis,& aliorum infinitorum Monachorum, qui in hoc præclaro scribendi genere,laudem omnem aliis præripuerunt:in quo certe ita eorum diligentia enituit, ut qui historias, & maxime antiquiorum, legere uoluerit, uix aliorum nomen inueniat quam monachorū.De Theologia, & aliis scientiis quid referam?Habuit enim Religio Benedictina in quo gloriari possit & uerè debeat, citra alterius iniuriam. Habuit in omni ætate suos Marones,Homeros,& Ciceroues;etiā si defuerint illi Mecænates.Habuit & suas bibliothecas loquentes,atque (ut ita dicam) apes aureas. Habuit & in arcanis sacrosanctæ Triadis enodādis, & diuinitatis ineffabilibus sacramentis elucidandis,suos Augustinos,& Hieronymos, ita ut uerè de illa dici possit in ea illam disciplinarum pene omnium fuisse intelligentiam,quam olim in Catone Cicero ipse in Academicis, lib.1.ingenuè agnoscebat. Quod eo magis in illa admirandum est, quoniam ueteres illi Monachi de industria sese a litteris remouebant, quo se totos in una rerum cœlestium contemplatione abderent:ut de S.P.N.Benedicto,narrat Gregorius.Sed tamen neque illo tempore, neque unquam defuere in ea eruditi. Et ut quasi cursim omnem Religionis Benedictinæ ætatem ab initio inspiciamus, ut eorum multitudinē & copiam uideamus,qui in doctrinarum studiis magni fuerunt,inter innumeros multiscia eruditione probe instructos monachos, præ cæteris (de antiquioribus fermo est, recentiora namque contrectare ausi non sumus multorum offensione uitanda) excelluerunt S.Gregorius Magnus, in quo inuenies & demiraberis facilitatem ;in Bercorio,simplicitatem ; in Blosio,sanctitatem ; in Cassiodoro,elegantiam;in Anselmo,candorem; in Rabano,ingenium; in Trittemio,uarietatem;in Paulo Diacono,acumē,in Radulpho,eruditionem.Dicit Sigebertus diligēter,Marianus leniter, narrat aperte Contractus,eloquitur grauiter Ligurinus, appositè Folengius, Clarius luculenter,Panhormitanus scitè, Ferdinandus splendidè,

Cortesius

Corteſius apertè,acutè,& nitide. Ioachimus Perionius,philoſophicè,cuius incude expolita iam pure loqui didicit Philoſophia.S.Bernardi caſto ſermone, Theologia melle dulcius concionatur;litteratura Dionyſii,& Gereberti,Matheſi rubiginem deterſit.Conſtantino Duce Medici,& cũ eloquẽtia morbos curant.Prœeunte Aretino, omnes muſicæ partes cantabunt.Quid de Laureto Hiſpano qui tot ſingularia laboriosè in ſua ſilua in unũ coniecit?Quid de uenerabili illo Beda,qui alter Ptolomæus in coſmographia,alter Alcabitius in aſtrologia,alter Cicero in arte dicendi,alter Bias in philoſophia, alter Liuius in hiſtoria,dici poteſt? & unum dicere non pigebit,quod nec maiorem, nec parem recipit Benedictina Religio, nec ſimilis inueniri poteſt. Nec tamen ſingulis has ſolas uirtutes ineſſe exiſtimo,ſed his inſigniores, cum nemo ex eis & proſa & uerſa oratione nõ polleat.Nemo itẽ quin ſit aut Medicinæ,aut philoſophiæ,aut Iuris,aut Theologiæ conſultus,oẽs ferè atticiſſantes,pleriq; Hebraicè periti & Caldaicè, & multi eorum Græcam linguam tanquam materiam habentes.Quorum omnium quare non potuerimus memorias perſequi, duo potiſſimum in cauſa fuere, unum, quod ob quorundam humilitatem,qui non ad ambitionem,nominisque ſui famam perpetuandam (quod multi faciunt) ſed ad gloriam Dei, & animarum ſalutem ſcribebant,cuius amore nominis titulos humiliter pertranſibant,nomina eorum ignoremus:alterum, quod ob inueteratum cucullæ odium,nomina de operibus eorum ab Hæreticis, & æmulis abraſa fuerint, ne partus monachorum agnoſcerentur. Licet enim Monachiſmus ſemper obtrectatores ſuos habuerit, ut rectè prodiderunt Hieronymus in pluribus locis, & Chriſoſtomus in illo præclaro uitæ monaſticæ clypeo,& alii antiquiores,nullos tamen potentiores expertus eſt æmulos, quam hoc noſtro ſeculo,apud quos in tantum uileſcit Monachalis auctoritas, ut pleriq; hoc ſolo intuitu a librorum quamuis optimorum lectione abſtineant,quod Monachi nomine prænotentur. Nec defuit aliquando quidam cucullomaſtix acerrimus,qui in deteſtationem atque derogationem monachorum,S.Gregorium Pontificem Romanum,eius nominis primum,Sacroſanctæ eccleſiæ doctorem præſtantiſſimum (ſicuti & complures alios) ſcripſerit dementiſſimè nunquam fuiſſe monachum, vt opera tanti Patris in dubium reuocaret. Cuius inſcitiæ & detractioni ſatis copioſe & acriter, hortatu ac inſtantia Ioannis Trittemii Abbatis viri vndecunque doctiſſimi,F. Paulus Iangius monachus Bozauuienſis, & eiuſdem Trittemii diſcipulus bi-

lus, bipertito, ad omnium clauſtralium defenſionem reſpondit opuſculo. Idipſum agere conatus eſt de S. Ludgero, congeſtor, ille rerũ geſtarũ. Epiſcoporũ Monaſterienſium, ſed fruſtra. Hoc vano timore perterriti nonnulli, graues alioquin & ſummi noſtrę ætatis viri, profeſsionis Monachalis titulos libris a ſe editis præponi non paſſi sũt, hoc prætextu, ne ab æmulis cum aliorum Sanctorum Monachorũ opuſculis, reiicerentur. Rectè, an malè fecerint iudicent alii: certè quod ad me attinet hoc factum laudare aut probare, nec uolo, nec ualeo. Tenetur enim monachus ut filius, Religioni, tanquam matri ſuæ in obſeruantia mandatorum Dei regeneratrici, quantum nec perſoluere poſſit, ex beneficio ſi gratus fuerit, addo etiam ex delicto ſi ingratus. Quod ſi propria excæcatus philautia minimè agnoſcat: non tamen minus, imo vero auctius & amplius obligationis vinculo conſtringetur, gemino ſcilicet nomine, recepti nempe nec vlla gratitudine repenſi beneficii. Quales autem præſtare ſe habeant, Monachi Benedictinæ matri, exemplo ſunt prædeceſſores noſtri Sanctiſſimi & doctiſſimi viri, quibus adeo familiare ſemper & honorabile Monachi nomen fuit, vt proprio nomine reiecto eo ſolo ſe prænotari ac dénominari gauderent, ad omnia extrema toleranda parati, potius quam ex animi vilitate, & ingratitudinis notam incurrere, & ſanctum nomẽ ſemel acceptum, quo mediante in magnos uiros euaſerant, relinquere: imo adeo quibuſdam gratum fuit & amicum, vt amplis ædificijs & facultatibus contemptis, honoribusque non infimis poſthabitis, ad monachalia exercitia recolenda ſint reuerſi. At non ita euenit præfatis ſuperbiæ uento tumidis, quibus tantum uileſcit monachalis humilitas (q̃ ſuos tamen ex humilibus altos facere conſueuit, ut quidam eorum experti ſunt, qui ſi monachi non fuiſſent, ignoti forſitan & ſine nomine in ſeculo remanſiſſent) ut ſi poſſent etiam cum nomine, veſtem quoque monachalem libentius dimitterent, & quod alij Sancti Viri, & Docti honorificum, & glorioſum reputant (ut uidere eſt in ſectatoribus Sanctorum Auguſtini, Dominici, Franciſci, & ſocietatis Ieſu Patribus, alijſque religioſis, qui iuxta Concilij Tridentini decretum, profeſſionis & conditionis ſuæ titulos operibus ſuis præponunt quam diligentiſſime) hoc iſti impurant ignominiæ. Sed hęc parergõ. ad reliqua enim explicanda ueniendum eſt. Mirabitur enim fortaſſis aliquis, & iure, cur nonnullos Domni, alios Nonni, reliquos Fratris, quoſdam Patris, cæteros Calogeri, prænominibus adornem, cum illud in præcedentibus Summis Pontificibus, Cardinali-

nalibus, Archiepiscopis, & Episcopis omiserim, unica appellatione Domni retenta. Abbatibus namque iuxta S. P. N. Benedicti decretum, Domnum, præposui: Sacerdotes quosdam secundum congregationum diuersitatem, nunc Domnos, ut Casinensis Congregationis, quæ aliàs fuit Sanctæ Iustinæ, monachos; nunc Nonnos, ut Cluniacensis reformationis, Giribennæ, & cœnobitas monasterii Casinensis; nunc Fratres, ut Bursfeldensis, Melitensis, & aliarum eiusmodi Congregationum Religiosos, denominare uolui. Græci, si qui sint, Calogeri prænomen gerunt. Reliqui in minoribus constituti, qui Sacerdotio initiati non fuerunt, Fratris denominatione cognoscuntur. Illis autem qui ab Ecclesia pro Sanctis sunt habiti, Sancti titulum apposui, aliis quibuscunq; prænominibus omissis. Et ut res aliquo exemplo, & auctoritate firmetur, S.P.N. Benedictum, cap. 63. suæ Regulæ sic loquentem audiamus: *In ipsa appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare; sed priores iuniores suos, Fratres, nominent; iuniores autem priores suos, Nonnos, vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem, quia vices Christi agere videtur, Domnus & Abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.* Hæc ibi. Quæ consuetudo talis denominationis inuiolabiliter obseruata est in monasterio Casinẽsi per annos amplius quam octingentos, ut ex cerimonia pronunciãdi officiales hebdomadarios per D. Bernardũ Abbatem anno 1282. defunctum facta, quam ex monasterio Casinensi accepimus intelleximus, quæ est in scamno 12. ad sinistram in hunc modum:

Cærimonia Sacri monasterij Casinensis, facto per D. Bernardum Abbatem Casinensem.

Vicarius ordo postulat, ut in hac futura hebdomada canat Nonnus Amicus Missam, Epistolam frater Desiderius legat. Euangelium, Responsorium & versum, Frater Vincentius canat. Lectionem memoriter Frater Thomas legat; Lacernam Frater Andreas procuret; Coquinæ seruitium Nonnus Remigius, cum Fratre Machario faciat; Lectionem ad mensam frater Antonius legat; ad Collationem uel ad Capitulum, frater Maurus Legat: ad seruitium ecclesiæ Nonnus Iacobus, cum Fratre Basilio, ministerio succedat. Hæc Bernardus. De Venerabili Beda, qui sub Congregatione Giribenna uixisse perhibetur, & de prænomine, Non ni ipsi attributo, agit Trittemius de uir. ill. ord. S. Bened. lib. 3. cap. 155.

Idem

Idem in aliis congregationibus obseruatum, testantur nonnulli historiarum Scriptores, ut Cæsarius illust. mirac. lib. 3. c. 33. de Cistertiensibus: Chron. Cluniacense MS. & Cærimoniale eiusdem cõgregationis, de Cluniacẽsibus, & cœnobiis sibi subditis. Trittemius, in Chron. Hirsaugiæ, & in tractatu de ruina nostri Ordinis, & alibi, de Melitensibus, & Bursfeldensibus, & alii, de alijs. Denominationis que huius usus iam adeo inualuit, præcipue in partibus Galliæ & Flandrię; in quibus usitatiori uocabulo Sãctimoniales, *Nonnes*, siue *Nonnettes*, a uocabulo Nonnus, uocantur, ut dubitationi locus nullus relictus uideatur. Qualis præterea congregationis quotusquisque fuerit, in quantum licuit diligenter annotauimus, & si aliquando dubitatum, illud potius sub silentio præterire maluimus quam nostra auctoritate aliquid definire, ne postea retractatione indigeat. Breuitati studentes, longiores elogiorum narrationes ex industria prætermisimus, nomina, cognomina, patriam, & tempora quibus uixerunt assignasse, satis esse arbitrati. Si quis plura requirat, sunt scriptorum ecclesiasticorum catalogi, vt Sigeberti, Trittemii, Sixti senensis, & aliorum, qui consuli poterunt. Auctores qui de eis meminerunt, vel agunt, sicut in præcedentibus actum, & in subsequentibus fiet, non adducimus, quod superfluum uidere tur, cum opera ipsorum, & assignatio ubi excusa sint, uel MSS, reperiantur, pro auctoritate sint. Scriptores ecclesiasticos præpositos, aut postpositos, a præsenti tractatu abesse uoluimus, ne una persona bis, uel ter repetita fastidiũ generet. Ordo dispositionis, facilior, Alphabeticus. Si quid prudenter, aut recte positum Deo Opt. Max. & Sanctis nostris, quorum causa hic labor susceptus, laus & gloria, si quid uero male uel indiligenter dictum, impossibilitati, non uoluntati, quæ maxima in nobis fuit, donetur.

Scriptores Ecclesiastici incipientes ab Literra, A.
Cap. LXII.

OMNVS Abbas Vercellensis, cuius nomen hactenus ignoratur, ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacensis, uir eruditionis ac religionis summę, floruit anno Domini 1400. Scripsit inter alia,

Expositionem in cantica canticorum, secundum sensum Anagogicum.

Para-

Paraphraſes in Dionyſium Areopagitam.

Domnus Adam Abbas de Perſema, Cong. Clunia. vir pius & deuotus, ſcripſit

Sermones ad fratres lib. 1.

De ſanctis & diuerſis materijs lib. 1. Et alia quædam.

Floruit ut ex ratione temporum paret, anno Do. 1050. uel circiter.

Domnus Adalbero Germanus, comes a Diligen, monachus, & Abbas Eluuangenſis. 12. congreg. Luxonienſis, ſcripſit uitam S. Hariolphi primi Abbatis Eluuangenſis. Obiit anno 922.

S. Adamannus, Scotus, Coludius, monachus & Abbas monaſterij inſulæ Huenſis in Scotia, congregationis Benchorenſis, floruit anno 690. ſcripſitque.

De locis terræ Sanctæ lib. 1.

De paſchate epiſtolas.

De vita S. Columbæ monachi, & conf. lib. 1. cuius initium eſt, Beati patris N. Chriſto ſuffragante vitam deſcripturus. Eſt MS. ad S. Gislenum.

Domnus Adelphus monachus & Abbas Ordinis S. Benedicti. Con... ...Scripſit.

Sermones ad Fratres lib. 1.

Contra Saracenos. lib. 1.

Frater Adreualdus, qui & Albertus, & Adeuuertus, Gallus, monachus monaſterij & cong. Floriacenſis iuxta Aurelios in Galliis, qui floruit anno 890. ſcripſit a tempore translationis corporis S. P. N. Benedicti ad cœnobium ſuum, uſque ad ſua tempora.

Miraculorum Sancti Benedicti, lib. 1.

Domnus Adrianus, monachus & Abbas Congregationis Caſinenſis, aliàs Sanctæ Iuſtinæ de Padua, ſcripſit Paraphraſticam expoſitionem, ſeu translationem in pſalmos, quæ ſic incipit, Accipe mi Chriſtiane Lector: & epiſtolas duas, quæ ſunt ſimul cum expoſitione ſua apud D. Angelum a Carpenedulo, monachum Cæſenatenſem, MSS.

S. Aegidius Græcus, monachus & Abbas in Gallia, Ord. S. Benedicti Cong. Gallicæ Granofolienſis, quæ & Floriacenſis, qui floruit ſecundum aliquos anno 590. ſecundum alios an. 700. Scripſit opus inſigne carmine.

De pulſibus, lib. 1. Excuſi Lugduni anno 1505.
De venis. lib. 1. & Baſileæ anno 1529. in 8.
De vrinis. lib. 1.

Frater

Frater Agilbertus, Germanus, monachus & Prior monasterij Sanctorum Vdalrici & Afræ Augustæ, congregationis Bursfeldensis, scripsit sub Maximiliano. I. Cæsare, vitam & miracula Sancti Simperti Episcopi Augustæ, quæ est excusa in 4. sed ubi nescio.

Frater Aimonius, siue Annonius; vel Ammonius, seu Haimoneus, & Haimonus, Gallus, monachus monasterij, & congregationis Floriacensis, qui floruit anno 990. scripsit.

De inuentione, siue translatione S. Vincentij Leuitæ & martyris, lib. 1. qui est MS. Laubijs.

De miraculis S. Benedicti. lib. 1.

De miraculis S. Germani Episcopi. lib. 1.

De origine & gestis francorum. lib. 5. excusi Parisijt an. 1514. in fol. item Lugduni, & Parisijs 1567. in 8. Impressus item sub nomine Anonymi monachi Benedictini Coloniæ 1562. in 16. a capite 58. libri quarti, ad finem usque eiusdē libri, id est ab anno 741. ad 829.

Frater Alalphus, siue Alulphus, Belga, Neruius Tornacensis, monachus Benedictinus, ex operibus Diui Gregorij collegit, Opus exceptionum in nouum testamentum, quod inscribitur Gregorianum, excusum Parisijs, in 4.

Domnus Alanus Anglus, monachus & Abbas monasterij Tenkesbyriæ in Anglia, congregationis Cluniacensis, qui uixit circa annum 1200. scripsit.

De uita S. Thomæ Archiepiscopi & martyris lib. 1.

Domnus Albertus Germanus, monachus, & Abbas monasterij Stadensis, deinde relicta Abbatia religiosus Franciscanus, qui floruit anno 1250. scripsit dum esset Abbas Chronicon a condito orbe, usque ad annum 1256. deductum, nunc primum typis excusum Helmstadii anno 1587. in 4. cum scholiis & annotationibus marginalibus cuiusdam Hæretici, quem ideo non nomino, & hac de causa caute legendum, nec omnibus passim permittendum censeo.

Domnus Albertus monachus Lobiensis, & postea Gemblacensis monasterii Abbas, Congregationis Cluniac. qui floruit anno 1000. magister S. Burchardi Episcopi Vuormacensis, scripsit.

Vitas sanctorum plurium lib. 1.

Cantus in honorem sanctorum.

Frater Albertus monachus Metensis cong. Cluniacensis, Gallus, qui floruit anno 1030. scripsit.

Historiam sui temporis. lib. 1.

Dom-

Domnus Albertus, Patauinus, monachus, & prior montis vinearum Patauii, congregationis Cluniacensis, anno Domini 1230. scripsit uitam Beatæ Beatricis Atheſtinæ, Gemmulæ Sanctimonialis.

Sancta Aldegundis ſanctimonialis, quæ uixit anno 700. compoſuit.

De Vita S. Amandi Epiſcopi. lib. 1.

Domnus Alexander, monachus, & Abbas ſecundus monaſterii S. Saluatoris Aquiſcincti, congregationis Cluniacensis, anno Domini circiter 1100. prædeceſſoris ſui geſta ſcripſit, ſcilicet.

De Vita Beati Goſuini Abbatis lib. 1. qui aſſeruatur MS. Aquiſcincti.

Frater Alexander, Anglus, monachus Cantuarienſis Cong. Cluniacenſis qui floruit anno 1120. ſcripſit.

De dictis S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi librum in capit. 19.

D. Aleſſander, Celeſinus, monachus & Abbas, ordinis S. Benedicti, ſcripſit.

De geſtis Rogerii Siciliæ Regis, cuius fuit æqualis hiſtoriarum. lib. 6.

Calog. Alexander monachus, in liberalibus artibus haud mediocriter eruditus, ſcripſit ſermonem hiſtoricum de inuentione S. Crucis; qui extat Romæ MS. græcè.

Domnus Alexius Hugo Brixianus, monachus Brixianus, congre. Caſ. al. S. Iuſtinæ, qui floruit anno 1530. ſcripſit.

De ſolitudine dialogum unum, excuſum Venetijs anno 1545. in 4.

Sanctus Algerus Belga, Scholaſticus primum Leodienſis, deinde monachus monaſterii, & congregationis Cluniacensis, qui ſub S. Petro Mauricio Abbate, mortuus eſt, cum habitum ſuſcepiſſet monaſticum a S. Patre Hugone, ſcripſit, vt erat uir doctiſſimus.

De Sacramento Altaris, lib. 3. qui excuſi ſunt Coloniæ, anno 1535. in 8. Louanii, cum Lanfranco, & aliis, anno 1561. in 8. & Pariſiis in Bibliotheca SS. Patrum Margarini de la Bigne, anno 1576. in folio.

De gratia, & Libero arbitrio. lib. 1.

De miſericordia, & iuſtitia, lib. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

Claruit ab anno Domini 1050. & quod excurrit.

Anno-

ANNOTATIO.

Ioannes Trittemius Abbas in libro de script. eccles. & de vir. Ill. ord. S. Ben. lib. 2. c. 90. & nonnulli alii qui eum sequuntur, dicunt Algerum monachum fuisse Corbeiensem in Saxonia; at eos errare demonstratur, cum ex titulo libri ipsius Algeri, impressi Louanii 1561. ubi uocatur Monachus Cluniacensis: tum etiam ex auctore chronici Cluniacensis, qui apud me est MS. qui sic de eo loquitur: Tempore S. Hugonis, vsque ad Petrum Cluniacensẽ, vixerunt Religiosi religiosè, Heselon, Theselinus, & Algerus, in hoc Cluniacensi monasterio, qui fuerant Canonici in ecclesia Leodiensi, magni suis temporibus magistri: *et paulo post*. Algerus uero ut idem Petrus Cluniacensis in libro miraculorum suorum scribit, erat ut de beato Iob dicitur, uir simplex, & rectus & recedens a malo: cui sæpe Dæmones insistebant, & ipsum in monasterio perturbabant: unde præfato Abbati suo sæpe conquerebatur, sicut latius hæc continentur in 117. capitulo miraculorum ipsius. Hic ab ipsa infantia, totum se litterarum studio tradens, sub clarissimi uiris, quorum scientia, & honestate morum tũc temporis Leodiensis fulgebat ecclesia, & Francia illustrabatur, nobiliter floruit, adeo ut nulla ei Christianę fidei regula crederetur incognita. Hic post obitum Frederici Episcopi Leodiensis, cum rebus abundaret, & firmo corpore, & integris sensibus plurimum ualeret, ordinatis rebus suis, nudum Christum, nudus sequens, arctiorem, & ideo feliciorem vitam sub Sancti Benedicti regula aggressus est in Cluniacensi cœnobio, non sine magno Sanctæ conuersationis & doctrinæ præconio. &c. *Et post modum operibus eius recensitis, sic de eo concludit*. Hic erat subtilis ingenio, facundus eloquio, in proposito stabilis, & quod his omnibus præciosius existimabatur, erat tam fide, quam doctrina catholicus. Hic etiam iam senex, presbyter ordinatus est, & ferè per decem annos religiosè conuersatus, bonam quam & in clericatu duxerat uitam, felici obitu terminauit. *Hæc ille. Corrigendus ergo uenit Tritt eius, sequaces cauendi*.

Frater Almannus, Gallus, monachus Altuillarensis cœnobij, Congre. Luxouiensis, qui floruit anno 890. composuit exemplo Hieremiæ prophetæ, quadruplici alphabeto monasterii sui & totius Galliæ desolationem a Normannis factam, id est,

Desolationem prædictam, lib. 1.
Vitam S. Viuardi Episcopi. lib. 1.
Vitam S. Syndulphi Episcopi. lib. 1. Translationem eiusdem S. Syndulphi, lib. 1.

Vitam

Vitam S.Helenę Augustæ.lib.1.extat MS.ut refert Molanus

D.Alphonsus Vilagut,Neapolitanus,Campanus,monachus monasterij S.Seuerini,Cong.Casall.S.Iustinæ, viuit nunc huius congregationis Prior, scripsit

Practicam canonicam criminalem: excusam Bergomi anno 1585.& 1586.& Francofurti 1588.in 4.

De vsuris tractatum diuisum in quæstiones 55.impressum Venetijs anno 1589.in folio.

Item & vulgari idiomate scripsit, Guida e Thesoro de tribulati in tre parti, Stampato in Venetia l'anno 1587.in 12.

Nonnus Ambrosius Ansbertus, Gallus, monachus Benedictinus,qui floruit anno Domini 890.scripsit:

In cantica canticorum, lib.1. Donum sapientiæ.

In psalterium, lib.1.

In Apocalipsim, lib.10. excus. Coloniæ anno 1536. in fol.

De cupiditate, lib.1.

Epistolarum ad diuersos, lib.1.

Do. Andreas Germanus, monachus & Abbas monasterii extra Bambergam, congregationis Bursfeldensis, anno Domini circiter 1500.scripsit uitam s.Othonis.Episcopi, apostoli Pomeranorum.

Domnus Andreas Leucander,Anglus, monachus & Abbas Rameiensis, congregationis Cluniacensis, qui floruit paulo ante annum 1200.Scripsit librum,

De Vita & actibus S. Iuonis Persarum Episcopi in Anglia sepulti, post eius translationem, per Ailuuinum Comitem Ostroanglorum.

Frater Andreas Belga Traiectensis,monachus monasterii S.Martini de Spanheim,congregationis Cluniacensis scripsit tam metro, quam prosa,

Soliloquiorum hominis ad Deum,	lib.1.
De profectu virtutum	lib.1.
De abstinentia carnium,	lib.1.
De usu Floccorum,	lib.1.
Epistolarum ad diuersos,	lib.1.
Collationes varias,	lib.1.

Carmina, & Rythmos,& quædam alia: Obiit anno 1445.

Domnus Andreas Crocquetius,Antonii filius,Belga,Duacensis, monachus & Prior monasterii Hasnonensis, ordinis S. Benedicti Cong.Cluniacensis, & Sacræ Theologiæ Doctor, promotus Duaci

una cum D. Gulielmo Alano Anglo, qui postmodum S.R.E. Cardinalis factus est, scripsit

Catacheses Christianas, impressas Duaci 1575. in 4. & Lugduni 1593. in 4. maiori.

Paraphrases, siue Conciones in septem psalmos pœnitentiales lingua Gallica, habitas Valencenis ad populum: excusas item Duaci apud Ioannem Bogardum in 8.

Obiit Valencenis in Belgio anno Domini 1580. peste.

Frater Angelomus, Gallus, monachus monasterii, & congregationis Luxouiensis, iussu Drogonis Episcopi Metensis, & Ludouici Pii Imp. Fratris eius, quorum temporibus uixit, anno Domini 830. scripsit stromaticam expositionem

In libros Regum, lib. 4. excusi sunt Coloniæ anno 1530. in folio, & Romæ 1565. in folio.

In cantica canticorum lib. 1. excusus Coloniæ anno 1530. in folio.

Domnus Angelus Grillus, Genuensis, Ligur, monachus cœnobii S. Catarinæ Genuæ, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, scripsit uersu Italico, Rythmos spirituales: qui sunt excusi Bergomi anno 1591. in 4. Adhuc superest.

D. Angelus Pria, seu Pietra Genuensis, Ligur, monachus S. Benigni de Genua, congregationis Casinensis, scripsit sermone Italico ad eruditionem computistarum, & Cellerariorum,

De modo se gerendi in scribendis libris Cellerariorum id est, Indrizzo de gli Economi, ò sia ordinatissima instructione da regolatamente formare qualunque scrittura in un libro doppio, qui excusus est Mantuæ in folio, anno 1586. per Franciscum Osannam.

Obiit Casini anno Domini 1590. mense Iulio, & ibidem sepultus est in Cæmeterio S. Annæ.

D. Anianus, Flander Casletensis, monachus S. Vuinoci Bergensis, & Abbas monasterii S. Petri Oudeburgensis, congregationis Cluniacensis, uir doctus & pius, ut eius monimenta prodiderunt, ecclesiam enim nostram a fundamentis reparauit, q̃ ipsis Calendis Maii, anni 1457. per Guglielmum Episcopum Sarepranum Ioannis Episcopi Tornacensis suffraganeum, præsentibus Abbatibus octo, & aliis ecclesiasticæ dignitatis uiris, consecrari fecit: & pergrande uolumen composuit, omnes res gestas præteriti temporis, a principio mundi usque ad sua tempora breuiter, pro rei magnitudine,

dine, & fideliter complectens, prænotatur autem.

Chronicon uniuersale.

Erat in Bibliotheca nostra MS. in membranis, & pulcherrimis picturis adornatum; sed in depredatione monasterii nostri anno 1578. ab hæreticis, ubi deportatum fuerit ignoro.

Frater Angradus, siue Ansgradus, Gallus, monachus monasterii Fontanellæ, congregationis Luxouiensis, qui claruit circa annũ Domini 700. scripsit ad Hilbertum Abbatem de Vita S. Ansberti Rothomagensis Episcopi librum unum, qui excusus est apud Surium Tomo 1. die 9. Februarii, deest tamen prologus qui reperitur in MS. exemplaribus.

Nonnus Anselmus, monachus Remensis, congregat. Cluniacensis, qui floruit anno 1050. scripsit

Itinerarium Leonis Papæ IX. lib. 1.

Domnus Anso, Belga, monachus, & Abbas monasterii Laubiensis, congrega. Gallicanæ Floriacẽsis, creatus an. 776. scripsit ad Theodulphum prædecessorem suum librum unum, de Vita S. Vrsmari Episcopi.

Domnus Antonius Houæus Abbas Echternacensis, scripsit lib. 1.

De statu & conditione nostri temporis, excusus Coloniæ 1565. in 8.

Domnus Arbertus, qui ab aliis Bernardus uocatur, monachus & Abbas cuiusdam monasterii in Gallia, scripsit,

Vitam S. Glodesindis Abbatissæ, quæ impressa est Tomo 4. Surii die 25. Iulii.

Donnus Archangelus de Lonato, monachus S. Euphemiæ, Brixiæ, cong. Casinensis aliàs S. Iustinæ, qui & hodie uiuit, composuit Sacras cantiones, tum in Natiuitate Domini, tum in hebdomada Sancta decantari solitas; quæ excusę sunt Venetiis apud Riciardum Amadinum, anno 1585. in 4.

D. Archangelus a Neapoli, monachus S. Trinitatis Cauæ, cong. Casinensis alias S. Iustinæ de Padua, scripsit Historiam monasterii Cauensis: quæ est in monastetio Cauensi MS. sed adhuc tamen imperfecta.

D. Arnoldus Abbas Lubecensis, scripsit supplementum ad historiam slauorum Helmoldi presbyteri, excusum Francofurti anno 1556. in 4. & iterum ibidem anno 1581. in folio: sed utrumque cauendum, quod in scholiis, & annotationibus marginalibus, & aliis adiunctitiis, multa nefanda sint ab Hæreticis addita.

Frater Arnulphus, monachus Benedictinus, scripsit inter alia metricè In Prouerbia Salomonis, lib. 1.

Nonnus Arnulphus, Gallus, monachus monasterii Cluniacensis, scripsit multas epistolas elegantes, quæ excusæ sunt in decimolibro epistolarum Petri Abbatis Cluniacensis cuius temporibus uixit anno Domini 1130.

Nonnus Acto, monachus Casinensis, Constantini Aphricani discipulus, & S. Agnetis Imperatricis Sacellanus, ea quæ Domnus Constantinus de diuersis linguis transtulerat, limato sermone in linguam latinam transcripsit. floruit anno 1060.

Frater Augustinus Bontemps, Attrebas, Belga, monachus Laubiensis, congregationis Bursfeldensis, qui etiamnum (ut arbitror) uiuit, scripsit carmine Vitas SS. Vrsmari Abbatis, & Episcopi, & aliorum sex Abbatum suicœnobii: & alia nonnulla, quæ asseruantur Laubiis MS. audiui tamen iam excusas esse in Belgio.

Sanctus M. Aurelius Cassiodorus, Rauēnas, Vir clarissimus, Theodorici Italiæ Regis epistolarum magister, Romanæ Vrbis Senator & Consul, deinde relicto sæculo monachus & Abbas monasterii Rauennatis, omnes seculares disciplinas, & maximè eloquentiam in obsequium Christi conuertens, multa de diuinis scripturis interpretatus est, cuius opera omnia; excusa sunt Parisijs anno 1579. in folio, feruntur q; hęc esse: De institutione diuinarum lectionum, lib. 2. cuius prior excusus est cum Bibliotheca SS. Patrum Margarini de la Bigne, Tomo 6. Parisijs 1576. in folio.

Memoriale scripturarum, lib. 1.
In totum Psalterium, lib. 1. excusus Venetiis anno 1527.
In Cantica Canticorum, lib. 1. & Basileæ 1491. in folio: & alibi sæpius.
In acta Apostolorum, lib. 1.
In omnes Canonicas epistolas, annotationum. lib. 7.
Complexionem in Apocalypsim, lib. 1.

Delineauit etiam Sciographiam tabernaculi Mosaici, iuxta exēplar a Mose in 26. Exodi capite descriptum: Composuit quoque,

De vita SS. Paphnutij, & Spiridonis, lib. 1.
De Vita S. Ignatij Episcopi, lib. 1.
De vita S. Marci Episcopi Aretussini, lib. 1.
De vita SS. Antonij, Pauli, & Amos, lib. 1.
De vita SS. Eusebii, Nectarij, & Zenonis, lib. 1.
De vita S. Eustachii Episcopi Antiocheni, lib. 1.

De

De Vita S.Iacobi Episcopi Nisibensis, lib.1.
De vita S.Symeonis Archiepiscopi Seleucię,lib.1.
De vita S.Vrsacii lib.1.

Quæ omnes vitæ excusæ sunt in libro. 1. Tom. 1. de vitis SS. Aloysij Lippomani Episcopi Veronensis. Compendium de quatuor Mathematicis disciplinis,excusum Parisijs.

De scriptoribus ab littera, B. Cap. LXIII.

NONNA Bandomina,Galla,Sanctimonialis monasterii S.Crucis Pictauii, congregationis Glanofolienſis, anno Domini circiter 580. scripsit librum secundum Vitæ S.Radegundis Reginæ, qui excusus est Tomo 4.Surii,die 13.Augusti.

D. Bartholomæus Paruta Patricius Venetus, Abbas S.Gregorii,congregationis Cluniacensis,Venetiis,& cuiusdam loci Episcopus, scripsit eleganti sermone, de uitis Ducum Venetorum, lib.1.floruit anno Domini 1480.

Domnus Bartholomæus de Paternione, Siculus, monachus,S. Nicolai de Arenis Cataneæ,congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, & eiusdem cong. Prior, scripsit uulgari idiomate, & heroico versu,De uita S. Agathæ uirginis & martyris lib. 1. qui excusus est Venetiis in 8.Latino autem sermone. Commentaria in Apocalipsim: & Chronica monasterii sui, quæ ibidem asseruantur MS.Obiit anno 1593.

D. Bauo, Germanus, monachus & Abbas monasterii S. Viti Corbeiæ Saxonicæ, scripsit librum de sui temporis memorabilibus actis.Claruit ut apparet anno 900.

S. Beatus Hispanus, monachus de Valcauado, qui floruit anno 770.scripsit.

Super Apocalipsim,lib.1.
Contra errores Felicis Episcopi, lib.1.

Qui libri sunt MSS.in monasterio S.Isidori in Hispania.

D. Benedictus, Abbas ordinis S.Benedicti, nonnulla scripsit quæ nondum ad meam notitiam peruenerunt,citantur enim quædam eius sententiæ in libello de officio rectoris ecclesiæ, Coloniæ anno 1531.impresso.

Domnus Benedictus Anglus,monachus & Abbas S.Petri de Bur

go in Anglia, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Domini 1090. scripsit:

De Vita & passione S. Thomę Episcopi Cantuarien sis librum unum.

F. Benedictus Barensis Apulus, monachus S. Trinitatis Cauæ, Congregationis Cluniacensis, eximiæ uir doctrinæ, scripsit librum prænotatum,

De septem sigillis: qui est Cauæ MS. in membranis. floruit anno Domini 1220. & quod excurrit.

Sanctus Benedictus Biscopius, Anglus, monachus primum Lirinensis in Gallijs, congregationis Floriacensis, deinde Abbas monasterii SS. Petri & Pauli Londini & congregationis Giribennæ auctor, Magister venerabilis Bedæ, scripsit

Concordiam regularum, lib. 1.

Obiit anno Domini 703. die duodecimo mensis Ianuarii.

D. Benedictus Bonsignorius Florentinus, monachus S. Marię de Florentia, & Abbas Congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, scripsit

Sermones ad fratres lib. 1. excusi Florentiæ in 8.

Obiit anno Domini 1567. die decimosexto mensis Ianuarii, & sepultus est Florentiæ in monasterio suo.

Benedictus de Vua, Capuanus, monachus monasterii, & congregationis Casinensis, qui floruit anno 1570. Scripsit versu heroico vulgari.

Rythmos spirituales, lib. 1.

De cogitatione mortis, lib. 1.

Triumphos quatuor, de Martyribus, Virginibus, Confessoribus & Beatorum gloria.

Passiones SS. Iustinæ, Agnetis, Agathæ: excusæ Florentiæ 1587. in 4. & Iepthe tragœdiam.

Benedictus Canophilus, Sangrinus, monachus Casinensis monasterii, I.V.D. qui floruit anno 1550. scripsit tractatum

De foro fori & foro poli, qui excusus est

Repertorium Iuris ciuilis: & multa alia in Iure Canonico.

Summam quoque rerum, & nonnulla quædam quæ nondum uidi, impressa Venetiis, in 8. in 6. Tom.

Domnus Benedictus de S. Germano, monachus Casinensis, & postea eiusdem Cong. Abbas, latina, græca, & Hæbraica linguis doctus, qui uixit anno 1570. scripsit

In

In psalterium Hæbraicum commentaria.
In epistolas Pauli, commentaria.
In psalmos expositionem. Tractatum de usuris
Super libros Perihermenias, Priorum, posteriorum, de Anima, Aristotelis.
Disputationes in libros prædicamentorum.
Prouerbia Animalium, opus pulcherrimum.
Tractatum de imitatione Ciceronis, excusum anno ....
Apologiam contra calumniantes opera eius.

Domnus Benedictus Guidius Venetus, monachus S. Georgii Maioris Venetiarum, cong. Cas. & Abbas eiusdem congregationis, scripsit multa, inter quæ ista ad notitiam meam deuenerunt.

De laudibus mulierum suppresso nomine, vulgari idiomate, excusus Venetiis in 4. Quædam, De quatuordecim inuptionibus Turcarum in prouinciam Fori Iulienſem latino, & Italico idiomate, reperiuntur MS. eaque vidi, sed ex parte imperfecta.

Epistolæ multæ operibus Isidori Clari, & item Missalibus nostris præfixæ.
Orationes nonnullæ Latinæ, Lirini, & alibi habitæ.
Istriæ descriptio, & bellum à Venetis contra Tergestinos gestum.
Bellum Venetum, cum Turcis ab anno 1569. ad finem vsque victoriæ naualis.

Vita Marci Dãduli Procuratoris, doctoris & equitis, legi MS. Obiit Abbas S. Nicolai de Littore anno 1590. mense Augusti, & in nobio S. Georgii sepultus est.

Domnus Benedictus Maioricensis, monachus S. Pauli Romæ, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, qui floruit anno 1530. Scripsit commentaria in Librum Porphirii, prænotata.

Plusquã commentum in prædicabilia Porphyrii. } Sunt apud D. Constantinũ Syr. mon. MS.
In Logicam, quæstiones vniuersales. }

Frater Benedictus de Villa, Hispanus, monachus Montisferrati, congregationis Vallis oletanæ, qui floruit hoc nostro seculo, composuit sermone Hispanico in psalmos 150. paraphrases duas: excusas in Hispania in fol. sed ubi nõ recordor, eas tamen uidi & legi Casini.

Nonnus Bernardus, monachus, Casinensis, scripsit miracula. S. Amici confessoris, & alia nonnulla. floruit anno Domini 1150.

Frater Bernardus monachus monasterii Cluniacẽsis, qui floruit

anno 1050. scripsit, Consuetudines monasterij Cluniacensis, lib.1.

Domnus Bernardus, Messanensis siculus, monachus S. Placidi, congreg. Casinensis, Messanæ, scripsit. De miraculis in inuentione SS. Placid. & Soc. factis, lib. 1. qui est MS. apud R.P. Abbatem Casinensem. Adhuc viuit.

Domnus Bernardus Placentinus, monachus congregationis Sanctæ Iustinæ de Padua, & Abbas S. Georgii Maioris Venetiarum, qui floruit anno 1450. scripsit versu heroico libros 5. quorum primus,

1. De contemptu mundi, & assumenda religione,
2. De primordiis institutionis monachorum congregationis S. Iustinæ.
3. Quomodo debet religiosus in monasterio conuersari, & de modo orandi
4. De passione Christi 5. De resurrectione eiusdem.

Reperiuntur Manscripti in 4. in Bibliot. S. Georgii maioris Venet.

Frater Bernardus saxo monachus S. Viti Corbeiæ Saxonicæ, congregationis Cluniacensis, qui uixit anno 1070 scripsit

Contra Henricum IIII. Imp. sermone luculento, lib. 1.

Domnus Berno, Germanus, monachus Prumiensis, & Abbas monasterii Augiensis, cong. Cluniacensis, qui floruit anno 1020. scrip.

De musica seu Tonis lib. 2. De instrumentis musicæ lib. 1.
De aduentu Domini lib. 1. De ieiunio sabbati, lib. 1.
De ieiunio 4. temporũ lib. 1. De mensura monachordi, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
Vitam S. Vdalrici Episcopi, lib. 1. excusus Tomo 4. Surii.
De officio missæ, lib. 1. excusus Coloniæ anno 1568. in folio, cum aliis veterum scriptis de officio ecclesiæ: item Romæ anno 1590. in fol. & Venetiis anno 1572. in 8. in speculo missæ: & Tomo 4. Bibliothecæ SS. Patrum.

Obiit anno Domini 1048. septimo Idus Iunii, regiminis Abbatialis 40. & sepultus est in monasterio Augiensi.

Nonnus Bertramus, Gallus, presbyter, & monachus Benedictinus, qui floruit anno 840. scripsit De prædestinatione, lib. 1. De corpore & sanguine Domini, lib. 1. impressus Coloniæ an. 1532. in 8. & Basileæ.

Sanctus Brendanus, seu Brandanus, Hybernus, monachus, & Abbas Benchorensis, scripsit De legibus monachorum, lib. 1. Reuelationes de futuris temporibus, lib. 1. Obiit die 16. Maii.

Frater Bridfertus, Monachus Rameſienſis, & Doctor, qui floruit

anno

anno 980. scripsit De institutione monachorum, lib. 1. Scholia in Bedam de temporibus, & de natura, quæ cum operibus Bedę impressa sunt.

Frater Burchardus Anglus, Dorcestrius, monachus, & Eremita, congregationis Giribenuæ, anno Domini 870. scripsit passionem S. Fremundi Regis & martyriis.

Nonna Berta, S. Vuolfhelmi Abbatis soror, sanctimonialis Vilecensis, quæ. III. tempore Ottonis Imp. claruit, scripsit, Vitam S. Adelheidis primæ Vilecensis Abbatissæ. quæ est apud Surium Tomo 7.

Scriptores de Littera. C. Cap. LXIIII.

FAROLVS Fernandus, Belga, Brugensis, a parua ætate oculis captus, & ob id elementorum quoque penitus ignarus, tantum sui miraculum præbuit, ut uelut alter Homerus uir in omni scientiarum genere doctissimus euaserit, & in celeberrimo Parisiensi Gymnasio publicè docuerit. Demum contemptis omnibus, monasterium Vincentianum apud Cœnomanos, Casalinum uocatum, congregationis siue reformationis Sagiensis, ingressus, & Apostolica dispensatione Leuita ordinatus, multa ingenii sui monimenta posteris reliquit. scripsit ergo inter cætera, Commentariorum, lib. 1.

Laudes ordinis Carmelitarum, lib. 1.
De conceptione B. Mariæ, lib. 1.
Odarum in Laudem Christi, lib. 4.
Carmen Iambicum de Virgine Maria, lib. 1.
Orationem de eadem. lib. 1.
De Sancta Catarina orationem, lib. 1.
Carmina ferè innumera, lib. 1.
Elegias de contemptu mundi, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 2.
Speculũ disciplinæ monasticæ, li. 4. excusos Paris. 1515. in fol.
Epistolam parænetícam, id est adhortatoriam, obseruationis regulæ Benedictinæ. Impressa Parisijs apud Ascensium, an. 1512. in 8. floruit anno Domini 1490. & quod excurrit.

Frater Cedmonus simplex, Anglus, monachus Benedictinus, circa annum Domini 670. scripsit plura sacra pœmata.

Sanctus

Sanctus Ceolfridus, Anglus, monachus, & Abbas monasterij SS. Petri & Pauli Londini, congregationis Giribenuæ, præceptor, & nutritor Bedæ, circa annum Domini 680. scripsit de obseruatione paschæ, & tonsura ecclesiastica, & monastica librum unum. Videtur mihi is esse qui reperitur apud Bedam lib. 6. hist. angl. c. 23. ad Naitanum Regem Pictorum, qui sic incipit, Domino excellentissimo & glorioſissimo regi Naitano Colfrid in Domino salutem. Obiit anno Domini 724. die 25. mensis Septembris.

Nonnus Christianus, qui & Druthmarus, Gallus, Aquitanus, monachus monasterij Corbeiensis Galliæ, congregationis Floriacensis, trium linguarum peritus, circa annum Domini 800. scripsit Expositionem in euangelium Matthæi, lib. 1. quæ inuenta Vuormatiæ, excusa est Haganoæ anno Domini 1530. octornionibus 43. Extant & eiusdem aliquot homiliæ in Bibliotheca homiliarum.

D. Christodulus monachus, vir Sanctissimæ uitæ, scripsit contra Iudæos sermones nouem, qui Romæ in Bibliotheca Palatina græcè extant.

Domnus Claudius Classitanæ ciuitatis Abbas, congregationis primę Casinensis, Diui Gregorij Papæ discipulus, ex operibus eiusdem, de libris uidelicet Regum, de Prouerbijs, de Cantico Canticorum, & de Prophetis, multa, licèt non eodem sensu, collegit, & in commentarios redegit, quorum meminit idem Gregorius in Epistola ad Ioannem Rauennæ subdiaconum. Claruit anno 600.

Sanctus Columbanus, Scotus, monachus monasterii & congregationis Benchorensis, deinde Luxouiensis monasterii & congregationis æquiuocæ institutor primus, postremo Bobiensis cœnobii in Italia primus fundator & Abbas, scripsit, In totum psalterium commentariorum, lib. 1. Epistolarum aduersus Theodoricum regem adulterum, lib. 1. Monasteriorum methodos, lib. 1. Carmen aduersus auaritiam, excusum Basileæ in uolumine ueterum Poetarum. Obiit Bobii anno Domini 614. die 21. Nouembris, & ibidem sepultus est.

Domnus Congellus Scotus, Abbas Benchorensis, & illius congregationis auctor, qui floruit anno Domini 560. uel circa, scripsit Regularis uitæ methodum, & Epistolas plures ad cœnobiorum Patres.

Domnus Conradus de Rodemberg, Germanus, monachus, & prior S. Matthiæ apud Treuirim, deinde Diui Martini Coloniæ, postmodum Abbas monasterii Sancti Ioannis Baptistæ Rinaugiensis Moguntinæ Diœcesis, congregationis Bursfeldensis, uir Beatæ

Mariæ

Mariæ virginis deuotissimus, scripsit in illius laudem, sumpta de singulis eius membris materia, Vineam Domini Sabaoth, lib. 1.

Exercitium nouitiorum, lib. 1.
De præparatione ante missam, lib. 1.
Orationem, de ruina ordinis.
Orationem, de causis ruinæ.
Orationem, de cura pastorali.
Et alias multas orationes.

Obiit anno Domini 1486. octauo calendas Ianuarii, sepultus in monasterio suo in absyde dextra chori, ante altare S. Benedicti.

Frater Conradus, monachus S. Nicolai Bruuilerensis, congregationis Cluniacensis, scripsit non spernenda voluminia, de quibus plura extare dicuntur, at præter uitam S. Vuolfhelmi Abbatis, quæ est apud Surium Tomo 2. die 22. Aprilis, nihil uidi.

Frater Conradus, Germanus, Spirensis, monachus S. Aurelij Hirsaugiensis, congregationis Cluniacensis reformatæ a S. Gulielmo Abbate, qui floruit anno Domini 1140. scripsit, Speculum Virginum, dialogorum lib. 8. In euangelia per annum lib. 1.

De vita spiritus & fructus mortis, lib. 1.
Matricularium, lib. 1.
De laudibus S. Benedicti metrice, lib. 1.
Diascalon, lib. 1. De musica, & Tonis. lib. 1.

Domnus Constantius Pasolinus, monachus congregationis Casinensis, quem adhuc viuere arbitror, scripsit Elegiam, de translatione SS. Parmensium: excusam Romæ anno 1589. cum operibus D. Prosperi Martinengij.

Frater Cuthbertus Giruicius, Anglus, monachus Londinensis, & S. Bedæ Venerabilis discipulus, anno circiter 740. scripsit epistolas quasdam familiares, & de uita magistri sui Ven. Bedæ, lib. 1. cuius initium est, Dilectissimo in Christo Lectori.

Nonnus Cyprianus, monachus Casinensis, scripsit hymnum unum de S. P. N. Benedicto, & alia nonnulla: hymnus ille est Casini MS. tali exordio; Aureo solis radio perennis.

Scri-

Scriptores de Littera D. Cap. LXV.

D.  IONISIVS, Gallus, monachus S. Benedicti de Mantua, cong. Casinensis, scripsit sermones de diuersis, lib. 1. Epigrammatum ad doctos quosdam, lib.1. Odarum ad Deum, Virginem matrem, & Sanctos, lib. 1. Epistolas aliquas quæ reperiuntur excusæ cum epistolis Gregorij Cortesij S.R.E.Card. Venetiis anno 1573. in 4.
Obiit in monasterio Lerinensi anno 1560. & ibidem sepultus est.

Frater Donatus Diaconus & monachus monasterii S. Trudonis, scripsit vitam S. Trudonis lib. 1. Quo tempore claruerit ignoro.

Domnus Dominicus de Asula, monachus S. Georgii maioris Venetiarum, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, scripsit, De translatione antiqua corporis S. Stephani Prothomartyris ad monasterium S. Georgii Maioris, lib. 1. Postquam Beatiss. Prothomartyris Stephani. De translactione nouissima eiusdem Sancti, ex veteri, ad nouam ecclesiam S. Georgii, lib. 1. Iam primum omniũ constare debet. Reperiuntur in monasterio præfato S. Georgii. MS. Obiit anno Domini 1592. ætatis suæ 36. mense Septembri, & sepultus est in ecclesia eiusdem cœnobii.

D. Dudechinus, vel Dodechinus, Germanus, monachus, & Abbas cœnobii S. Dysibodi, uir in scripturis diuinis & humanis non modi cum exercitatus, scripsit Historiam suæ peregrinationis ad terram Sanctam, lib. 1. Ad chronica Mariani Scoti, continuatæ historiæ Appendicem, ab anno 1084. usque ad annum 1200. quæ excusa est cum Mariano Francofurti anno 1583. in folio. Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Scriptores de Littera E. Cap. LXVI.

F.  ADEMERVS Anglus, monachus Cantuarienſis, congregationis Cluniacẽsis qui claruit an. Domini 1120. scrip. De libertate eccl. lib. 1.
De vita S. Anselmi Episcopi, lib. 1.
Historiarum collectanea, lib. 1.

Domnus Eberuuinus, Germanus, monachus & Abbas cœnobij S. Martini Treuiris, congregationis Cluniacensis, an-

sis, anno 995. scripsit vitam S. Magnerici Episcopi, quæ excusa est tomo 2. legendæ, cum poemate Fortunati de eodem Episcopo.

Domnus Echardus, Germanus, monachus, & primus Abbas monasterij S. Laurentii, quod Vrangia dicitur in diœcesi Herbipolensi in Hercinia silues, congreg. Cluniacensis, qui floruit anno 1130. scripsit Lanternam monachorum, lib. 5. Sermones quosdam elegantes, & uarias epistolas.

Domnus Echebertus, Germanus, monachus primum Schonaugiæ, deinde Abbas S. Florini Treuirensis diœcesis, congregat. Cluniacensis, qui floruit anno 1160. Scripsit

In principium Euangelij Ioannis,	lib. 1.
Super Magnificat,	lib. 1.
Super missus est Angelus,	lib. 1.
Laudes Saluatoris,	lib. 1.
Sermones per annum,	lib. 1.
Meditationes,	lib. 1.
Aduersus hæreses,	lib. 1.

De obitu S. Elisabeth sororis suæ, lib. 1. qui editus est a Fabro, in libro trium virorum, & trium spiritualium mulierum.

Frater Edmundus, Anglus, monachus Cantuariensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1120. S. Anselmi episcopi discipulus, scripsit

De libertate ecclesiastica,	lib. 1.
Vitam S. Anselmi Archiepiscopi.	lib. 1.

Frater Egbertus, Australis saxo, Anglus, monachus congregationis Giribenuæ, qui floruit tempore Bedæ anno 730. scripsit

De ritibus catholicorum,	lib. 1.
Conciones varias,	lib. 1.

Frater Egiluuardus Germanus, monachus monasterii S. Burchardi prope Herbipolim, qui claruisse videtur post annum Domini 800. scripsit vitam S. Burchardi Herbipolensis episcopi, quæ uidetur ea esse quæ est apud Surium Tomo 5. die 14. Octobris.

D. Einardus, siue Eginhardus, Caroli Magni Imperatoris Cancellarius & gener, deinde relicto seculo, monachus, & Abbas primus cœnobii Salingestadiensis, sanctorum Marcellini & Petri, scripsit circa annum Domini 824.

De miraculis & translatione sanctorum Marcellini, & Petri qui Gandaui quiescunt, lib. 4. qui sunt Tomo 7. Surii, die 2. Iunii.

De iisdem Iambico carmine, lib. 1. est Tomo 7. Surii.

De vita

De uita Caroli Magni Imp. lib. 1. Hæc excusa est Coloniæ cum quodam Anonymo monacho Benedictino, anno 1562. in 16. & Basileæ anno 1532. Coloniæ cum aliis annalibus rerum Francie 1521. ac nouissime Francofurti 1584. in fol. cum aliis rerum Germanicarū scriptoribus.

Historiam Temporum de gestis Germanorū & Francorum, li. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Abbreuiauit quoque Psalterium, excerpendo omnes versus orationis uerba habentes.

Domnus Einico, Germanus, monachus & Abbas cœnobii Schonaugiæ, congregationis Cluniacensis, qui floruit circa annum Domini 1200. scripsit carmine, & prosa uitam S. Elisabeth Virginis & Abbatissæ.

Donnus Elemon, monachus Benedictinus & Doctor, sed quo uixerit tempore non proditur, scripsit elegantem tractatum super instrumenta bonorum operum, siue capitulum quartum regulæ s. P. N. Benedicti, qui sic incipit, Sicut sunt Fabrorum: estque MS. in membranis in reliquiario cœnobii S. Georgii maioris Venetiis, sed aliqua ex parte imperfectus.

Frater Elerius, Anglus, Cambrius monachus, circa annum Domini 660. scripsit vitam s. Vuenefridæ Virginis & sanctimonialis.

Frater Emericus, Germanus, monachus Elefancensis, congregationis Luxoniensis, anno Domini circiter 870. scripsit docte & eleganter vitam s. Magni Abbatis.

Domnus Engelbertus, Germanus, Abbas monasterii Admontesis, congregationis .... scripsit, Sermones elegantes, lib. 1.

De uitiis & virtutibus, lib. 1.

F. Erchempertus monachus, & Diaconus Montis Casini, scripsit historiam de euersione monasterii a Saracenis, & constructione eiusdem.

Frater Erhardus, monachus Benedictinus, qui uixit anno 1050. scripsit, In Pentatenchum Moysis, lib. 5.

Homiliarum, lib. 1.

Domnus Ermentricus, Germanus, monachus, & Abbas Eluuangensis septimus, congregationis Luxoniensis, post annum Domini 800. scripsit dialogum de uita & miraculis s. Hariolphi Abbatis primi Eluuangensis.

Frater Etheluuoldus, Anglus, monachus Vuintonensis, congregationis Giribenuæ, qui claruit anno 980. scripsit

De

De sua in Presbyteros potestate, lib.1.
De suis missionibus, lib.1.

Frater Etheluuolphus qui & Lupus Anglus, Bernicius, monachus, qui vixit anno 750. scripsit De illustribus monachis, lib.1.
Super somnio suo, lib.1.

D. Euerbinus, Ger. monachus & Abbas monasterii S. Mauricii Doleiensis siue Toleiensis, in agro Treuirensi, congregationis Cluniacensis, anno circiter 1040. scripsit vitam S. Simeonis Siracusani, monachi Treuirensis, quæ excusa est Tomo 3. Surii, die primo Iunii. Attribuitur hæc a nonnullis Eberuuino Abbati S. Martini Treuirensis, de quo supra egimus, sed diuersitas cœnobiorum, temporumque ratio reclamant, obiit enim S. Simeon anno Domini 1035. quo tempore prædictus Eberuuinus in uiuis iam esse desierat; affinitas nominum Eberuuini, & Euerbini, errore peperisse arbitror.

Domnus Euerelmus, Belga, monachus & Abbas cœnobii Alimontis, congregationis Cluniacensis, anno Domini circiter 1050. scripsit librum unum de vita Sancti Popponis Abbatis Stabulensis, cognati sui, qui est apud Surium Tom. 1. die 25. Ianuarii.

Domnus Eugypius, monachus, & Abbas, congregationis primæ Benedictinæ, qui floruit anno 580. vt potiores auctores uolunt, scripsit, Regulam monachorum suorum, lib.1.

Vitam S. Seuerini monachi, lib. 1. quæ est apud Surium die 8. Ianuarii.

Thesaurorum ex Diuo Augustino, Tomos duos: excusos Basileæ anno 1542. & Venetiis anno 1543.

Dominus Eusebius Valentinus, Mutinensis, monachus S. Ioannis Euangelistæ Parmæ, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, qui claruit anno 1560. uir spectatæ probitatis, atque doctrinæ, poetaque nostri temporis non infimus, scripsit sequentia opuscula, quæ impressa sunt Romæ 1589. in tertio Tomo poematũ D. Prosperi Martinengi, uidelicet:

De quadruplici aduentu Domini, carmen hæroicum.
In mortem D. N. Iesu Christi, eodem carmine.
Ad beatam Virginem, eodem carmine.
In sanctam Christi Natiuitatem, endecasyllabum.
In eandem, choriambicum. Hymnũ de eadem, uersu sapphico.
In præsentationem eiusdem, sapphicum.
In eandem, endecasyllabum. In eiusdem Resurrectionem, Iambico uersu.

Domnus

Domnus Euticius Cordes, Belga, Antuerpiensis, monachus S. Iustinæ de Padua, & eiusdem congregationis Abbas, qui in Concilio Tridentino magna cum sua laude adfuit, scripsit multa, quæ tamen nondum typis mandata sunt, reseruanturque MS. apud D. Ambrosium monachum & Decanum S. Iustinæ de Padua, inter quæ hæc vidi, Commentaria uidelicet, In omnes epistolas Pauli:

In Symbolum Apostolorum vsque ad Sanctorum communionem.

Dictionarium Biblicum.

Obijt anno Domini 1582. mense Sept. & sepultus est in S. Iustina.

Scriptores de Littera F. Cap. LXVII.

DONNVS Fabianus, Cretensis, monachus congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, qui floruit post annum 1500. transtulit de græca in latinam linguam uitam S. Eustachij Patriarchæ Constantinopolitani, cuius corpus requiescit in monasterio S. Georgii maioris Venetiarum, cuius exordium est, Omnium quidem: Asseruatur in reliquiario prædicti cœnobij. MS.

D. Faritius Tuscus, Abbas Abyndonensis in Anglia, congregationis Cluniacensis, circa annum Domini 1110. scripsit

Vitam S. Adelmi episcopi. lib. 1. Epistolas ad diuersos, lib. 1.

Sanctus Faustus, monachus Casinensis, S. P. N. Benedicti discipulus, scripsit ad Bonifacium Papam, vitam s. Mauri Abbatis, lib. 1. quæ excusa tomo 1. Surij die 15. Ianuarii. Obiit circa annum Domini 600.

Frater Felix, monachus Crolandiensis, Anglus, circa annum Domini 730. scripsit,

Vitam S. Guthlaci monachi & Eremitæ, lib. 1.

D. Felix Passarus, Neapolitanus, monachus Casinensis, qui etiam num uiuit, scripsit sermone Italico & versu heroico,

De Vita s. Placidi Abbatis & martyris, cantus quinque, qui excusi sunt Venetiis anno 1589. in 4 & 1590. in 16.

Laudes monasterii s. Sixti Placentiæ, lib. 1.

Impress. Placentiæ apud Ioannem Bazacum anno 1593. in 4.

Frater Ferreus, monachus Casinensis, qui floruit anno Domini 1070.

ni 1070. iussu Domini Theodini monachi, & S.R.E.Cardinalis, scripsit Glossam in Librum Exodi: extat in Bibliotheca Casinensi. MS.

Frater Flualdus, monachus Remensis, ordinis S.Benedicti, congregationis Floriacensis, qui floruit anno 870. scripsit, Historiam ciuitatis Remensis, siue gesta Remensium Pontificum, lib. 3.

Vitas Sanctorum Remensium, lib. 1.

F. Florus, monachus S. Trudonis, Leodiensis diœcesis, Congregationis Gallicanæ, scripsit circa annum Domini. 760.

In omnes epistolas Pauli expositiones pulcherrimas, lib. 1.

Martyrologium, idest, gesta, & passiones sanctorum, lib. 1.

Frater Folchardus, Anglus, monachus Cantuariensis, qui floruit sub congregatione Cluniacensi anno 1060. scripsit ad Aldredum Episcopum, De vita S. Ioannis Episcopi Eboracensis, lib. 1.

De miraculis eiusdem, lib. 1.

Frater Folchardus, Belga, monachus cœnobii S. Bertini Sithiuensis, congregationis .... scripsit vitam S. Bertini Abbatis, & uitam S. Audomari Episcopi Morinensis, quæ ambæ excusæ sunt apud Surium Tomo 5. die 5. & 9. Septembris.

Domnus Folquinus, monachus monasterii S. Bertini Sithiuensis, & deinde Laubiensis Abbas, congregationis Cluniacensis, scripsit, Gesta Abbatum Laubiensium, lib. 1. extat MS.

De miraculis S. Vrsmari Episcopi, lib. 1. extat MS.

De vita S. Folquini Episcopi, lib. 1. Obiit anno Domini 990.

Frater Franciscus Ruizius, Hispanus, monachus Vallisoletanus, & Abbas S. Facundi, congregationis Montisserrati, anno Domini 1546. collegit ex omnibus patribus, tam Græcis quam latinis, ad totius diuinæ scripturæ intelligentiam trecentas triginta quatuor regulas, easque breuibus explanationibus illustrauit, quæ excusæ sunt Lugduni 1546. in 8. & Coloniæ cum Sixto Senensi anno 1588 in 16. & Parisijs anno 1547. in 16.

Frater Franciscus yuannes, Hispanus, monachus congregationis Montisserrati, qui floruit anno 1570. scripsit, & abbreuiauit tractatum D. Garsiæ a Cisneros exercitatorii uitæ spiritualis, & directorii horarum canonicarum, adiungens catalogum breuem uirorum illustrium ordinis S. Benedicti, qui est excusus Salamancæ in 16. ubi etiam promittit translationem latinam dialogorum Petri Bugiani.

D. Franco, Belga, monachus & Abbas secundus monasterii S. Mariæ de Hafflighem in Brabantia, congregationis Cluniacensis, ele-

ctus in Abbatem anno 1109. scripsit De gratia Dei lib. 1.
De statu futuræ gloriæ metricè, lib. 1. Sermones de B. Virg. lib. 1
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
De beneficientia Dei, lib. 1 2. excusos Antuerpiæ 1565. in 12.
Frater Fulbertus, Gallus, monachus cœnobii S. Petri Gemeticensis, cognomento peccator, scripsit inter cætera,
De uita S. Aichardri Abbatis, lib. 1. qui excusus est apud Surium Tomo 5. die 15. Septembris.

Scriptores de Littera G. Cap. LXVIII.

DABRIEL Brebia, Mediolanensis, monachus congregationis S. Iustinæ de Padua, anno Domini circiter 1490. scripsit Commentariolum in psalmos, & in fine cuiusque pias aliquas orationes.

S. Gallus Scotus, Abbas, & S. Columbani discipulus, monachus primum in Scotia sub congregatione Benchoresi, a quo cœnobium & oppidum S. Galli in Heluetia nomen habet, scripsit

Orationem, & gubernandæ Ecclesiæ formam.

Obiit anno Domini 640. die sextodecimo mensis Octobris.

Domus Gaspar Bouuincourtius, Attrebas, Belga, Eques Hierosolymitanus, monachus primum monasterii S. Saluatoris Aquicinctensis, iuxta Duacum, congregationis Cluniacensis, deinde Abbas cœnobii S. Petri Oudemburgensis, non longe a Brugis Flandriæ, congregationis Bursfeldensis, uir linguis Græca, Latina, Sclauonica, Gallica, Flādrica, Italica, & Hispanica, doctus, & qui mihi (quamuis indigno) habitum Sanctæ Religionis dedit, scripsit nonnulla quæ penes me sunt MS. inter quæ idiomate Gallico Deitinere suo Hierosolymitano, & Montis Synai, lib. 1.

Sermones ad fratres lib. 1. De Arithmetica lib. 1.
De cognitione sui ipsius uersu heroico Gallico, lib. 1.
De prædestinatione, eodem metri genere, lib. 1.

Qui duo ultimi a facultate Doctorum Brugensium, & a doctissimo uiro D. Iacobo Pamelio approbati, iam in lucem emittendi erant, nisi mors immatura interueniisset, quæ accidit anno Domini 1576. die undecimo Februarii, ætatis suæ. 48. Abbatialis regiminis octauo,

octauo,in castro Cranenburg,tribus a Brugis milliaribus,ex quo re portatus in ecclesia monasterij nostri ad latus sinistrum altaris maioris sepultus est.

Frater Georgius Cabillau,Aldenardensis,Belga,monachus cœnobii S. Petri Oudemburgensis,cõgregationis Bursfeldensis,& meus in Nouiciatu Monastico Magister, scripsit

Historiam monasterii Oudemburgensis,incipiens a prima Ciuitatis olim Oudemburgensis ædificatione, & destructione eius ab Attila,& Nortmannis, usque ad annum Domini 1578.quæ est apud eum MS.Adhuc viuit.

Frater Georgius Iodocus,Berganus,monachus monasterii S. Zenonis Veronæ,congregationis promiscuæ (erat autem ante, prædictum cœnobium sub congregatione Cluniacensi) qui floruit anno 1540. scripsit eleganti versu heroico, Benacum, ideſt, descriptionem Laci Benaci.quæ excusa est Veronæ anno 1546.in 4.

Frater Gerardus, monachus cœnobii S. Quintini,congregationis Cluniacensis,qui claruit anno 1270.scripsit

De translatione crucis & coronæ Domini a Constantinopoli Parisios, lib.1.

De miraculis S. Elisabet Lantgrauiæ post mortem eius, lib.1.

Responsoria item,& cantus de eadem.

Domnus,Gerardus moringus,Belga,monachus S.Trudonis,congregationis Cluniacensis,qui floruit post annum 1100. is ad quem Theodoricus Abbas dedicasse uidetur librum suum de uita S. Trudonis,scripsit de uita S.Trudonis librum unum, qui excusus est Louanii anno 1540.

F. Gildas quartus, Britãnus,monachus Benedictinus,congregationis Benchorensis,qui floruit anno 860.alius a Gilda cognomento sapiens, scripsit, Breuiarum historiarum, & alia historica.

Frater Gilo,Gallus,monachus Cluniacensis, iussu Pontii Abbatis,anno Domini circiter 1112.scripsit, Vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, quæ extat MS.

Do. Giselbertus, Anglus, monachus, & præpositus monasterij Vuest monasteriensis in Anglia,congregationis Giribennæ,qui floruit ab anno 1090.ad 1110.scripsit

In Cantica Canticorum homilias

In Esaiam prophetam commentarios, & in Hieremiam.

Contra Iudæos,ad S.Anselmum Episcopum,disputationem.

De casu Diaboli.

F. Giſelbertus, monachus monaſterii Cluniacenſis, S. Petri Abbatis diſcipulus, qui uixit anno Domini 1130. ſcripſit inter alia, Epiſtolam egregiam ad Petrum de S. Ioanne, quæ excuſa eſt cum epiſtolis S. Petri Abbatis.

F. Godſcalcus, Gallus, monachus Cluniacenſis, qui floruit anno 980. ſcripſit De uita S. Odonis Abbatis magiſtri ſui, lib. 1. qui erat olim MS. apud Carthuſianos Antuerpiæ, ſed incurſione hæreticorum periiſſe putarim.

F. Gomeſanus, Hiſpanus, monachus, & Abbas Ildenſis marchiſterii, ſcripſit Vitam S. Illephonſi Archiepiſcopi Toletani, lib. 1. cuius compendium, vt colligere licet, excuſum eſt cum eodem Illephonſo de Laudibus virginis Mariæ, Baſileæ anno 1557. in 8.

F. Gonſaluus de Illeſcas, monachus, & Abbas S. Fromes, Hiſpanus, qui vixit hoc noſtro ſeculo, ſcripſit ſermone Hiſpanico, quæ iam quater uicibus excuſa eſt, Hiſtoriam Pontificiam & Catholicam: excuſam Burgis quarto, per Martinum de Victoria, anno 1589. in folio, & Salamancæ 1574. in folio, & Cæſarauguſtæ 1583. in folio.

F. Gordianus, Romanus, monachus Caſinenſis, & S. P. N. Benedicti diſcipulus, Græcè, & Latinè doctus, ſcripſit

Paſſionem S. Placidi Abbatis & martyris, lib. 1. quæ excuſa eſt a Surio Tomo 5.

Paſſionem eiuſdem græco ſermone, lib. 1. quæ eſt Caſini in Latinum ſermonem translata.

De reædificatione monaſterii Meſſanenſis, lib. 1. Poſtquam peruerſi. eſt Caſini MS.

Epiſtolas quatuor, ad S. Maurum, ad Vigilium Papam, ad Meſſalinum V.C. & ad Conſtantinum Abbatem Caſinenſem, quæ excuſæ ſunt cum chronico Caſinenſi, Venetiis ann. 1513. in 4. ad folia uidelicet 199. 200. & 207.

Et alia nonnulla quæ necdum uidi. Obiit Siracuſis in Sicilia circa annum Domini 560. cum magna ſanctitatis opinione.

F. Gotzelinus, Belga, Morinenſis, monachus S. Bertini Sithiuenſis, congregationis Cluniacenſis, qui claruit anno Domini 1110. ſcripſit De uita S. Laurentii Archiepiſcopi, lib. 1. qui incipit, Dominis clariſſimis, & paternæ.

De uita S. Milburgæ virginis, lib. 1.

De vita S. Erconuualdi Epiſcopi, lib. 1.

De vita S. Auguſtini Archiepiſcopi, lib. 2.

De

De miraculis eiusdem, lib. 1.
De translatione eiusdem ac Sociorum, lib. 1.
De vita S. Iuonis Persarum Episcopi in Anglia sepulti, lib. 1.
De vita S. Suuithuni Episcopi, lib. 1. cuius initium est, Glorioso Rege; excusus est apud Surium Tomo 4. die 2. Iulii.
De vita S. Vuiteburgæ virginis, lib. 1.
De vita S. Eadghatæ virginis, lib. 1.

D. Gregorius Ducus, Brixianus, monachus SS. Faustini & Iouitę Brixiæ, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, scripsit versibus Italicis librum prænotatum Scaccheida, qui excusus est Vincentiæ ann. 1586. in 4. Apud Georgiũ Græcum. Theses de Anima, excusas Ven. 1585. Obiit anno 1592. Bobij, ubi & sepultus est.

D. Gregorius Viterbiensis, I.V.D. & monachus congregationis Casinensis, alias S. Iustinę de Padua, qui claruit anno Domini 1540. scripsit tam pie, quam docte, super Euangelium Ioannis, In principio erat uerbum Homilias, siue sermones tres, qui sic incipiunt.

1. Dicibilis sermo de indicibili verbo in uerbis dicibilibus.
2. In principio erat verbum. 3. Non licet filijs veritatis.

Sunt MS. apud D. Constantinũ Siracusanũ, monachũ Catanensem.

D. Grimoaldus Abbas ordinis S. Benedicti, scripsit Sacramentorum librum, qui excusus est per Pamelium, cum antiphonario s. Gregorii Papæ, Coloniæ, 1571.

S. Guaiferius, qui & Benedictus, Salernitanus, monachus Casinensis, qui floruit sub Desiderio Abbate anno Domini 1060. scripsit tã metro, quam prosa, Homilias sex, scilicet De Aduentu Domini, Natiuitate, Epiphania, Septuagesima, Ramis Palmarum, & Cœna Domini. Passionem S. Lucii Papæ.

Vitam S. Secundini Episcopi Troiani.
De eodem versus, hymnum, & Cantus.
In Laudem psalterii versus.
De miraculo cuiusdam qui seipsum occiderat, uersus.
De conuersione quorundam Salernitanorum versus.
In Laudem s. Martini Episcopi versus.

Et hæc omnia reperiuntur MS. caractere longobardico in membranis, in scamno octauo ad sinistram Bibliothecæ Casinensis.

D. Guibertus, Abbas Gemblacensis, congregationis Cluniacensis scripsit Apologiam pro s. Seuero, quæ extat MS.

Epistolam de scriptoribus uitæ S. Martini Episcopi: est MS. Louanii ad s. Martinum.

Nonnus Guido, monachus Casinensis sub Gerardo Abbate, scripsit; De missione Alberici, lib. 1.

De fortuna eiusdem, uersus.

D. Guikardus, monachus & Abbas S. Trudonis, congregationis Cluniacensis, scripsit latino sermone,

De vita S. Trudonis, lib. 1.

D. Gulielmus Abbas S. Theodorici, congregationis Cluniacensis scripsit Meditationes deuotas, lib. 1.

Meditationes de amore Dei, lib. 1. quæ excusæ sunt Antuerpiæ apud Plantinum, anno 1590. in 16.

S. Gulielmus, Germanus, monachus S. Emerani Ratisponæ, & Abbas S. Aurelii Hirsaugiensis, congregationis Cluniacensis, & eiusdem postmodum reformator, scripsit Constitutiones monachorum, lib. 2. De musica & tonis, lib. 1.

De horologio lib. 1. De correctione psalterii, lib. 1.

Ad s. Anselnum, epistolas 3. Epistolarum ad alios, lib. 1.

Institutiones philosophiæ, & Astronomiæ, lib. 3. excusos Basileæ.

Obijt anno Domini 1091. die quarto Nonas Iulij.

F. Gulielmus monachus Haffligemensis, Germanus, scripsit inter alia, Sermones, lib. 1. Visiones cuiusdam monialis, lib. 1.

De Vita s. Lutgardis, lib. 1. quæ extat MS. Afflighemij. floruit anno Domini 1260.

F. Gulielmus, Gallus, monachus S. Dionysij Parisiensis, scripsit,

Historiarum transacti temporis, lib. 3.

Et commentaria in quosdam Bibliæ libros.

F. Gulielmus, Malmesburiensis monachus, congregationis Cluniacensis, Anglus, scripsit Historiarum libros, usque ad annũ 1142.

De vita s. Patricii Episcopi, lib. 3.

De uita s. Dunstani Episcopi, lib. 1.

De uita s. Indracti, lib. 1.

De uita s. Aldelmi, Episcopi Serisburiæ, lib. 1. qui incipit, Beatus Aldhelmus Saxonica. Obiit anno Domini 1142.

Domnus Gulielmus de monte Laudino, monachus, & Abbas Pactauiensis, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1310. scripsit De sacramentis, lib. 1.

Declarationes uarias lib. 1. Summam de casibus, lib. 1.

Et alia multa in iure maxime.

Frater Gulielmus, Anglus, monachus, Rameseyę in Crolandia, cõ grega-

gregationis Cluniacensis,qui claruit anno Domini 1178. scripsit:

De uita S.Guthlaci monachi, lib. 1. heroico uersu.
De vita S.Birini Episcopi, lib. 1.
De uita S.Neoti monachi carmine, lib.1.tali exordio, Anglia quæ toto.
De eodem prosa, lib. 1. Beati Neoti confuitam,
De translatione eiusdem, lib. 1.

F.Guntherus,Belga,dictus Ligurinus, monachus Elnonensis S. Amandi,congregationis Cluniacensis, qui floruit temporibus Friderici Barbarossæ Imp.anno Domini 1160. poeta suo tempore nulli secundus,scripsit

Passionem S.Ciriaci carmine, lib. 1.quæ extat cum nonnullis Epistolis eiusdem.
De oratione,ieiuuio,& eleemosyna,lib.13.excusi sunt Basileæ anno Domini 1504.uel 1507.per Michaelem furter.
De rebus gestis Friderici Barbarossæ Imp. quod opus intitulatur Ligurinus, lib.10. excusus, Argentorati anno Domini 1531. & Basileæ cum Othone Frisingensi Episcopo, anno 1569. in fol.& Francofurti anno 1584.cum scholijs Iacobi spiegel, in fol.
De rebus Germanicis lib. 1.nondum impressum.

Scriptores de Littera H. Cap. LXIX.

F. HARTMVNDVS, Germanus, monachus monasterii S.Galli in Heluetiis,congregationis Luxouiensis, qui floruit anno 870. scripsit multa opuscula, tam metro,quam prosa, quæ qualia sint ab auctoribus non recitantur.

F.Haymo,monachus Eboracēsis,congregationis Floriacensis,siue Giribennæ, circa annum Domini 1010. scripsit

Martyrium S.Abbonis Abbatis Floriacensis, lib.1.

F.Haymo monachus Floriacensis,Gallus, circa annum Domini 1020.floruit & scripsit De uita s.Abbonis Abbatis, lib. 1.
Historiam a Iustiniano Imp.ad Carolum Magnum.lib.1.

F.Haymo Germanus, monachus,& Prior Hirsaugiæ cong. Cluniac. reformatæ,circa annum 1100. scripsit

De vita s. Gulielmi Abbatis, lib. 1.

F. Hedda, Anglus, monachus Vuintonienſis, Congregationis Benchorenſis, ſcripſit Ad eccleſiarum paſtores, lib. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

Obiit anno Domini ſeptingenteſimo quarto.

F. Heddius Stephanus, Anglus, monachus Cantuariēſis, congregationis Giribennæ, adhortante S. Acta Epiſcopo Hagulſtadenſi circa annum Domini 720. ſcripſit De uita S. Vuilfridi Archiepiſcopi Eboracenſis, lib. 1.

Frater Hedericus, Italus, monachus monaſterij S. Gregorij Papæ, S. Andreæ Romæ, congregationis primæ Benedictinæ, circa annum 640. ex ſcriptis Diui Gregorii in Iob, ſententiarum librum compoſuit.

F. Helinandus, Gallus, monachus Frigidi montis, congregationis Cluniacenſis, anno circiter 1200. ſcripſit Hiſtoriarum a principio mundi, lib. 48. De reparatione lapſi lib. 1.

Sermones plures. Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

Nonnus Helpericus, Germanus, monachus S. Galli, congregationis Cluniacenſis, circa annum 1070. ſcripſit

De computo eccleſiaſtico lib. 1. De muſica, lib. 1.

Frater Henricus de Bruxellis, monachus Haffligemenſis, congregationis Cluniacenſis circa annum Domini 1310. ſcripſit

De ratione computi, lib. 1. De ratione Calendarii, lib. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos, lib. 1.

D. Henricus, Comes a Caluue, monachus, & Abbas Augiæ diuitis, congregationis Cluniacenſis, qui floruit anno 1210. ſcripſit

De uita s. Pirminij, primi Augienſis Abbatis, lib. 1.

D. Henricus Gulpen, Germanus, Abbas monaſterii S. Aegidii in Nuremberga, congregationis Burſfeldenſis tunc primum incipientis, I. V. D. qui claruit in Concilio Conſtantienſi anno Domini 1430. ſcripſit Super ſeptem diſtinctionibus de Pœnitentia, lib. 1.

Super diſtinctionibus de conſecratione, lib. 1.

De paſſione Domini, lib. 1.

Frater Herebertus Loſinga, monachus Anglus, congregationis Cluniacenſis, ad Anſelmum Epiſcopum circa annum 1110. ſcripſit

Contra malos Sacerdotes, lib. 1. De fine mundi, lib. 1.

D. Herigerus, Abbas Laubienſis, congregationis Cluniacenſis, qui uixit anno Domini 990. ſcripſit dialogorum

De diſſomantia eccleſiæ, lib. 1.

De corpore & ſanguine Domini, lib. 1.

De

De diuinis officiis, lib. 1. De quæstionibus, lib. 1.
Gesta Episcoporum Lobiensium, lib. 1.
Vitam S. Vrsmari carmine, lib. 1. qui est Gemblaci MS.

Frater Hieronymus Lauretus, Ceruariensis, Hispanus, monachus Montisserrati, & Abbas cœnobii S. Felicis Guixolensis, congregationis Montisserrati, circa annum Domini 1566. misticos, & literales, totius sacræ scripturæ sensus complexus, synceris Theologiæ candidatis perutilē ac necessariam composuit, Syluam allegoriarum totius sacræ scripturæ: quæ impressa est Barcinonæ anno 1570. in folio, Parisijs anno 1583. in fol. & Venetiis 1575. in 4.

D. Hieronymus Cathaneus, Patauinus, monachus S. Iustinæ de Padua, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ, scripsit eleganti stylo Vitam S. Prosdocimi Episcopi. lib. 1.
Vitam S. Iustinæ virginis & martyris, lib. 1.
Puto eas asseruari in eodem S. Iustinæ cœnobio. Obijt Romæ anno Iubilæi 1575.

D. Hilarion Genuensis, monachus S. Nicolai de Buschetot, congregationis Casinensis alias S. Iustinæ de Padua, scripsit Commentaria siue Animaduersiones in sacrosancta quatuor Euangelia, in duabus sectionibus diuisas, in prima Matthæus, & Marcus, in secūda Lucas & Ioannes, impressæ sunt Brixiæ anno 1567. in 4. & item ibidem anno 1578. in 4.

De amore erga Deū orationes, 23. excusas Brixiæ 1581. in 4.
De cambiis, lib. 1. impressum Brixiæ in 4.
Sermones ad Sanctimoniales idiomate Italico doctissimos, nec omnibus passim penetrabiles, excusos Brixiæ, 1565. in 4.
Obiit Genuæ anni fallor, 1585. & in monasterio suo sepultus est.

D. Hilarion, monachus SS. Nazarij & Celsi Veronæ, congregationis S. Iustinæ de Padua; quæ nunc Casinensis uocatur, scripsit circa annum Domini 1516. Paraphrasim in Rethoricam Hermogenis quæ typis excusa est Venetiis anno 1523.

De vita S. Simeonis monachi, qui in monasterio S. Benedicti de Mantua requiescit, lib. 1.
Appendicem ad uitas SS. Voraginis, lib. 1. qui excusus est Mediolani apud Iacobum de la Ripa 1494. in 4.
De translatione S. Georgij martyris, lib. 1.
Cogis me pater, est MS. in s. Georgio maiore.
De translatione Brachii eiusdem Sancti ad monasterium S. Georgii, lib. 1. est MS. ibidem.

Frater

Frater Hildericus, monachus Casinensis, & Pauli Diaconi discipulus, circa annum Domini 800. scripsit De uita magistri sui Pauli uersus pulcherrimos, lib. 1.

D. Ilduinus, Abbas monasterii S. Dionysii extra Parisios, congregationis Floriacensis, qui floruit anno 840. scripsit

De uita S. Dionysij Episcopi & martyris utroque stylo, carmine, videlicet, lib. 4. & prosa, lib. 1.

Prosam cum quibusdam aliis eo pertinẽtibus habemus in Areopagiticis D. Matthæi Galeni Vuestcapellii, Cancellarii almæ Vniuersitatis Duacensis, Coloniæ 1563. excusam. Libri autem quatuor metro conscripti, asseruantur in monasterio Gemblacensi in Belgio MS. De reuelatione eiusdem lib. 1. qui est MS. in Parco, monasterio iuxta Louanium.

Frater Hillinus monachus Corbeiæ Gallicæ, congregationis Floriacensis, scripsit utroque stylo carmine scilicet & prosa, Martyriũ S. Foillani episcopi, & martyris, lib. 2. Qui asseruãtur MS. in monasterio S. Foillani extra Rhodium in Galliis.

Frater Honorius, monachus in Anglia, & pro Christi amore inclusus, qui floruit anno Domini 1080. scripsit

Quæstionum, & responsionum diuersarum, lib. 1.
Epistolas multas ad compunctionem utiles.

Do. Honorius, Augustodunensis solitarius, monachus & Abbas, qui floruit anno Domini 1120. multa scripsisse fertur, inter quę sunt

In hexameron, lib. 1. In totum psalterium, lib. 1.
In Cantica Canticorum, lib. 1. In principiis librorum.
Elucidarium, lib. 1. De libero arbitrio, lib. 1.
Sigillum s. Mariæ, lib. 1. Dicis nos mirari.
Speculum ecclesiæ siue sermonum, lib. 1.
Offendiculum de sacerdotibus, lib. 1.
De Deo & uita æterna, lib. 1. De corpore Domini, lib. 1.
De anima, lib. 1. De Papa, & Imperatore, lib. 1.
In euangelia, homiliarum, lib. 1.
Pabulum vitæ de Sanctis, lib. 1.
Scalam cœli de gradibus uisionum, lib. 1.
Refectionem mensium de festis, lib. 1.
Dialogum ex opusculis s. Augustini, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
Summam historiarum, siue chronicorum, magnum opus; erat olim

olim apud Lazium, sed nunc est in Bibliotheca Imperatoris Viennæ, MS.

De luminaribus ecclesiæ, li. 1. excusus est Coloniæ anno 1580. in 8. cum reliquis scriptoribus ecclesiasticis.

Gemmam animæ, lib. 1. excusa est Coloniæ cum reliquis scriptoribus De ratione diuinorum officiorum, anno 1568. Romæ anno 1590. in folio, & Venetiis in speculo missæ anno 1572. in 8.

De imagine mundi, lib. 3. excusi Spiræ anno 1583. in 8.

Nonnulla opera superius citata feruntur impressa magna ex parte Basileæ & Coloniæ, ea tamen nondum uidi.

ANNOTATIO.

A Trittemio de scriptoribus ecclesiasticis, & nonnullis alijs, vocatur hic Honorius, presbyter & scholasticus Augustodunensis, at ex operibus eius quæ extant, colligere licet eum monachum fuisse, & pro tali agno scitur a F. Nicolao Aurifico Carmelita Senensi in speculo missæ, & Melchiore Hittorpio in prolegomenis scriptorum de diuinis officijs, qui simul excusi sunt Romæ anno 1590. in fol. a quibus duobus monachus, & Abbas vocatur, sed ubi non explicant.

D. Honorius a Panhormo, Siculus, monachus s. Martini de Scalis iuxta Panhormum, Congregationis Casinensis, alias s. Iustinę de Padua, vir græce & latine doctus, qui floruit anno 1570. scripsit,

Grammaticam græcam, lib. 1. quæ asseruatur in Bibliotheca eiusdem cœnobij MS.

F. Hugbaldus, Gallus, monachus Elnonensis S. Amandi, congregationis Floriacensis, qui floruit anno Domini 880. scripsit ad Carolum Caluum Imp. mirabile opus 136. uersuum, in quo omnia uerba ab una Littera C. incipiunt, intitulatum

De laude Caluorum, lib. 1.

Carmina clarisonæ Caluis cantate Camænæ: impressum Basileæ anno 1516. uel 1519. & ibidem anno 1546.

De arte musica, lib. 1.

De uita s. Aldegũdis primę Abbatisse Malbodii. li. 1. qui extat.

De uita s. Rictrudis Abbatissæ Marcianensis, lib. 1. scriptum anno 907. est excusus apud Surium Tomo 3. die 12. Maii.

Martyrium SS. Quirici & Iulitæ, lib. 1.

D. Hugo Abbas, dictus Farsitus, Gallus, monachus primum Suessionensis, scripsit De miraculis per Beatam Virginem in ecclesia s. Mariæ Suessionis factis, lib. 1.

D. Hugo,

D. Hugo, Anglus, monachus, & Abbas Radingæ in Anglia, scripsit Quæstionum Theologicalium, lib. 6. Deus summe uerus, & uerè summus. Sunt MS. in Bibliotheca nostra s. Benedicti Mantuani.

F. Hugo, monachus Floreffiensis, congregationis Cluniacensis, scripsit anno 1227.

De uita s. Iuetæ uiduæ reclusæ, lib. 1. qui extat MS. Leodii.

F. Hugo, Gallus, monachus monasterij & congregationis Cluniacensis, circa annum Domini 1112. scripsit De uita s. Hugonis Abbatis Cluniacensis, lib. 1. excusus in Surio Tomo 2. die 29. Aprilis.

De uita s. Odilonis Abbatis, lib. 1.

Scriptores de Litteræ I. Cap. LXX.

D. IACOBVS Astensis, monachus & Prior s. Benedicti de Mantua, vir pius & bonus, composuit ex operibus sanctorum Patrum, anno Domini circiter 1520.

Auctoritatum Sanctorum Patrum, lib. 1. qui est in Bibliotheca parua s. Benedicti, MS.

D. Iacobus Gandus, Florentinus, monachus monasterii s. Mariæ de Florentia congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, qui floruit anno 1560. scripsit sermone Italico ad magnum Hethruriæ Ducem Cosmum, Historiam prænotatam, Historia dell'uno, e dell'altro mondo, siue Historiam diuinam, excusam Flor. an. 1571.

D. Iacobus Graffius, nobilis Capuanus, monachus monasterij s. Seuerini Neapolis, congregationis Casinensis, aliàs s. Iustinæ de Padua, I.V.D. qui etiamnum nobiscum in s. Georgio degit, scripsit

Decisionum aurearum, casuum conscientię, lib. 4. excusos primum, Venetijs apud Damianum Zenarum anno 1591. in 4. & item apud eundem iam locupletatos & auctos an. 1593. in 4. & Taurini anno 1592. in 4. & Lugduni 1592. in 4. apud Iuntas.

Calogerus Iacobus, monachus, Græcus, sed utrum Benedictinus fuerit dubito, uir pius & doctus, scripsit quosdam sermones Græcos qui in Italia, & maxime in Casinensi Bibliotheca, ubi eos uidi, MS. conseruantur, nempe

De conceptione B. Mariæ, De duodecim tribubus Israel.
De cõceptione & Generatione eiusdem. De Sancta sanctorũ.

D. Ia-

D. Iacobus, Oliua, Abbas Fanæ, scripsit de institutione christiana sermone Italico, quæ excusa est Venetijs anno 1571. in 8.

D. Iacobus, Tramontana, Siculus, Messanensis, monachus cœnobij S. Placidi extra Messanam, congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, scripsit, Feralem pompam Ser. Margaretæ Austriacæ, Ducissæ Parmensis & Placentiæ, quæ excusa est Placentiæ apud Antæum Comitem, anno 1586. in 4.

De familia Farnesiorum carmine, lib. 1.

Et alia nonnulla quæ nondum vidi. Supereſt, & scribere non cessat.

Frater Ignatius, monachus monasterij Casinensis, collegit ex libris moralium Diui Gregorij Papæ, flores, & eosdem in unum uolumen redegit, quod MS. asseruatur in Bibliotheca Casinensi in scamno 8. ad sinistram. Quo tempore claruerit ignoro.

D. Indulphus, Anglus, monachus, & Abbas, monasterij Crolandiensis in Anglia, congregationis .... qui floruit anno .... scripsit

Historiarum sui temporis, lib. 1.

D. Ioannes Baptista Folengus, Mantuanus, monachus & Prior s. Benedicti de Mantua, congregationis Casinensis, aliàs s. Iustinæ de Padua, qui floruit anno Domini 1540. scripsit elegantissimo sermone Commentaria in omnes psalmos Dauidicos: excusa Romæ anno 1585. in folio.

In omnes Canonicas epistolas commentaria, quæ excusa sũt Antuerpiæ in 8. & item in primam Ioannis excus. Venetijs 1546. apud Aldum.

D. Ioannes (si rectè memini) Belgà, monachus & Abbas monasterij s. Bertini in Oppido Audomarensi, qui floruit anno 1470. uel circa, scripsit sermone Gallico immensum uolumen de origine, progressu, & constitutionibus, Equitum Aurei Velleris, quorum Cancellarius perpetuus est Abbas s. Bertini pro tempore, excusus est liber ille Parisijs in fol. sed annus impressionis iam è mente excidit.

D. Ioannes Belga, monachus, & Abbas monasterii s. Bauonis Gãdaui, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Domini circiter 1390. scripsit, De esu carnium, lib. 1.

Declarationes in regulam s. Benedicti, lib. 1.

Quæstiones sententiarum lib. 1. Et alia multa.

D. Ioannes Bertels, Louanienſis, Brabantinus, monachus, & Abbas monasterij s. Marię Luxemburgensis, congregationis Bursfeldensis, qui utrum obierit nescio, scripsit In Regulam Diui P. N. Benedicti, dialogos 26.

De

De Abbatibus monasterii sui,& rebus eorum gestis,lib.1.

Ambo excusi sunt Coloniæ apud Maternum Cholinum anno 1581.in 8.

F.Ioannes cognomento Chrysoras,natione Damascenus,ex Syria,monachus & presbyter monasterii S.Sabæ,non procul ab Hierosolymis, Ordinis S. Benedicti, cong. .... qui a Paulo Diacono uocatur etiam Manzurim,& Saracenicus,uir non minus religione quam scientia, & sanctitate clarus, ad imitationem s.Gregorij Papę III.qui Leonem Imperatorem, quod sacras imagines impugnaret, anathemate notauerat, scripsit græco eloquio, pro sacrarum imaginum defensione,

Contra Leonem Imperatorem, lib.2. qui excusi sunt Antuerpię,anno 1556 in 12. Traditiones orthodoxæ fidei,lib.4.

Historiam Barlaam & Iosaphat, lib. 1. excusum Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum, cum scholijs Aloisij Lippomani, anno 1568.in 12.

Omnia autem eius opera, tam Græcè,quam Latine,interpretibus; D. Ioachimo Perionio,monacho Benedictino,& Fabro Stapulensi, excusa sunt Veronę 1531.Parisijs 1544.Basileæ,1548.& Antuerpię 1556.Illa vero quæ R.D.Iacobus Billius Abbas s.Michaelis profitetur,impressa sunt Parisijs anno 1577. in fol. & alibi aliquoties: ubi egregie refutatur Fabula de duobus Damascenis, quos nobis obtrudere uoluit noster Trittemius de scripsit: eccles.& alii qui eum sequuntur. Obiit sub Zacharia Papa die 6.Maii.

F.Ioannes Diaconus,monachus Casinensis, scripsit versus nonnullos de Sancta Maria Virgine.

D.Ioannes Euangelista Mormilius,Neapolitanus,monachus Casinensis,qui etiamnum viuit,scripsit de s.Febronia Virgine, & martyre versus,excusos Romę 1589.cū operibus Donni Prosperi Martinengii monachi: item Carminum,hymnorum,odarum,epigrammatum, de diuersis materiis & præcipue de B. Virgine, & Sanctis, lib. 4.

Sermonum, & homiliarum, lib.1.

In epistolam Pauli ad Romanos, lib.1.

In Perihermeniam Aristotelis, lib. 1.

De glorioſa Virgine versu heroico Italico lib.1.

Et alia multa,quæ omnia uidi ego apud eum Manuscripta,dum essem in Monte Casino.

Nonnus Ioannes,Germanus,monachus Castellensis, in Diœcesi Eyste-

Eystetensi, congregationis Cluniacensis, scripsit circa annum Domini 1390.

Super Regulam s. Benedicti, lib. 2.
De passione Domini sermones 42.
Breuiarium Bibliæ, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
Sermones de tempore, lib. 2.
Sermones de Sanctis, lib. 1.

D. Ioannes, Italus, Abbas cuiusdam cœnobii in Italia, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Domini 950. scripsit

De uita s. Odonis secundi Abbatis Cluniacensis, magistri sui, lib. 3.
Hi sunt excusi cum Surio Tomo 6. die 18. Nouembris.
De sententiis moralium D. Gregorii Papæ in Iob. lib. 1. qui reperitur MS. in Bibliotheca Casinensi, scamno secundo ad sinistram.

D. Ioannes Maria Cardarius, Genuensis, monachus, ut puto, s. Catarinæ Genuæ, congregationis, Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, scripsit opusculum senariis constans in laudem s. Catarinæ virginis & martyris, quod excusum est in tertio poematum uolumine D. Prosperi Martinengi Romæ, 1589.

S. Ioannes Maxentius, Gallus, monachus & Abbas Pictauiensis, congregationis Gallicanæ Floriacensis, scripsit

Contra Pelagianos, lib. 1. Confessionem de Christo lib. 1.
Ad epistolam Hormisdę Papæ, responsionem.

Quæ omnia excusa sunt in Germania. Obiit circa annum Domini 550. die vigesimosexto Iunii.

Frater Ioannes Medicus, monachus Casinensis, & Constantini Afri discipulus, scripsit Aphorismum.

D. Ioannes, monachus & Abbas monasterii Niuicellensis, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1470. scripsit

Concordantiam Bibliæ, & Canonum, lib. 1.
In principio creauit Deus.
Sermones de tempore, lib. 1. Respicite, & leuate.
Sermones de sanctis, lib. 1. Relictis retibus s. Petrus.
Epistolas, & quæstiones uarias.

D. Ioannes Placentinus, monachus, sed cuius congregationis, & quo tempore claruerit, nescio, scripsit, & transtulit de græco in latinum, psalmos Dauidicos, & Regulam Constantini Lascari.

Frater

F. Ioannes Raulinus, Gallus, monachus congregationis Cluniacenſis, qui claruit anno 1570. uel circa, ſcripſit multa, inter quę uidi

Sermones Quadrageſimales, excuſos Venetiis an. 1575. in 4.

De Aduentu Domini Sermones
Doctrinale de triplici morte, naturali, culpæ, & gehennæ
Itinerarium Paradyſi.
} Excuſi ſunt Venetiis an. 1585. in 4

F. Ioannes Tyburtinus, monachus monaſterii Caſinenſis, qui claruit anno Domini 1120. ſcripſit

Sermones de Feſtis totius anni. lib. 1. & alia nonnulla.

F. Ioannes de Virduno, monachus monaſterii s. Dionyſii extra Pariſios, congregationis Cluniacenſis, compoſuit epiſtolam unam tali exordio, Tanta fuit, quæ præfixa eſt libris duobus Ioannis Docæi (de ęterna) generatione filij Dei, impreſſis Pariſiis 1554. in 4.

D. Ionas, Gallus, monachus & Abbas Fontanellæ, congregationis Floriacenſis, qui claruit anno Domini 730. ſcripſit uitam s. Vulfranni Archiepiſcopi Senonenſis, quæ excuſa eſt inter uitas Sanctorũ Surii Tomo 2. die 20. Martii.

S. Ionas Scotus, monachus, & Abbas monaſterii, & congregationis Luxouienſis, s. Columbani diſcipulus, ſcripſit

Vitas Sanctorum Columbani, Attalæ, Euſtaſii, & Bertulphi Abbatum, quæ excuſæ ſunt in uitis Sanctorum Surii, manifeſtiſſimo errore Bedæ Tomo 3. operum ſuorum attributę. Claruit anno 630.

Iſaac monachus, græcę litteraturæ peritiſſimus, ſcholium græcũ in primam figuram deſcriptionis in plano, & carmina de duodecim uentis compoſuit. Varia Aſtronomica grecè, & apparatus Aſtrolabii. Methodus Geodeſię, ideſt, terræ diuiſionis. Solutio quęſtionis cuiuſdam Palameticæ. Encomium martyris Demetrii. In ſentẽtiam Ioannis Apoſtoli, Præcipio uobis ut ametis uos mutuo.

D. Iſidorus Montautius, Florentinus, monachus, s. Mariæ de Florentia, congregationis Caſinenſis, qui ob præclaras animi ſui dotes ab Magno Ethrurię Duce Coſmo, Hoſpitalis ſanctæ Marię nouæ Præſes conſtitutus eſt, tranſtulit de Græco in Latinum, Philoſophiam Nili monachi antiquiſſimi. Obiit Florentiæ anno 1573. Menſe Maii, & in Eccleſia eiuſdem hoſpitalis conditus eſt.

Scripto-

Scriptores de Littera L. Cap. LXXI.

F. AMBERTVS Leodiensis, monachus monasterii s. Laurentij Tuitiensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit an. Do. 1220. scripsit

De vita S. Hereberti, Archiepiscopi Coloniensis, lib. 2.

F. Lambertus, Germanus, Schafnaburgensis, monachus, Hirsfeldensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1070. scripsit

Historiam de rebus Germanorum præclare gestis, ab exordio mundi, usque ad annum 1077. perductam: quæ excusa est Tubingæ anno Domini 1533. in octauo, & Francofurti, cum aliis rerum Germanicarum scriptoribus, anno 1583. in folio.

Frater Landenulphus Capuanus, monachus Casinensis, anno Domini circiter 1050. scripsit ad iustos, & peccatores

Dialogum Christi, Marię, & Benedicti.

F. Landenulphus, monachus Casinensis, eodem tempore, scripsit elegantes versus,

De renouatione cœnobii Casinensis, ac regimine Desiderii Abbatis.

F. Lanfridus, Anglus, monachus Vuintoniæ in Anglia, congregationis Giribennæ, scripsit anno Domini circiter 980.

De uita s. Suuithuni episcopi, lib. 1.

De miraculis eiusdem, lib. 1.

Nonnus Laurentius monachus Casinensis, & post Episcopus, scripsit quendam tractatum de. . . . qui est Casini MS. scamno 6. ad dextram Bibliothecæ: item

De passione s. Mauri Castrensis Episcopi, uersibus, lib. 1.

De uita s. Vuenceslai Regis, lib. 1.

De Vigilia S. P. N. Benedicti. Sermonem unum, qui est Casini Manuscriptus.

D. Laurentius Mazzolus, Petrus antea vocatus, Patritius Venetus, & monachus monasterij Sancti Benedicti de Mantua, congregationis Casinensis, alias Sancte Iustinæ de Padua, scripsit vulgari idiomate.

Rythmos seu Sonnettos (vt uocant) 400. impressos Florētiæ

per Laurentium Torrentinum anno 1564. Rythmorum lib. 2. commentariis Sansouini auctos, excusos Venetiis anno 1583. in 4.

Citantur, & eiusdem, de modo componendi historias: Concordia Platonis, & Aristotelis: & alia quædam, quæ tamen necdum uidi. Obijt in Sancto Benedicto, ubi & sepultus est, anno Domini 1590. mense Februario.

D. Leonardus, Perusinus, monachus congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, anno Domini circiter 1517. scripsit

Elegiarum de Christo & Maria, lib. 3.

De renouatione ordinis monastici, uersu heroico, lib. 1. Sunt MS. apud D. Constantinum Siracusanum, monachum Catanensem.

D. Leonardus Vairus, Beneuentanus, Canonicus regularis Ordinis s. Benedicti, scripsit

De fascino, lib. 3. quos excudit Aldus Venetiis an. 1589. in 8.

F. Lethaldus, Gallus, monachus Cœnomanensis, congregationis Cluniacensis, anno Domini circiter 990. scripsit,

De vita s. Iuliani episcopi Cœnomanensis, lib. 1. Reperitur MS. Vltraiecti ad Sancti Saluatoris monasterium.

D. Lintbertus, monachus Fuldensis, & primus Hirsaugiæ Abbas, congregationis Luxouiensis, anno Domini circiter 840. scripsit

In Cantica Canticorum, lib. 1.

p. Lucas Abbas montis s. Cornelii, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1130. scripsit

In Cantica Canticorum, lib. 1. Sermones & epistolas plures.

D. Lucas Bernardus, Brixianus, Franciscus ante uocatus, monachus s. Iustinæ de Padua, congregationis eiusdem, anno Domini circiter 1503. uertit homilias 10. Chrisostomi 80. de græco in Latinum, quæ excusæ sunt Basileæ in duobus tomis in fol.

Cal. Lucas monachus, & presbyter, Græcus, scripsit,

Ad Virgines sermonem 1. qui extat Græce in Italia

Parabolas, & expositiones Euangeliorum: qui reperiuntur Græcè MSS. Bononiæ in Bibliotheca S. Saluatoris.

D. Lucillus Martinengus, Brixianus, monachus monasterij, s. Euphemiæ Brixiæ, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ, de Padua, qui adhuc superest, scripsit sermone Italico, & uersu heroico

De uita s. Pelagiæ peccatricis, dictæ Margaritæ, uersu heroico, lib. 1.

De uita

De uita s. Margaritæ, dictæ Pelagiæ, uersu heroico, siue octauo (ut uocant) Rythmo. lib. 1.

Cantilenas, Sonettos, & sextinas, in laudem Sacræ Sindonis; & alia de diuersis.

Omnia excusa Brixiæ, in 4. Breui etiam excudetur Vita B. Virginis Mariæ, eodem uersu heroico, & Apologia una contra quendam, qui alieno sensu scripta eius interpretatus est.

F. Ludolphus, Germanus, monachus Erfordiensis, congregationis Floriacensis, anno Domini 840. scripsit Sermonem de uita & translatione s. Seueri Episcopi Rauennatis ad Erphordiam.

p. Ludouicus Blosius, Belga, monachus & Abbas Lætiensis in Hanonia, congregationis Bursfeldensis, cuius sanctitatis eximiæ, & doctrinæ raræ, scripsit multa pietatem concernentia quæ pluribus in locis separatim, & diuersis temporibus impressa sunt, ut

Speculum monachorum, sub nomine Dactiani Abbatis, quod fuit primum eius opus, Antuerpiæ, Louanii, & Venetiis iã Italum factum, anno 1570. & alibi sæpius, in 8.

Consolatio pusillanimium, Venetiis apud Guerreos fratres in 12.

Canõ uitæ christianæ: Endologiæ & preculq; & meditationes, Ingolstadij anno 1585. in 16.

Margarita spiritualis, Monile, & alia huiusmodi, Louanii & alibi sæpius.

Opera autem omnia simul excusa sunt, Louanii anno 1568. in fol. Coloniæ, 1572. in fol. item Coloniæ apud Maternum Chelinum 1589. in fol. Obiit anno Christi 1566. septimo Idus Ianuarii, & Lætiis sepultus est cum sequenti epitaphio.

Qui tres exactè linguas callebat ab ipsa,
Ephœbia, uirtutum & omnium narthecium.
Blosius heu cecidit, tumbaq; reconditur ista,
Nostri decus, miraculumque seculi.
Huic age, fac Lector fœlicia cuncto precere,
Et te para ad summi Tribunal Iudicii.

p. Lupus, Gallus, monachus & Abbas monasterii Ferrerensis, in Senonibus, congregationis Floriacensis, qui claruit anno Domini 890. scripsit

Epistolarum, lib. 1. qui nunc primum in lucem editus est, Papirii Massoni beneficio atque opera. Parisiis apud Marcum Orry, anno 1588. in 8.

S. MARCELLINVS, Anglus, monachus s. Saluatoris Traiecti, congregationis Gallicanæ Flotiacensis, circa annum Domini 740. scripsit

De uita s. Suuiberti Episcopi Vuerdensis, lib. 1.

Hæc excusa est in uitis sanctorum Surii Tomo 2. die primo Martii.

D. Marcus Brixianus, monachus & Abbas congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, scripsit tam carmine, quam prosa nonnulla opuscula, de quibus subiecta uidi,

Orationem de purgatorio in concilio Tridentino habitam, quæ excusa est Brixiæ anno 1557.

Orationem in translatione SS. Corporum, in monasterio s. Iustinæ quiescentium, a templo veteri ad nouum, excusa est Patauii 1562. in 4.

Cœnas amoris octo, quarum prima excusa est Brixiæ, 1556. in 8. Sermones tres de passione Domini, excusi Brixiæ 1557. in 8.

In matriculam monachorum congregationis Casinensis, carmen, quod est apud me MS.

Et alia nonnulla, quæ ad notitiam meam non uenerunt. Claruit anno 1550.

Frater Marcus Poeta, & Eremita, monachus Casinensis, & S.P.N. Benedicti discipulus, scripsit carmine, eiusdem Patris nonnulla miracula à Diuo Gregorio omissa: quæ carmina, hactenus incognita, & a nobis in monasterio S. Benedicti Mantuani reperta, excusa sunt in tertio poematum uolumine D. Prosperi Martinengi, Romæ anno 1590. in 4. scripsit & Gnomas, impressas Haganoæ anno 1531. & opuscula quędam, conuersa per Io. Picum, ædita sunt Parisijs anno 1563. in 8.

S. Marianus, Scotus, monachus primum s. Martini Coloniæ, deinde Fuldensis, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1060. scripsit

De concordia Euangelistarum, lib. 1. De computo, lib. 1. Chronicorum, lib. 3. excusos Basileę anno ... & Francofurti anno 1583. in fol. & alibi aliquoties.

Frater

F.Matthæus Paris, Anglus, monachus monasterii s.Albani in Anglia, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1270. scripsit

Historiam maiorem a Gulielmo Conquæstore, ad ultimum annum Henrici III. Regis: quæ excusa est Londini anno 1574.in fol.& Tiguri anno 1589.item in fol. Item

Historiam minorem usque ad annum 1254. Considerans prolixitatem.

F.Matthæus, Anglus, monachus Vuestmonasterienſis, uir doctus & rerũ Britannicarum studiosus indagator, scripsit ab exordio mundi, usque ad annum Domini 1307. præcipuè de rebus Britannicis,

Flores historiarum in sex Ætates diuisos, qui excusi sunt Lõdini in Anglia anno 1573.in fol.

F.Maurus Germanus, monachus s.Aurelii Hirsaugiensis, congregationis Luxouiensis, scripsit

Vitam s.Bonifacij Episcopi & martyris, carmine heroico, libris duobus. Moritur anno Domini 865.

D. Maurus Pandolphinus, Florentinus, monachus s.Mariæ de Florentia, congregationis Casinensis, scripsit eleganti sermone

Armoniam quatuor sensuum sacræ scripturę, lib. 4. quæ nondum excusa reseruatur Florentiæ.

Floruit anno Domini 1550.& post annum 1572.mortuus est.

D.Maurus, Siculus, Panhormitanus, monachus monasterii sancti Martini, de scalis iuxta Panhormum, congregationis Casinensis, alias s.Iustinæ de Padua, mihi familiaris, composuit, Sacrarum Cantionum, quæ octo tum uocibus, tum variis instrumentis choris que coniunctis ac separatis concini possunt, lib. 1. qui excusus est Venetiis an. 1590 in 4. Et alia nonnulla quæ ad manus meas non uenerunt. Viuit Panormi in monasterio suo.

Frater Maximus monachus, sed ubi non explicatur, scripsit

Sermonem unum in illud Exodi 37. de Candelabro, & septem Lucernis.

De obscuris locis sacræ scripturæ, lib. 1. qui est Casini MS. scamno 4 ad siniſtram.

Cuiusdam etiam S. Maximi Doctrina ad monachos, est in eadem Bibliotheca, scamno 8.ad siniſtram.

F.Megenfridus, Germanus, monachus Fuldensis, qui uixit sub Otone II. & III. Impp. scripsit,

Historiarum, lib.24.quos citat Trittemius in vita S.Maximi

Episcopi Moguntini, apud Surium Tom. 6. die 18. Nouēb.

Frater Meginhardus, Germanus, monachus Fuldensis, congregationis Luxouiensis, qui floruit anno Domini 770. scripsit

De passione S. Ferrutii martyris, lib. 1. qui excusus est in uitis Surii Tomo 5. die 28. Octobris.

Frater Milo, Gallus, monachus monasterii Eluonensis s. Amandi, congregationis Floriacensis, qui claruit anno Domini 870. scrip.

De sobrietate metrice, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

De vita S. Amandi prosa, lib. 1. excusus in uitis Surii die 6. Februarii.

De eiusdem uita metro, lib. 1. Festa propinquabant nostri veneranda Patroni, est MS. ad S. Amandum in Belgio.

Obiit milo anno 871. in S. Amando ubi & sepultus est, cum hoc epitaphio. Milo poeta sophus cubat hoc sub marmore clausus,

Carmine dulciloquus, qui librum sobrietatis
Edidit, & Sanctum pulchrè depinxit Amandum,
Floribus exornans; metro, prosaque uenustans.

D. Miniatus Pittus, nobilis Florentinus, monachus & Abbas S. Miniati Florentiæ, congregationis ueteris Cluniacensis, circa annū Domini 1550. scripsit

De nominibus antiquis, & recentioribus omnium ciuitatum, & regionum totius orbis, lib. 1. qui extare dicitur sed illum non uidi.

Et alia multa, in Mathematicis præsertim. Obiit anno 1569. Flor.

D. Modestus, Pisanus, monachus monasterii s. Petri Perusii, congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, qui etiamnum uiuit, scripsit

Orationem vnam, in morte D. Desiderii a Brixia Abbatis S. Petri, quæ impressa est Astæ apud Virgilium de Zangrandis, anno 1592. in 4.

F. Mogo, monachus & presbyter (ut arbitror) Fuldensis, anno circiter Domini 760. scripsit referentibus quatuor Sanctimonialib.

De uita S. Liobæ Abbatissæ, lib. 1. qui est excusus in uitis sanctorum Surii Tomo 5. die 28. Septembris.

F. Monachus continuator Bedæ, Anglus, anno Domini circiter 1070. scripsit ad historiam Bedæ de gestis Anglorum, usque ad Gulielmum conquæstorem libros tres, impressos Lugduni apud Reuatum Potelerium an. 1587. in fol. cum aliis Britannicarum rerum scriptoribus.

F. Mo-

F. Monachus Aquiſcinctenſis monaſterii, congregationis Cluniacenſis, cuius nomen non reperitur, an. circiter Domini 1150. ſcripſit.

De uita s. Goſuini Abbatis Aquiſcinctenſis lib. 1. eſt Manuſcripta Aquiſcincti.

F. Monachus Augenſis monaſterii, ſcripſit temporibus Honorii tertii Papæ,

De uita s. Laurentii Dublinenſis Arciepiſcopi, lib. 1. qui excuſus eſt in uitis SS. Surii Tomo 6. die 14. Nouembris.

F. Monachus Blandinii monaſterii s. Petri Gandaui, congregationis Cluniacenſis, anno Domini circiter 1073. iuſſu Folchardi Abbatis, ſcripſit,

De uita s. Bertulfi confeſſoris, lib. 1. qui eſt MS. Blandinii.

F. Monachus Boiemus (ut puto s. Martini) congregationis Caſinenſis, anno Domini circiter milleſimo, ſcripſit

De paſſione s. Adalberti epiſcopi & martyris, lib. 1. excuſus cum Surio Tomo 2. die 23. Aprilis.

F. Monachus Bronienſis monaſterii, congregationis Cluniacenſis, anno Domini circiter 960. ſcripſit ad Guntherum Abbatem Bronii in patria Namurcenſi,

De uita s. Gerardi Abbatis Bronii lib. 1. eſt apud Surium die 3. Octobris.

F. Monachus. N. Caſinenſis, uir pius & eruditus, compoſuit Homiliam, ſiue ſermonem in feſto s. Scholaſticæ uirginis, tali exordio, Ab antiquis & maioribus; quæ eſt Caſini MS.

F. Monachus quidam, monaſterii Erfordenſis in Thuringia, ſcripſit circa annum Domini 1472. appendicem ad Lambertum Schafnaburgenſem, quæ impreſſa eſt cum eodem Francofurti anno 1583. in folio.

F. Monachus quidam Gallus Ebroicenſis, ſcripſit ad Audoenum Eiſcopum

De vita s. Aquilini Epiſcopi Ebroicenſis, lib. 1. qui excuſus eſt cum Surio Tomo 5. die 19. Octobris.

F. Monachus Fuldenſis, ſcripſit

De vita s. Bonifacii Epiſcopi, & martyris, libros duos, excuſos cum Surio Tomo 3. die 5. Iunii.

Frater Monachus quidam ordinis S. Benedicti, ſcripſit

Vitam S. Ebrulphi Abbatis, & confeſſoris, lib. 1. qui excuſus eſt cum Surio Tomo 6. die 29. Decembris.

Frater Monachus quidam, Gallus, ad Theoduinum Abbatem,

scripsit De uita S. Vualerici Abbatis, lib. 1.
Puto eam esse, quæ est apud Surium To. 2. die 1. mensis Aprilis.

F. N. Monachus, monasterii s. Georgii in Brunsen ingen, anno Domini 1281. iussu Abbatis sui Vdalrici, qui quinto loco eidem cœnobio præerat, scripsit,

De uita s. Ermenoldi, primi illius loci Abbatis, lib. 1. qui excusus est cum Mosandro Tomo 7. Surii, die 6. Ianuarii.

F. Monachus Hæmundæ in Hollandia, scripsit

De uita s. Adalberti monachi & Leuitæ, lib. 1. qui extat MS. in Flandria.

F. N. Monachus cuiusdam monasterii in Hispania, ordinis S. Benedicti, magnæ eruditionis, & profundæ scientiæ, scripsit sermone patrio Hispanico, in tria priora capita Apocalipsis S. Ioannis, tractatus tres; quorum Primus in caput primum habet capita 37.

Secundus, in caput secundum, capita 109.

Tertius, in caput tertium, capita 103.

Excusi sunt Hispali per Antonium Aluarez, in fol. anno Domini 1546. quo tempore arbitror auctorem uixisse.

F. monachus monasterii S. Ioannis Euangelistæ Parmæ, congregationis Benedictinæ primæ, circa annum Domini 973. scripsit

Vitam S. Ioannis, primi eiusdem cœnobii Abbatis, & miracula eiusdem, tali exordio, Tempore quo: extat MS. in eodem monasterio.

F. Monachus Iurensis in Burgundia, scripsit

De uita S. Eugendi Abbatis lib. 1. excusus est cum Surio Tomo 1. die 1. Ianuarii.

D. Monachus quidam congregationis s. Iustinæ de Padua, quæ nunc dicitur Casinensis, scripsit librum uerè aureum, quem prænotauit, Paradisum delicioſum in apparitione Domini, cuius initium est, In nomine Domini nostri Iesu Christi, & eius genitricis gloriosę semper Virginis Mariæ, & Sancti Patris Benedicti, & omnium Sanctorum Dei, Amen: impressus est Parmæ per Franciscum Vgoletum anno 1505. in 4. haberque capita. 70.

F. Monachus Laubiensis, congregationis Floriacensis, S. Ermini discipulus, scripsit

De uita magistri sui, lib. 1. qui est MS. Laubiis in Hannonia.

Frater Monachus Lirinensis quidam composuit

De vita s. Honorati Episcopi libros tres, qui excusi sunt Venetiis anno 1501. in 8.

Frater

Frater Monachus Locedenſis, ſanctæ Mariæ, ſcripſit
De vita S.Bononii Abbatis,lib.1.qui excuſus eſt Tom.7.Surii die 30. Auguſti.
F.Monachus,Marcianenſis,S.Rictrudis, uir profundioris ſcientiæ,ſcripſit
De vita S.Euſebiæ Abbatiſſæ,proſa, lib.1. Cum primum ad ſcribendum.
De eadem carmine,lib.1.Ordinibus uariis, quorum compagine veſtis.
Aſſeruatur MSS.in prædicto cœnobio Marcianenſi.
Monachus quidam Benedictinus,tempore s.Gregorii Papę VII. ſcripſit de officiis diuinis tractatum inſignem, qui prænotatus,Micrologus:excuſus anno 1576.in fol.in Tomo 4.Bibliot.SS.Patrum; & alibi ſæpius.
F.Monachus Patauinus S.Iuſtinæ,congregationis Cluniacenſis, ſcripſit ab anno Domini 1207.vſque ad 1270.
De rebus in Inſubribus, & Euganeis, hoc eſt,Lombardia, & vicina marchia Taruiſina geſtis,lib.3. qui excuſi ſunt cum Ottone Epiſcopo Friſingenſi, & aliis, Francofurti, anno 1585.in folio.
F.Monachus Pegauienſis Germanus, ſcripſit
De uita & rebus geſtis Viperti Marchionis Luſatiæ, & Burgrauii Magdeburgenſis, lib.1. qui excuſus eſt Francofurti anno 1580.in fol.
F.Monachus Roſchildenſis in Dacia, ſcripſit,
De uita S.Gulielmi Roſchildenſis Abbatis,lib.1. Hæc aſſeruatur integra MS.in Rubea Valle. Surius uero Tomo 2. die 6.Aprilis,eam in compendium redegit, phraſi plerumque mutata.
F.Monachus Sigebergenſis iuxta Coloniam Agrippinam, ſcrip.
Vitam s.Annonis Archiepiſcopi,iuſſu Reginhardi Procuratoris cœnobii Sigebergenſis,quæ eſt apud Surium To.6.die 4.Decemb.
F. Monachi, Saxonicę Corbeiæ Sancti Viti,deſcripſerunt,
Vitam S.Anſcharii Epiſcopi,quæ utrum extet neſcio.
F.Monachi duo monaſterii S.Germani, Pariſijs, congregationis Floriacenſis,iuſſu Caroli Calui Imperatoris,ſingulis opuſculis, de ſcripſerunt Hiſtoriam translationis & miraculorum S.Germani Pariſienſis Epiſcopi,quas approbauit Ebroinus Pictauorũ Epiſcopus.
F. Monachi Medelocenſes in agro Treuirenſi, congregationis Clu-

Cluniacensis,anno Domini 1390.descripserunt, Vitam S.Adalberti monachi & Leuitæ,lib. 1.

Hanc habet Surius Tomo 3.die 25.Iunij.

FF. Monachi monasterii nostri S. Petri Oudemburgensis, congregationis Cluniacensis,scripserunt ad instructionem Nouiciorũ, Exercitium spirituale per hebdomadam.

Hoc libello vtebantur passim & omnes alii monachi in monasterio præfato, meo tempore, quod in deuastatione ultima hæreticorum mea industria conseruatum, reseruatur apud fratres meos Duaci, cum alijs Libris meis.

FF.Monachi,monasterij de Russin,quod est in Insula Mona,quę nunc Mannia appellatur,anno Domini 1320.scripserunt, Chronicon Manniæ Regum,lib.1.

Quòd impressum est in Chorographia Britanniæ a fol.727.ad 741.

F.Monachi S.Saluatoris Traiecti, descripserunt, Vitam S.Ludgeri Episcopi: quam adfert Surius Tomo 2. die 26.Martij,sed sub nomine monachorum Vuerdensium.

Pates monachi Siculæ congregationis,scripserunt quatuor epistolas, quæ excusæ sunt post Chronicon Casinense, Venetiis anno 1513.in 4.uidelicet,

Ad S.P.N.Benedictum,quæ est fol.198.
Ad Patres Casinenses,fol.208.
Ad Apollinarem Abbatem Casinensem, fol.209.
Ad Leonem Abbatem Casinensem,folio 210.

Fratres Monachi Stabulenses iuxta Leodium, descripserunt Vitam S.Remacli Episcopi.

Fr.Monachi Sancti Vedasti Attrebati,descripserunt. Vitam S.Vedasti Episcopi, quæ est MS.Laubiis.

Scriptores de Littera N. Cap. LXXIII.

S. NALGENDVS, monachus Cluniacensis, & S. Odonis Abbatis discipulus, uir simplicis & honestæ uitæ, scripsit Luculento sermone, De uita, & miraculis sancti Odonis Abbatis, liber unum qui est Cluniaci Manuscripta.

F. Nicolaus, Anglus, monachus Dunelmensis, congregationis Clu-

Cluniacensis,sancto Godrico, monacho & Eremita dictante,anno Domini circiter 1169.scripsit

De uita S.Godrici, lib.1.

Domnus Nicolaus Donati, Lucensis,de Camaiori,monachus S. Eugenii Senarum, congregationis Casinensis alias s. Iustinæ de Padua,scripsit Latino sermone sui temporis historias,uidelicet,

De rebus gestis Senensium,lib.1.

De bello Ethrusco inter Carolum V. Imp. & Henricum II. Galliæ Regem lib.2.qui MS.extant.

D.Nicolaus de S.Germano. I.V.D.monachus primum Casinensis,deinde Abbas monasterii s.Vincentii iuxta Vulturnum,anno Domini 1299.scripsit expositionem satis perspicuam,& doctam,secundum iura Canonica,& Ciuilia, super Regulam S.P.N. Benedicti, quæ MS.reperitur in archiuio præfati cœnobii s.Vincentii.

F.Nicolaus, Germanus, monachus monasterii s.Crucis Viennæ Austriæ,scripsit in laudem Deiparæ Virginis Mariæ.

Imaginem Virginis Mariæ, lib.1.

Sermonum diuersorum, lib.1.

F.Nicolaus,Gallus, monachus Suessionensis (ut arbitror) Sancti Medardi,congregationis Cluniacensis, qui floruit anno 1110. scrip.

Vitam s.Godefridi Episcopi Ambianẽsis,quæ excusa est apud Surium Tom.6.die 8.Nouembris.

F.Nothelmus, Anglus,monachus Londinensis, scripsit

Vitam,& res gestas s.Augustini Episcopi,Anglorum Apostoli.

Scriptores de Littera O. Cap. LXXIIII.

D.Odo Gallus,monachus, & Abbas monasterii,& congregationis Floriacensis, siue ut aliis placet, Abbas Morimundi, qui floruit an. Domini.... scripsit sermonem unum,

De translatione reliquiarum corporis S. P.N.Benedicti ad Floriacum.Est MS.in monasterio nostro s.Benedicti Mantuani, & aliis pluribus in locis.

Item sermonum diuersorum,lib.1.qui est Casini MS. scam. 4. ad sinistram.

D.Odo,Gallus,monachus, & primus Abbas monasterii Glãno folii in territorio Cęnomanensi,congregationis Gallicanæ primæ a sancto

s. Mauro fundatæ, quæ Floriacensis appellata est, anno Domini circiter 586. scripsit

De inuentione, & translatione s. Mauri Abbatis, lib. 1. qui est MS. in monasterio Rubræuallis in Gallia.

D. Olbertus, Belga, monachus, & Abbas monasterii Gemblacensis, congregationis Cluniacensis, ad Raginerum Comitem anno circiter Domini 1048. scripsit,

De inuentione s. Veroni confessoris lib. 1. qui extat MS. in Belgio.

F. Ordonius, Hispanus, monachus & Prior monasterii Cellæ nouæ, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Christi 1189. scripsit:

De uita s. Rodosindi Episcopi & monachi, lib. 1.

Rationale diuinorum officiorum, anno 1227. ut ex his uersibus liquet,

Ordonius librum per Christum concedit uel confecit istum
Bis denis annis septem supra mille ducentis

Ambo reperiuntur MS. in Hispania, ut refert Ambrosius de morales.

F. Osbertus, siue Osbernus, Anglus, monachus Cantuariensis in Anglia, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1020. scripsit,

Vitam S. Dunstani Archiepiscopi, lib. 1. excusa Tomo 3. Surij, 19. Maii.

Vitam s. Elphegi Archiepis. & martyris, lib. 1. est Tomo 2. Surii, 19. Aprilis.

De musica quoque, lib. 1.

F. Osbertus de Stoke Clare, Anglus, monachus Londinensis S. Petri, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Christi 1136: scripsit:

Vitam s. Eduardi Regis, & confessoris, lib. 1. Reuerendissimo Domino Alberico.

Vitam s. Aethelberti Regis & confessoris, lib. 1. Glorioſus Orientalium Anglorum Rex.

Vitam s. Edburgæ Virginis, lib. 1. Fidelibus in Christo sororib.

De miraculis Edmundi Regis & martyris, lib. 1.

Reliqua, si quæ scripsit, ad notitiam meam non uenerunt.

F. Ostophorus, Anglus, monachus monasterii Phatæ, congrega. Benchorensis, qui claruit an. Christi 690. scrip. Homilias aliquas.

Frater

F.Otfridus, Germanus, monachus Vuiſſemburgenſis monaſterij, congregationis Luxouienſis, qui claruit anno Domini 870. ſcripſit, in Euangelia opus pergrande, quod prænotauit,

Gratiam Theouſtæ, lib. 5. Dignitatis culmine gratia, extat MS. Gallicè.

Ad Ludouicum regem, lib. 1. Ludouico orientalium.

Ad Salomonem Epiſcopum, lib. 1. Salomoni Epiſcopo Otfridus.

Ad monachos S. Galli, lib. 1. Otfridus Vuiſſemburgenſis,

In pſalterium, lib. 3. De iudicio extremo, lib. 1.

De gaudijs regni cęleſtis, lib. 1. Carminum diuerſi generis, li. 1.

Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. Et alia multa, quæ negligentia ſuperiorum perierunt.

F.Othomarus Luſcinius, Germanus, Argentinus, monachus, & Lector cœnobij SS. Vldarici, & Afræ Auguſtenſis, congregationis Bursfeldenſis, qui claruit an. 1520. ſcripſit iuſſu Ioannis Abbatis ſui,

Iſagogicum ad myſticam pſalterii intelligentiam lib. 1. Ablactatus. Alia, ſi quæ ſcripſerit, non uidi.

F.Otto, Sueuus, Germanus, monachus monaſterii Sancti Blaſij, in Hercinia Sylua, prope Albam fluuium in Dięceſi Conſtantienſi, congregationis Cluniacenſis, qui claruit anno Domini 1190. ſcrip.

Chronicam primam, in qua omnes Sacræ hiſtoriæ genealogiæ, ad Timotheum, Titumque Pauli diſcipulos uſque, figuris pulchrè diſtinguuntur. Libri exordium ſic habet, Conſiderans hiſtoriæ ſacræ prolixitatem, necnon & difficultatem. Extat hic liber MS. Baſileæ.

Appendicem ad librum ſeptimum chronicorum Ottonis Friſingenſis Epiſcopi, incipiens ab anno Domini 1146. uſque ad annum 1210. Quæ excuſa eſt cū ipſo Ottone Epiſc. Francofurti, anno 1585. in fol.

Scriptores de Littera P. Cap. LXXV.

PANDVLPHVS, Capuanus, monachus, & Presbyter monaſterii Caſinenſis, qui floruit ſub Deſiderio Abbate anno 1060. ſcripſit

De calculatione, lib. 1.

De cyclo ſolari, lib. 1.

De cyclo Lunari, lib. 1.

De Luna cuiuſque diei inueuienda, lib. 1.

De Feria

De Feria Paſcæ hæbreorum inuenienda, lib.1.
De annis Domini inueniendis, lib.1.
Qualiter ſint Indictiones inueniendæ, lib.1.
Quomodo fallant qui ſe ſcire putant quot horis uel punctis Luna in vnaquaque nocte luceat, lib.1.
De termino Paſchæ Hæbreorum,carmine, lib.1.
Et alia plura de eadem materia, quæ iniuria temporum perierunt.

F.Paulus,Genuenſis,Ligur,ab infantia cæcus, & monachus Caſinenſis ſub Deſiderio Abbate,anno Domini circiter 1050.ſcripſit
Super Hieremiam & reliquos Prophetas, lib.1.
Super pſalmos,lib.1. Super quatuor Euangeliſtas,lib.1.
Super epiſtolas Pauli,lib.1. Super Apocalypſim, lib.1.
De altercatione Græcorum & Latinorum tempore Paſchalis Papæ.II. lib.1.
Vitam s. Ebizonis, monachi, lib. 1.
Obiit Tiburti ubi & ſepultus eſt.

D.Paulus Ferrarienſis,familia Iſuarda,monachus,& Abbas congregationis Caſinenſis alias S.Iuſtinæ de Padua, hoc noſtro ſeculo compoſuit Pſalmos per totum annum ad veſperas canendos, cum tribus Magnificat,quorum unum tum pari, tum plena voce, ut libet,cani poteſt, quatuor vocum, excuſos Mediolani,anno 1590.in 4.& Venetiis 1578.in 4.

Cantus Hebdomadæ ſanctæ,excuſi Venetiis anno 1565.in 4.

Hymnos multos diuerſo carminis genere,de SS.Apoſtolis Petro & Paulo, qui conceſſione Capituli Generalis decantantur in eorum ſolemnitatibus omnibus,in monaſterio noſtro s.Benedicti Mantuani,ubi aſſeruantur MS.

F.Paulus Langius,Germanus,Voitlandus,patria Zuuiccanienſis, monachus monaſterii Bozauuienſis,ord.S.Ben.cong.Burſfeldenſis, anno 1488.profeſſus,& deinde D. Ioannis Trittemii Abbatis diſcipulus,cuius doctrina & eruditione non modicum profecit, cuiuſque legatus fuit ad collegia & monaſteria per totam Germaniam ad omnis generis antiquitates explorandas, conſignandas, & ipſi Trittemio referendas: ſcripſit inter cætera quæ vidi, de rebus geſtis Epiſcoporum Citizenſium, ab anno Domini 968. ad ſua uſque tempora,

Chronicon Citizenſe, lib.1. quod nunc primum excuſum eſt Francofurti,cum aliis rerum Germanicarum ſcriptoribus, anno 1583.in fol.deeſt tamen finis ab anno 1515.

Horta-

Hortatu item D.Ioannis Trittemii Abbatis doctè & fuiſe,ſcripſit

Contra detractores vitæ monaſticæ, lib.2.
Carminum & hymnorum, lib.1.

Et alia nonnulla quæ ad manus meas non peruenerunt. Viuebat adhuc, anno 1520. quando tamen, & ubi obierit, mihi hactenus incognitum.

F Paulus,monachus Rauennas ſcripſit,

De uita Sanctorum Hilarii Abbatis, & Olibrii monachi, lib. 1.qui extare dicitur, ſed illum non uidi.

F.Peregrinus, Germanus, monachus monaſterii s.Aurelii Hirſaugiæ, congregationis Cluniacenſis reformatæ,& S. Gulielmi Abbatis diſcipulus, ſcripſit dialogorum inſigne opus ſub perſonis ſui, & Theodoræ,cuius titulus eſt.

Speculum Virginum, lib.8.
De uita ſpiritus & fructu mortis, lib. 1.
Commentariorum in Euangelia, lib.1.
Dialogum matricularii, lib.1.
Didaſcalon, lib.1.
Laudes S.P.Benedicti carmine, lib.1.

Et alia nonnulla,omnia tamen in dialogi morem.Claruit an. 1100.

D.Petrus Abailardus,ſiue Abelardus,Gallus, cognomento Dialecticus,uir in ſeculari philoſophia eruditiſſimus,& in diuinis ſcripturis nobiliter doctus, gaudens nouitate terminorum, & altiora ſe ſcrutari tẽtãs,oppreſſus a gloria in plures incidit errores,& agentibus Sanctis Abbatibus Bernardo Claræuallenſi, & Petro Cluniacenſi, in Senonenſi Concilio,cum prauis ſuis doctrinis condemnatus eſt. Ab hoc tempore,ut ait Trittemius philoſophia ſecularis,ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili fædare cæpit. Fuit autem Petrus uxoratus primum, deinde Philoſophia ſeculari contempta ad monaſticam tranſijt,& in monaſterio S.Dionyſii extra Pariſios, congregationis Cluniacenſis habitum ſuſcepit monaſticum : eiuſq; vxor Sanctimonialis Argentelii facta, poſtmodum creſcentibus meritis,Abbatiſſa monaſterii Paracleti, iuxta Nongentum conſtituta, in Magna ſanctitate uitam finiit. Ipſe uero Petrus ex monaſterio s.Dionyſii aſſumptus,Abbas cuiuſdam cœnobii in Britannia minoris factus eſt.Vbi ſubtili abuſus ingenio,in erroresquos prędiximus incidit. Sed tandem reſipiſcens, dignitate abdicauit,& monachus iterum factus eſt in monaſterio Sanctorum Petri,& Pauli Cluniaci, ſub Petro Abbate.Scripſit autem Petrus iſte nonnulla opuſcula,quibus ſi

bus si errores non miscuisset, utilitati posteritatis profuisse poterant: e quibus extat uolumen dialectica obscuritate subumbratum, multis sententijs varium, quod prænotare uoluit

Theologiam suam, lib. 1. Scito teipsum, lib. 1.
Hymnos, in monasterio Paracletum dicto, ubi eius quondam
Vxor Abbatissam agebat, decantandos. Et alia nonnulla.

De eius morte controuertitur. Franciscus enim Belforestius in magnis Annalibus Franciæ, lib. 3. c. 47. dicit obiisse in monasterio Britanniæ minoris, ibique sepultum cum simili Epitaphio:

Est satis in titulo, Petrus hic iacet Abailardus,
Cui soli patuit, scribere quicquid erat.

At auctor chronici Cluniacensis, quod est penes me MS. dissentit, dicens migrasse in monasterio Cluniacensi, ibique sepultum anno 1144. undecimo Calendas Maij, cuius uerba hic apponam, sic enim inquit:

Per idem tempus factus est Monachus in Cluniaco, Abaelardi Petrus nomine, qui fuit reuocatus ab erroribus, per Petrum Venerabilem Abbatem suprascriptum, qui eum fecit monachum, & sanctum Bernardum Careuallensem. Hic fuit celeberrimus opinione scientiæ, sed de fide dogmatizans perfidè; fuit autem Negromanticus, & Dæmoni familiaris. De isto scribit Petrus Cluniacensis in quarto libro epistolarum suarum, c. 23. circa finem, cuius extat epitaphium per eundem Petrum Abbatem compositũ, prout sequitur.

Mallorum Socrates, Plato, maximus Hesperiarum
Noster Aristoteles, Logicis quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior, studiorum cognitus Orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis, & acer
Omnia vi superans rationis & arte loquendi
Abaelardus erat, sed tunc magis omnia vicit
Cum Cluniacensis monachum, moremque professus,
Ad Christi veram transiuit Philosophiam.
In qua longæuæ bene complens ultima uitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandi
Spem dedit, vndenas Maio renouante calendas.

Nonnus Petrus Alberti, DD. Doctor, monachus & Prior maior monasterii Cluniacensis, tempore Odonis secundi Abbatis, anno 1420. scripsit,

De decimis noualibus, lib. 1. qui est Cluniaci MS.

D. Petrus de Alcamo Siculus, monachus S. Martini di Panhormo, con-

mo,congregationis Casinensis, poeta non contemnendus, scripsit nonnulla maximè uersu,quæ excusam sunt anno 1560. at de ijs nihil hactenus vidi.Floruit anno Domini 1550.

Nonnus,Petrus Berchorius,Gallus,Pictauiensis, monachus, & Prior cœnobii S.Eligij Parisiensis,congregationis Cluniacensis,qui floruit anno 1360.scripsit magnum,& egregium opus,prænotatum Dictionarium siue Repertorium morale,lib.3. in tribus Tomis diuisum, & impressum Lugduni in 4.anno 1520. Venetiis anno 1589. in folio,& anno 1585.& Parisiis, in fol. tribus Tomis, anno 1521.Reductorium morale, lib.14.excusum Venetijs an. 1589.in fol.Inductorium morale, lib.3.

Breuiarium historiarum Bibliæ,lib.24.excusos Venetiis anno 1580.in folio.

Cosmographiam, lib.1.

Epistolarum,& aliorum opusculorum breuium, lib.1.

Conuertit etiam ad Ioannis Regis Galliæ petitionem,Titum Liuiuum in Gallicam linguam.

D.Petrus Calzolarius, à Bugiano Castello Ethruriæ, monachus S. Mariæ Florentiæ, congregationis Casinensis, aliàs S.Iustinæ de Padua, qui claruit anno Iubilæi 1575. scripsit Historiam Monasticam lingua Ethrusca, in quinque tractatus,quos Diarios uocat, forma dialogistica,diuisam,quæ excusa est primum Florentiæ an.1560. in 4.& deinde Romæ anno 1575.in 4.

Frater Petrus Diaconus,Tranensis,monachus Casinensis sub Oderisio Abbate,anno Domini circiter 1080.scripsit,sermones,

De Natiuitate Domini, De Epiphania,
De Dedicatione ecclesiæ, De Septuagesima,& alios.

F.D.Petrus,Diaconus,monachus Casinensis,& Bibliothecarius, Aegidij filius,Romanus,Girardo Abbati,an.Domini 1115.quinquẽ nis,Deo,& S.Benedicto nutriendus oblatus,sub regulari disciplina ita institutus est,& in sacris,& humanis litteris taliter eruditus, ut propter doctrinam, & morum integritatem optimis scriptoribus comparari iure censeatur. Scripsit autem penè infinita opera, quæ iniuria temporum, & hominum negligentia cum magno rei litterarię decremento,pro maiori parte interierunt.Ea vero quæ restãt, MSS.& ad manus meas peruenerunt,hæc sunt.

Visio Alberici monachi, ab ipso emendata,
De ortu & uita iustorum monasterii Casinensis, lib.1.
De uiris illustribus monasterii Casinensis, lib.1.

Miracula Casinensium monachorum, quæ scripta non erant.
De locis Sanctis, lib. 1.
Super regulam S. Benedicti, lib. 4.
Supplementum ad Historiam D. Anastasii monachi, & Bibliothecarii, de raptu corporum SS. Benedicti, & Scholasticæ.
Sermones, De cœna Domini, duo.
De Parasceue. 1.
De Sabbato Sancto. 1.
De Pentecoste. 1.
De s. Benedicto, 1.
De octaua eiusdem, Sermo copiosus.
De S. Ioanne Baptista, 1.
De SS. Petro, & Paulo, 1.
De S. Laurentio, 1.
De vigilia Assumptionis B. Mariæ, 1.
De omnibus Sanctis, 1.
De Natiuitate Domini, 2.
De S. Stephano protomartyre, 1.
Passio S. Placidi Abbatis, & Sociorum, lib. 1.
De S. Placido Abbate, sermones. 13.
Rithmus de nouissimis diebus, pulcherrimus. 1

Quæ omnia sunt Casini, MSS. partim in Bibliotheca Scamno 4. ingredientibus sinistram, partim in Thalamo R. P. D. Abbatis: & nonulla item apud me MS. & D. Timotheũ monachum Messanensem.

Ea autem quæ desiderantur, & quorum titulos solos legi, hęc feruntur:

Passio S. Marci, & Sociorum eius, ad Oderisium Abbatem.
Miracula SS. martyrum, Marci, Nicandri, & Martiniani.
Hymni sex, & Cantus de eisdem.
Inuentio S. Marci martyris.
De vigilia S. Marci, sermones duo.
De s. Marco, sermones octo.
Vita S. Dariæ, uxoris S. Nicandri martyris.
Vita S. Iuliani confessoris.
Vita S. Apollinaris Abbatis, ad Rainaldum Abbatem.
Vita SS. Guinizonis, & Ianuarii, monachorum, ad Richardum monachum.

Vita

Vita s. Constantij Episcopi, & confessoris, ad Guarinum Aquini Episcopum.
Vita sancti Seueri Episcopi Casinensis, ad Senioretum Abbatem.
Vita S. Leonis Papæ.
Vita s. Mauri Abbatis, ad Rainaldum Subdiaconum Casinensem.
Historia de euersione, & restauratione, cœnobij s. Mauri.
Translatio S. Stephani protomartyris, a Constantinopoli, ad vrbem Romam.
Destructio, & restauratio Atinæ vrbis
Sermones, de Paschate, & De Ascensione Domini:
Hymni de SS. Christiana, & Iusta virginibus, & martyribus,
Scholia in diuersa sacræ scripturæ loca.
Exhortatio ad Monachos, quid seruare, & quid cauere debeant.
Tractatus, de septem uitiis & uirtutibus:
De septem petitionibus: De Rebecca & Isaac:
De Rege Ozia, & Sacerdotibus:
De moyse, & via trium dierum, & tribus temporibus:
De uisione Esaiæ: De tentatione Christi in deserto: & de visione Senioreti Abbatis.
Altercatio ab ipso habita cum quodam Cõstantinopolitano, pro Romana ecclesia.
De Astronomia, lib. 1.
De generibus lapidum, & de Notis, ad Cunradum Imperatorem,
De consulibus, Dictatoribus, & Imperatoribus Romanorum.
Historia Troianæ gentis ab exordio ad sua tempora.
De prodigiis & portentis, ad Ptolomæum secundum, Consulem Romanum.
Abbreuiatio Solini de mirabilibus mundi.
Abbreuiatio Vitrunii de Architectura.
Translatio Euæ Regis Arabum de lapidibus preciosis, de græco in latinum;
Hymnorum & Carminum, liber 1.
Epistolarum ad diuersos, liber 1.

Et alia nonnulla, quæ ad notitiam meam non peruenerunt. De ex-

Cuſis autem operibus eius, nihil aliud uidi præter librum quartum ad Chronicon Caſinenſe Leonis Oſtienſis, qui impreſſus eſt Venetijs anno 1513. in 4. Obiit Caſini poſt annum 1140. & ibidem ſepultus eſt.

F. Petrus Roſenhemius, Germanus, monachus monaſterij, & congregationis Mellicenſis in Auſtria, qui claruit anno 1420. ſcripſit ad Brandam Caſtilioneum Card. S. Clementis, legatum Apoſtolicum in Auſtria, ſuper totius Bibliæ capita opus metricum prænotatum,

Roſeum memoriale diuinorum, lib. 1.
Aſtripotens cœlum, terram, &c.
Hiſtoriam temporum notabilem, lib. 1.
Sermones uarios, lib. 1.

Frater Petrus Vualloncapella, Belga, a S. Audomaro, monachus, & prior monaſterii S. Vuinnoci Bergis Flandriæ, congregationis ueteris Cluniacenſis, quem adhuc viuere arbitror, ſcripſit

Inſtitutionum monaſticarum, ſecundum Concilii Tridentini decreta, lib. 3. quibus acceſſerunt tractatus duo; alter, de hoſpitalitate monachorum: alter de caſibus reſeruatis Monachorum Prælatis. Excuſi ſunt Louanii anno 1572. in 8. & Coloniæ, anno 1584. in octauo.

Illuſtrationum Religionis monaſticæ, lib. 1. excuſum Coloniæ anno 1583. in 8. Declarationem cauſarum, ob quas Belgium grauiſſimis premitur calamitatibus, cum demonſtratione remedii aduerſus eaſdem efficaciſſimi, impreſſam Coloniæ anno 1582. in 8.

Domnus Philippus, Abbas Bonæ ſpei, ſcripſit, Vitam S. Landelini Abbatis, quæ extat MS. Criſpinii iuxta Valencenas in Belgio.

D. Philippus Alegret, Raguſinus, monachus monaſterii S. Nicolai de Littore Venetiis, congregationis Caſinenſis, alias S. Iuſtinæ de Padua, ſcripſit

Explanationem in epiſtolam ad Romanos. Etſi omnis inſtitutio.
Epiſtolam unam ad R. Georgium Draſchouitium Epiſcopum Quinqueeccleſienſem quæ ſic incipit. Cum incredibili quodam, eſt apud Dom. Conſtantinum Syracu. mon. Catan. Manuſcripta.
Et nonnulla alia in Paulum, Ariſtotelem, & Platonem, quæ tamen non vidi.
De nobilitate Raguſina, lib. 1.

Obiit

Obiit in Littore anno Domini 1592. & ibidem sepultus est in Capitulo fratrum.

Frater Philippus de Bergamo, monachus & Prior monasterii S. Mariæ de Auantia, Patauii, congregationis Cluniacensis, qui floruit anno Domini 1340. scripsit,

Super Ethicam Catonis, lib. 1. Ad gloriam & Laudem.

Sermones varios, lib. 1.

D. Philotheus, monachus Casinensis, composuit sequentiam unâ de Paschate, quæ excusa est in fine Missalium ordinis nostri Cong. Casinensis, anno 1526. in fol. Venetiis impressorum

Domnus Placidus Falconius, Asulanus, monachus, monasterii S. Euphemiæ Brixiæ, congregationis Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, qui adhuc supereſt, scripsit

Passionem siue voces Hebdomadæ Sanctæ, excusas Venetiis anno 1580. in 4.

Missas siue Introitus per totum annum, Venetiis anno 1575. in folio.

Responsoria in hebdomada Sancta canenda, Venetiis anno 1580. in 4.

Magnificat octo tonorum, excusa Venetiis anno 1588. in 4.

F. Probus, Hibernus monachus, scripsit,

De uita S. Patricij Hibernorum Apostoli, libros duos, qui habentur Tomo 3. operum Bedæ, falso ipsi Bedæ attributi.

D. Prosdocimus Pignolatus, Patauinus, monachus s. Iustinæ, congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, scripsit

Vitas quorundam monachorum ordinis sui, & alia quædam. Obiit anno 1553. decimonono Nouembris, ætatis suæ 60. & sepultus est ibidem in capitulo monachorum sub 4. Lapide.

D. Prosper Abbas monasterii s. Pauli extra muros Vrbis, uia Ostiensi, congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ de Padua, qui floruit anno Domini 1553. scripsit ad Augustinum quendam

De immortalitate animæ, lib. 1. Aurelius Augustinus.

Commentaria in suum librum, lib. 1.

Reperiuntur MS. apud D. Constantinum Siracusanum, monachum Catanensem.

D. Prosper Martinengius, Titus antea vocatus, Brixianus, monachus monasterii S. Euphemiæ Brixiensis, congregationis Casinensis alias s. Iustinæ de Padua, & prior titularis, alter nostri temporis Homerus, & in Latina quoque, & Hæbrea lingua exercitatissimus, cu

ius laudes texere non est præsentis instituti, ne adulari uideamur, scripsit plurima opera, præsertim carmine, quibus nomen suum posteris manifestauit, quæ omnia impressa sunt Romæ anno 1589. in 4. apud Franciscum Zannetum, in tribus tomis, quorum

Prior continet poemata diuersa cum Græca, tum Latina, quæ quidem magna ex parte diuina sunt & sacra.

Secundus, opus est quoddam eximium in laudem Diue Virginis, cuius erat deuotissimus, tot videlicet hymnos complectens, quot annis ipsa Beata Virgo uixisse perhibetur Theocodia nuncupatum. Excusum item ante Romæ 1583.

Tertius, pia quædam poemata, ac Theologica, odasque sacras, diuerso carminum genere conscriptas habet: quibus etiam accesserunt, nonnulli quorundam illustrium Casinensium monachorum hymni.

Est & apud me alius hymnus Græcolatinus MS. de S. Barbara, in gratiam Serenissimi Gulielmi Ducis Mantuæ compositus.

Obiit anno 1594. Brixiæ die 6. Octobris, & in monasterio suo S. Euphemiæ sepultus est.

D. Prosper Phanelus, Calaber, monachus S. Seuerini de Neapoli, Congregationis Casinensis, aliàs s. Iustinæ de Padua, uir doctus, & pius, scripsit nonnulla opuscula, de quibus uidi subiecta.

Colloquium Christi, & Moysis, lib. 1. excusum in 4. 1589. si bene memini.

Centrum spiritualis fabricæ li. 1. quod nondum excusum est, sed apud ipsum reseruatur.

Scriptores de Littera R. Cap. LXXVI.

RADVLPHVS, Gallus, monachus monasterii, & congregationis Cluniacensis, S. Petri Abbatis discipulus, uir doctus & illustris, scripsit

De uita eiusdem S. Petri Abbatis, lib. 1. qui extat Cluniaci MS.

Claruit anno Domini 1150.

Nonnus Radulphus, monachus Flauiacensis, siue Fuldensis, congregationis Luxouiensis, qui floruit anno 910. scripsit

In Leuiticum libros 20. qui excusi sunt Coloniæ apud Eucharium Ceruicornum, anno 1536. in folio.

In Epistolas Pauli apostoli, lib. 14.

Histo-

Historiam Francorum, lib. 1. Chronicam breuem, lib. 1.

F. Ranulphus, Anglus, monachus Cestrensis, cõgregationis Cluniacensis, scripsit, Historiam Anglorum usque ad annum 1377.

D. Ragimbertus Abbas in Gallia, congregationis Floriacensis, qui claruit anno Domini 620. scripsit

De uita s. Vualerici Abbatis, lib. 1. qui dicitur extare, sed eum non uidi.

F. Rainaldus subdiaconus, monachus monasterii Casinensis, scripsit carmine,

Vitam s. Seueri Episcopi Casinensis, & hymnum de eodem.

De s. Benedicto, & de s. Mauro, uersus.

D. Raphael, Abbas Althæ superioris in Germania, congregationis Melicensis, qui claruit hoc nostro æuo, scripsit,

Orationem unam de Natiuitate D. N. Iesu Christi, quæ impressa est Tegernseæ in Bauaria, anno 1574. in 8.

D. Raphael Castruccius, de s. Canciano, monachus monasterii S. Mariæ de Florentia congregationis Casinensis, & eiusdem congregationis Abbas titularis, qui floruit anno 1560. scripsit

De Harmonia ueteris & noui testamenti, lib. 1. qui excusus est Venetiis in 4. Transtulit quoque sermones multos de Latina in Hethruscam Linguam. Obiit Flor. an. 1574. mense Aprilis, ubi & sepultus est cum Patribus sui.

D. Raphael Placentinus, monachus congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua, qui floruit anno 1510. scripsit carmine,

Vitam Sancti Simeonis monachi, in s. Benedicto Mantuano quiescentis, quam prænotauit Armeniados, lib. 10.

Opuscula plurima diuersi generis carmine, lib. 1.

Excusa sunt Cremonæ, anno Domini 1517. in 8.

D. Regino, Germanus, monachus, & Abbas monasterii s. Saluatoris Prumiensis, congregationis Luxouiensis, qui floruit anno Domini 910. scripsit

Chronicorum siue Historiarum lib. 2. qui excusi sunt Francofurti cum aliis anno 1583. in fol. & alibi.

De disciplina ecclesiastica lib. 2. In primis inquirendum.

F. Reinerus, monachus monasterii S. Laurentii Leodii, congregationis Cluniacensis, scripsit

Vitam s. Lamberti episcopi & martyris, lib. 1.

Vitam S. Vuolbodonis episcopi Leodiensis, lib. 1. quæ est Leodii MS.

Claruit paulo post tempora eiusdem Vuolbodonis, anno Domini circiter 1020.

Nonnus Remigius, Gallus, monachus Antisiodorensis (non autē Episcopus ut quidem male putarunt) congregationis Luxouiensis, qui claruit anno 880. scripsit multa opera, quorum maxima pars excusa est Antuerpiæ & Coloniæ anno 1545. uidelicet,

In Cantica Canticorum, lib. 1.

In totum psalterium, lib. 1. Prophetia diuina inspir. excusum Coloniæ 1536. in fol.

In euangelium Matthæi, lib. 1. Admonendi sumus: est MS. in Bibliotheca s. Georgij Ven.

In epistolas Pauli, lib. 1. qui bis reperitur MS. in Bibliotheca Casinensi, & in uno eorum uocatur Remigius & Raimo, in utroque uero Episcopus: sicut & in excuso exemplari.

In Canonem missæ, lib. 1.

De officiis diuinis lib. 1. Coloniæ anno 1536.

De festiuitatibus Sanctorum, lib. 1.

Sermonum lib. 1. Ad Episcopum Eduorum, lib. 1.

In Donatum, & nonnullos veteres auctores expositiones varias, Scripsille etiam fuerunt Commentaria in Martianum Capellam quæ sunt Tiguri. MS.

N. Richardus, natione Gallus, patria Pictauiensis, monachus cœnobii SS. Petri, & Pauli Cluniacensis, qui floruit anno 1160. scripsit, a mundi initio, usque ad tempora Friderici I. Imperatoris

Historiarum insigne opus, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

D. Richerius, Gallus, monachus, & Abbas monasterij s. Martini iuxta Metim, congregationis Cluniacensis, scripsit

De vita s. Martini Episcopi Turonensis, lib. 1.

Nonna Richtruda, Angla, & Sanctimonialis Benedictina in Anglia, circa annum Domini 770. scripsit epistolas quasdam consolatorias.

D. Robertus, Anglus, monachus, & Abbas, monasterij de monte S. Michaelis in Anglia congregationis Cluniacensis, uir doctus, & disertus, addidit ad Sigeberti Gemblacensis Chronicon,

Annales centum fere annorum, lib. 1. id est ab anno 1113. ad annum 1210. excusos Francofurti cum Sigeberto anno 1583. in fol.

De suis temporibus, lib. 1.

ANNOTATIO.

Floruit Robertus anno Domini, vt ex eius Chronico uidere est, 1200. & quod excurrit. Confunditur ab omnibus & præcipuè postremis Germanicorum scriptorum concinnatoribus, cum subsequenti Roberto monacho Remensi, belli sacri Hierosolimitani scriptore. Ex multis tamẽ diuersum esse coniecturari licet. Primo ex patria, ille enim Gallus, hic uero Anglus fuisse perhibetur. Secundo ex professione, dignitate, & monasteriorum diuersitate, professus enim ille in monasterio S. Remigij Remensis in Gallia, monachus simplex ad finem usque vitæ permansit: hic vero Abbatem egit in Anglia in cœnobio S. Michaelis de Monte. Tertio ex temporum, regula infallibili, ratione. Vixit enim hic noster, ut diximus, anno Domini 1200. & quod excurrit, ut eius Chronicon indicat: ille uero centum, & amplius annis prius vixisse se refert in epistola dedicatoria librorum suorum, ubi sic ait. Præcepit ergo mihi, ut qui Clarimontis interfui Cõcilio, acephalæ materiæ caput præponerem, &c. *Concilium autem Claromontanum celebratum est anno Domini 1096. Et nullo modo credibile est eum, qui iam adultus Concilio Claromontano interfuit, ad tantum tempus ætatem perduxisse, scilicet usque ad annum Domini 1212. uel circiter. Et hæc pro huius rei notitia dicta sufficiant.*

F. Robertus, siue Rupertus, Gallus, monachus monasterij S. Remigij in diœcesi Remensi congregationis Cluniacensis, anno Domini circiter 1120. scripsit

Historiam belli Sacri, lib. 10. qui excusi sunt Basileæ in fol. & Francofurti anno 1584. in fol.

Acta Conciliorum, lib. 1.

F. Roboas, Diaconus, monachus Casinensis sub Gerardo Abbate, anno Domini circiter 1120. scripsit

Vitam S. Leonardi Episcopi, lib. 1. Sermones de festis totius anni, lib. 1.

D. Rogerus de Vuindeleshor, Anglus, monachus S. Albani, scripsit Historiarum lib. 1. usque ad annum 1235. quo uixit.

D. Rogerius, Gallus, monachus, monasterij de Cruce S. Leutfredi in Britannia, congregationis Cluuiacensis; deinde Montanoburgi primus Abbas, anno Domini circiter 1040. scripsit,

Vitam S. Brunonis Episcopi Colonienſis, lib. 1.

D. Romanns Sincerus, Siculus de Politio, monachus s. Martini de Scalis Panhormi, & Abbas s. Laurentii de Auersa, cong. Casinensis, uir doctus, & pius, scripsit ad monasteriorum, in quibus Abbatem egit, utilitatem

Histo-

Historiam monasterii s. Martini de Panhormo.
Historiam monasterii s. Nicolai de Arenis, Catanæ, &
Historiam monasterii S. Mariæ de Monteregali; quæ omnes in ijsdem cœnobiis asseruantur MSS.

Obiit Auersæ anno 1590. mense Octobri, & ibidem sepultus est.

D. Ropertus, Anglus, Abbas Saloptensis, alias Schreuuisberii, con greg. Cluniacensis, qui claruit anno Domini 1140. scripsit,

Vitam s. Vuenefridæ Abbatissæ, virginis & martyris, quæ excusa est cum Surio, Tomo 6. die 3. Nouembris.

D. Rudolphus, Belga, monachns, & Abbas s. Trudonis in diœcesi Leodiensi, congregationis Cluniacensis, qui claruit anuo Domini 1120. scripsit

Contra Simoniacos, lib. 7. Chronicorum, lib. 1.
Carminum, lib. 1.

D. Rudolphus Abbas, scripsit Vitam s. Gereonis martyris.

Frater Rudolphus, Germanus, monachus Fuldensis, congregationis Luxouiensis, iussu Rabani Episcopi, quam antea scripserat Mago monachus.

Vitam s. Liobæ Virginis, & Abbatissæ descripsit doctè & grauiter, quæ est apud Surium, Tomo 5. die 18. septembris.

D. Rupertus, Germanus, monachus, & Abbas monasterii Lympurgensis in diœcesi Spirensi, congregationis Cluniacensis reformatæ, anno Domini circiter 1125. scripsit

In Cantica canticorum, lib. 4. Quicunque sui ipsius rerum.
De contemptu mundi, lib. 2. Mundus indebito nomine.
De s. Ioanne Baptista, lib. 1. Refert historicus Euangelista.
Reuelationum suarum, lib. 1. Anno Dominicæ incarnationis.
Sermones de sanctis ecclesiæ, & monasterii sui, lib. 1.

F. Rupertus, Germanus, monachus monasterii s. Albani Moguntiæ, congregationis Luxouiensis, & scholæ præsidens, circa annum Domini 892. scripsit eleganti carmine,

De uita s. Albani martyris, lib. 1.

F. Ruthardus, Germanus, monachus Fuldensis, congregationis Luxouiensis, Rabani Episcopi discipulus, anno Domini circiter 820. scripsit

De uita s. Bonifacii episcopi & martyris, lib. 1.

Scriptores de Littera S. Cap. LXXVII.

S. ANSON, Hiſpanus, Cordubenſis, Abbas s. Zoili Cordubæ, deinde Abbas monaſterii de Marros, uir doctus & ſubtilis ingenio, aduerſus Hoſtigeſium Epiſcopum Malacitanum, qui eũ in concilio Cordubenſi hæreticum cum conuitio uocarat, ſcripſit nonnulla magnæ auctoritatis opuſcula, ſcilicet, Apologeticum in ſui defenſionem, lib. 1. hic reperitur MS. littera Gothica in eccleſia Toletana.

Contra hæreſim Antropomorphitarum, libros aliquot, tanta ui & maieſtate, ut eius cauſa dicta hæreſis in Hiſpania, in Concilio Cordubenſi celebrato ab Epiſcopis ſex, reprobata fuerit.

Obiit anno Domini 890. die uigeſimoprimo Menſis Auguſti.

N. Sebaſtianus, monachus Caſinenſis, ſcripſit,

Vitam s. Hieronymi diſcipuli S.P.N. Benedicti. Claruit anno Domini 560.

Frater Senatus Brauonius. Anglus, monachus Vuigornienſis, cõgregationis Cluniacenſis, qui claruit anno 1170. ſcripſit

De uita s. Vuolſtani epiſcopi, lib. 1. cuius fragmentum excuſum eſt apud Surium, Tomo 1. die 19. Ianuarii.

De vita s. Oſualdi epiſcopi, lib. 1. eſt apud Surium Tomo 5. die 15. Octobris.

D. Seraphinus Florentinus, monachus s. Mariæ de Florentia congreg. Caſinenſis, tranſtulit ſermones multos SS. Gregorii, Epiphanii, Chriſoſtomi, Bernardi, Dionyſii, Caſiani, & Dionyſii, Carthuſiani, de Latina in Italicam linguam, qui excuſi ſunt Florentiæ. Obiit Florentiæ anno 1594. & ibidem ſepultus eſt.

D. Seraphinus Cantonus, Mediolanenſis Inſuber, monachus monaſterii s. Simpliciani Mediolani, cong. Caſinenſis, qui etiamnum ſupereſt, ſcripſit

Madrigaliorum quatuor uocum primam partem, excuſam Venetiis anno 1592. in 4.

F. Serlo, Anglus, monachus Dorobernenſis, ſiue Cantuarienſis, anno Domini circiter 960. ſcripſit

Commentariorum in Pentateuchum, lib. 5.

De prouerbiis, lib. 1. De differentiis, lib. 1.

Homiliarum, lib. 1. Contra monachorum libidines, lib. 1.

F. Si-

F. Sigebertus, monachus Corbeiæ Saxonicæ, s. Viti, congregationis Luxouiensis, scripsit an. Domini circiter 905. gemino stylo, prosa videlicet & carmine, Vita s. Vuimonis episcopi, lib. 2.

N. Sigebertus, Gallus, monachus monasterii Gemblacensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1100. scripsit multa tam carmine quam prosa:

In Ecclesiastem metro heroico, lib. 1.

De viris illustribus lib. 1. qui excusus est cum aliis Coloniæ, anno 1580. in 8.

Vitam s. Sigeberti Regis, lib. 1. excusus Tomo 7. Surij, die primo Februarii.

Vitam s. Guiberti Abbatis, lib. 1. excusus Tomo 3. Surii die 23. Maii.

Vitam s. Theodorici Episcopi, lib. 1.

De translatione eiusdem, lib. 1.

Vitam s. Lamberti episcopi & mart. lib. 1.

Passionem Thebeorum, lib. 3. Martyribus roseas Thebæis ferre coronas. hi sunt in monasterio Gemblacensi MS.

Vitam s. Maclouii Episcopi, lib. 1. qui excusus est tomo 6. Surii die 15. Nouembris.

Passionem s. Luciæ uirginis & martyris metricè, lib. 1.
Apologiam pro eadem, lib. 1.
Sermonem item in laudem eiusdem Virginis.
} Asseruantur MS. in monasterio Gemblacensi.

Vitam s. Theodardi episcopi, & mart. lib. 1. excusus Tomo 5. Surii. 10. Septembris.

De computo ecclesiastico, lib. 1.

Apologiam ad Imperatorem, lib. 1.

Gesta Abbatum Gemblacensium, lib. 1.

Sermonum, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Chronicon ad Eusebium ab anno Domini 381. ad usque 1131. excusum Parisiis in fol. & Francofurti & alibi sæpius.

Scripsit & duos tractatus alios contra Gregorium VII. & Paschalem II. Romanos Pontifices, ex quibus iure reprehenditur, quod Henrico IIII. Imperatori, ecclesiæ persecutori & rebelli adhærens, ea scripserit quæ suum propositum non decebant.

N. Sigebertus, Germanus, monachus s. Albani Maguntiæ, congregā-

gationis Cluniacensis reformatæ, qui floruit anno Domini 1297. scripsit Vitam s. Albani martyris, lib. 1.

F. Simeon, Anglus, monachus Dunelmensis, congregationis Cluniacensis qui claruit anno 1164. scripsit

Passionem Sanctorum Ethelberti & Ethelredi martyrũ, lib. 1.

F. Simon Belga, monachus s. Mariæ de Hafflighem, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Christi 1300. scripsit

Sermonum in Cantica Canticorum, lib. 1. Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Abbreuiationum moralium Gregorii Papæ, lib. 10.

Visiones cuiusdam conuersi, lib. 1.

Sermonum aliorum, lib. 1.

D. Smaragdus, monachus & Abbas, monasterii s. Michaelis, sed cuius congregationis ignoro, cum alii claruisse referant anno 940. alii anno 680. scripsit

In totum psalterium, lib. 1. In epistolas & euangelia per annum, lib. 2. excusa latine, & Germanicè anno 1539. interprete Gaspare Hedione, lib. 1.

Sermonum, lib. 1. In Donatum maiorem, lib. 1.

In regulam S. P. N. Benedicti, lib. 1. qui excusus est cum Turrecremata, Coloniæ apud Geruinum Calenium ann. 1575. in folio.

Diadema monachorum, lib. 1. Hunc modicum libellum: hic reperitur MS. in Bibliotheca nostra s. Benedicti Mantuani, Casini, & alibi.

Est & Casini scamno 7. ad sinistram, quidam alius tractatus sub nomine Smaragdi Monachi, sed utrum idem sit, aut diuersus ab isto ignoro.

F. Smaragdus, monachus Casinensis, scripsit quosdam tractatus, qui sunt Casini MS. in scamno 7. Bibliothecæ ad sinistram.

D. Stephanus, monachus, & Abbas Leodiensis, congregationis Luxouiensis, qui floruit anno Domini 740. scripsit

De uita s. Modoaldi Episcopi Treuirensis, lib. 3. qui excusi sunt apud Surium tomo 3. die 12. Maii.

D. Stephanus, Anglus, monachus Vuitebiensis cœnobii, deinde Abbas Eboracensis, congregationis Cluniacensis, anno Christi circiter 1080. scripsit

De reparato monachatu, lib. 1.

De fundatione cœnobii, lib. 1.

Magister

Magister F. Stephanus, Hispanus, monachus monasterii Cellę nouæ in Hispania, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1200. uel circa, scripsit

De miraculis s. Rodosindi Episcopi, & monachi, librum unũ, qui est MS. in eodem Cellæ nouæ cœnobio, ut refert Morales, lib. 16. c. 36.

F. Stephanus monachus s. Puntaleonis Coloniæ, anno 990. scrip.

De inuentione s. Maurini Abbatis, & martyris, lib. 1. excusus Tomo 3. Surii, & Tomo 7. Mosandri, die 10. Iunii.

F. Stephelinus, monachus monasterii s. Trudonis, congregationis Cluniacensis, scripsit ab anno 1055. usq; ad annum 1082. quæ facta sunt, Miracula per s. Trudonem in suo monasterio.

F. Strabo, Anglus, Venerabilis Bedæ frater, monachus Londinensis, congregationis Giribennæ, scripsit anno Domini circiter 750.

Commentarios in Genesim, lib. 1.

F. Sulcardus, Anglus, monachus Vuestmonasterienſis in Anglia, congregationis Cluniacensis, anno Domini circiter 1060. scripsit plura, historiam maxime concernentia, de quibus tamen, nihil hactenus vidisse me recolo.

Scriptores de Littera T. Cap. LXXVIII.

F. ELESPHORVS monachus, & Eremita, qui floruit anno 1386. scripsit,

Prophetiarum, librum unum: quem MS. vidi Venetiis apud Hieronymũ Porrũ.

F. D. Theodinus, monachus Casinensis, (qui videtur mihi omnino is esse qui ab Alessandro Papa II. in numerum Cardinalium adscriptus est) pulchro & eleganti stylo, sermones duos habuit in festo s. Placidi Abbatis, & Protomartyris Ordinis Benedictini, qui sunt apud D. Timotheum a Messana monachum Messanensem, MSS.

D. Theodoricus, Germanus, monachus, & Abbas, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno Domini 1200. scripsit

De vita s. Hildegardis Abbatissæ, lib. 4. qui impressi sunt apud Surium, Tomo 5. die 17. Septembris: & cum operibus eiusdem Hildegardis Coloniæ anno 1566. in 4.

D. Theodoricus, Belga, monachus & Abbas s. Trudonis diœcesis

Leo-

Leodiensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1100. scripsit

De uita s. Rumoldi episcopi, lib. 1. qui excusus est Bruxellę anno 1569. & Tomo 7. Surij,

De uita s. Amalbergæ Virginis, lib. 1. qui est MS. in cœnobio Cameræ in Belgio.

De uita s. Trudonis confessoris lib. 1. excusus apud Surium die 23. Nouembris.

De uita S. Bauonis conf. lib. 1. qui excusus est apud Surium die 1. Octobris.

De translatione SS. Trudonis & Eucherij sermonem vnum, impressum ibidem apud Surium.

Item librum unum uersu heroico, veteris ac noui testamenti historias continentem, quem tamen nondum uidi.

De uita s. Landradæ virginis, lib. 1. excusus apud Surium Tomo 4. die 8. Iulii.

N. Theodoricus, monachus & Sacerdos monasterii Casinensis, scripsit De uita s. Firmiani Episcopi, lib. 1.

De s. Mauro Abbate, hymnum unum.

F. Theodoricus, monachus congregationis Cluniacensis, Germanus, qui claruit anno 1040. scripsit

De translatione prima S. P. Benedicti, lib. 1. Cum diu gens Longobardorum. De translatione eiusdem secunda, lib. 1. cum cęlestium Sacramentorum.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Frater Theodoricus, Germanus, monachus S. Matthiæ prope Treuerim, congregationis Cluniacēsis, qui claruit anno 1005. scrip.

De Inuentione s. Celsi episcopi, & confessoris, lib. 1. qui excusus est apud Surium Tomo 7. die 23. Februarii.

F. Theophanus, Diaconus, monachus Casinensis, scripsit multa carmine præsertim, inter quæ,

De s. Maria Virgine, versus.

De aduentu S. P. Benedicti ad montem Casinum, ac de miraculis eius, uersus.

De constructione cœnobii s. Mariæ in Plumbariola, uersus,

De constructione cœnobii s. Saluatoris, uersus.

D. Theophilus Folengus, natione Longobardus, patria Mantnanus, cognomento Merlinus Coccaius Poeta nostri temporis celebris, monachus monasterii s. Euphemiæ Brixiæ, congregation Casinensis,

pensis, aliàs s. Iustinæ de Padua, scripsit inter cætera sermone Italico, & uersu heroico

De humanitate Christi, lib. 1. *Dell alma & sempiterna Trinitade*, hic impressus est Venet. apud Aurelium Pincium, an. 1533

Panhormitanam, vulgò, Pinctam dictam, l. b. 2. qui sic incipiunt,

Hor ch'io son posto a fren di quell'etade.

Sunt MS. Panhormi, & apud D. Constantinum Siracusanum, monachum Catanensem.

Macaronicorum opus Poeticum, sub nomine Merlini Coccai, Poetæ Mātuani, ridiculum, & Italicis uocabulis ubique permixtum, uidelicet, Zanitonella, Baldina, & Moschæa, item liber epistolarum, & epigrammatum. Excusum Tusculani ad Lacum Benacum anno 1521. Venetiis 1573. & 1583. in 16.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1. qui extare dicitur, sed illum non uidi.

Et alia multa, partim Latino, partim Italico sermone, quorum notitiam non habeo.

Obiit in monasterio s. Crucis Campesii, iuxta Bassanum, anno 1544. die 9. mensis Decembris, & ibidem sepultus est ad sinistrum altaris cornu, cum hoc Epitaphio, a monachis posito.

Hic cineres Theophili monachi, tantisper dum reuiuiscat asseruantur, & in Domino quieuit felicissime, die 9. Decembris anno 1544.

Hoc verò temporum iniuria corroso, alia apposita ibidem leguntur, tam Græca, & Hæbraica, quam etiam Latina, Italica, & Hispanica lingua, auctoribus monachis duobus cœnobii s. Benedicti de Padolyrone, Nicolao videlicet, Salodiano, & Columbano Brixiano, poetis nostri temporis non contemnendis, quæ omnia propter eorum elegantiam, hic apponere non piguit

Supra portam sepulturæ:

Hospes siste gradum, Manes venerare solutos,
Merlini corpus, conditur hoc tumulo.

In introitu sepulchri,

Quod si fata viri, sortem, patriamque requiris,
Saxo hosce inscriptos perlege versiculos.

Paulo inferius.

Mantua me genuit, Veneti rapuere, tenet nunc
Campesium, cecini ludicra, sacra, sales.

Ante

Ante faciem ingressus.

Spectatæ pietatis, & incomparabilis doctrinæ viro, Theophilo Pholengio, cogn. Merl. Mon. Cas. qui, vt erat festiuissimus, cum ab ineunte ætate lepidiss. Mach. opus nouo dicendi genere animi gratia, ædidisset, multa item seria, atque adeo sacra cum Hætrusco, tom latino sermone elucubrauit, quo exiguo, atque humili dui neglectus iacuit, id monachi aliquatenus, vt cernis, monumentum instaurari uiro doctissimo procurarunt. Decessit studijs, senioque confectus. M. D. XLIIII. V. Idus Decembris.

Ad dextrum latus sepulchri ad parietem, superius.

Aca Merlin Poeta, es sepultado
Que en rudo estil, d'acentos muy grosseros,
A porfia de Maron, y Marte ayrado
Y las quexas cantò de Los Vaqueros.

Paulò post.

Già non inuidia a le fiorite sponde
D'Arno, di Pò, di Menzo, ò di Meleti,
La Brenta; hor che nel grembo suo nasconde
Trofei piu degni, e fior piu vaghi, e lieti.

Inferius. Ἄλλο: ideſt, Aliud.

Ὧδε κλεινὸν ἔθαψαν ἐν ἀνθρώποισι φόλεγγον,
Εὔχος ἀείμνηστον μαντυέων πόλεως.
Οὗτος γὰρ χαρίτων πολυήρατον ἄδῃ μέλημα,
Ἔπλετο, καὶ μουσέων ἄνθος ἰοστεφάνων.
Ἔσκε δ' ἐν εὐαγέεσσι θεουδήας μέγ' ἄγαλμα,
Ἔσκε μετ' ἀσκητῶν ὄμμα θεοσσεβίας.
Ἀλλ' εἰ παντοίης περ ἀοίδιμον ἄνδρ' ἀρετῆσιν
Εἷλε μόρος, σ' ἔμεναι μὴ δόκει ἀθάνατον.

Id est,

Hic illustrem sepelierunt inter homines Pholengum
Gloriam semper memorabilem Mantuanorum ciuitatis
Hic enim Charitum amabilissima suauis cura
Fuit & Musarum flos violis coronatorum:
Erat autem inter Sanctos religionis magna effigies
Erat cum monachis oculus religionis.
Sed si omnigenis celebrem virum virtutibus
Rapuit mors, te esse ne putes immortalem.

Aliud.

Γῆρά σε παρὰ λείλη ἤλυε χάρα πᾶσα ῥεῖ.

Id est,

Tuis in sacris labijs Sol lætitia tota fluit.

Aliud.

Ὅς ποτε, τῇ σοφίη καλὸς ἦν, ἀρεταῖς τε φαεναῖς,
Μεσάων τε κλέος, τῶν μακαρωντε θεῶν,
Ὅς καὶ θεσσεβίη λαμπρὸς ἐφ: φίλος ἐθε οἷο,
Κῦδος τ'ἀσκητῶν τῶν μεγαλοπρεπίων.
Σῶμα μὲν ψυχῆς τέτου λίθος ἀμφικαλύπτει,
Πνεῦμα δὲ τὸν λαμπρὸν οὐραιον ἔσω ἔχον.

Id est,

Qui quondam sapientia bonus erat, & virtutibus illustribus.
Musarumque gloria, & beatorum Deorum.
Qui etiam pietate clarus, & amicus Dei
Et gloria monachorum excellentium.
Corpus sine anima huius lapis tegit
Spiritus autem splendidum cœlum est habitans.

Ad sinistrum latus sepulchri:

Merlin che al suo fattor sacrò già quelle
Membra, c'hebbe da lui per farle vguali
A l'altre parte sue che fra' mortali.
Si veggon lampeggiar serene & belle.
Et sotto ne l'humil di rozza pelle
S'inuolò si dal cerchio de' mortali
Che spiegando per l'aria altero l'ali
S'erse il suo nome al ciel con tante stelle.
Et a l'alme fiorite & dolce riue
De l'honorata Brenta co'l bel canto
Fe'l Pastor obliar che sempre viue,
Et l'aria rallegrar per ogni canto:
Lasciò la fragil spoglia in questa tomba,
Et volossene al Ciel, come Colomba.

Ibidem.

Ἢ σέ γε μοῦσα ἐδίδαξε Διὸς παῖς,
Ἢ σέ γε Ἀπόλλων. Idest,

Vel te musa docuit Iouis filia, vel te certè Apollo.

Erant

Erant ibidem in ipsius portę ingressa,& duo epitaphia Hebræa, sed parua,quæ quidem ut erant exscripseram,sed cum a nullo, qui linguam hanc calleret,interpretari potuerint,ea ex industria omisi.

Do. Theophilus quidam monachus congregationis Casinensis, scripsit tractatum

De casibus, qui sic incipit Conclusio prima : qui est apud me Manuscriptus .

D.Theophilus Senensis,monachus Casinensis, uir ingenio perspicax, & in scientiis Philosophia, Theologia, & Mathematiaca valde disertus, bis a Romano Pontifice uocatus est ut eius opera in quibusdam ecclesiasticis negotiis uteretur, edidit tractatum

De noua restauratione Calendarii.

Et alia multa mihi incognita. Obiit Casini Cellerarius an. 1586.

D.Thietmarus, monachus & Abbas, monasterii Helmarduicensis, scripsit,

Vitam & miracula s. Remacli Episcopi lib.1. qui extat MS.

D.Thomas ab Ebulo,monachus monasterii Casinensisscripsit

Synodalium actionum , lib.1.

Examen ordinandorum , lib.1.

Sermones quoque 50.Italico sermone.

Obiit his nostri temporibus post annum Domini 1574. Casini.

F. Thomas Monemutensis , Anglus,monachus congregationis Cluniacensis,qui claruit anno Domini 1160.scripsit ad Gulielmum Nordouicensem Episcopum ,

De vita s.Gulielmi martyris, lib.7.

Miracula eiusdem , lib.1.

F.Thomas Vualsingham,natione Anglus, patria Nordouelgius, monachus monasterii s.Albani martyris,congregationis Cluniacensis in Anglia,ac illius cœnobii præceptor,homo in colligendis historiis studiosus atque diligens,qui claruit anno Christi 1440.scripsit, duas historias, primam

Historiam breuem quam inchoauit ab anno 1273. & finiuit in anno 1422. quæ excusa est Londini anno 1574. in folio , secundam

Historiam longiorem, quæ uocatur ab auctore Ypodigma Neustriæ, quæ impressa est anno Domini 1574. in folio , Londini.

S. VALERIVS Abbas s.Petri Montensis,Hispanus uir doctus, & Sanctus, qui floruit anno 660. sub congregatione Hispanica Mauriana,Vallisclaræ appellata, tum soluta, tum numeris astricta oratione, plurima ingenii sui monimenta reliquit,inter quæ extat

De uana seculi sapientia, lib.1.

F.Vffingus,Germanus,monachus Vuerdensis S.Ludgeri, scripsit

De uita s.Idæ viduæ,lib.1.qui est apud Surium die 4.Septēb.

F.Vguetinus, Canonicus primum s.Augustini,deinde monachus Metensis,ordinis s.Benedicti, uir pius & Sanctus,ut eius scripta indicant,scripsit egregium tractatum de visione sua terribili,quamin spiritu habuisse se refert,qui excusus,est Parisiis anno 1513. in fol. in libro trium uirorum,& trium spiritualium Virginum.

D. Victorinus Manso ab Auersa ciuitate Campaniæ, monachus monasterij s.Trinitatis Cauensis,congregationis Casinensis, alias s. Iustinæ de Padua,& nunc eiusdem cong.Abbas,scrip. explicationē

In ecclesiasten Salomonis de uanitate mundi deque solida hominis felicitate: quæ excusa est Coloniæ apud Cholinum anno 1580.in 12.& 8.& Florentiæ 1580.in 4.

De modo procedendi in causis regularium, liber unum, excusus Venetiis apud Franciscum Senensem, anno 1595. in octauo.

De Harmonia Theologica Patrum & scholasticorum, tomos aliquot: quorum primus in libro s uigintiquinque diuisus, excusus est Neapoli apud Iacobum Carlinum, anno 1594. in 4.

Viuit Abbas s.Seuerini in ciuitate Neapolis, continue scribens.

S.Vigianus,Scotus,monachus Benedictinus,congregationis Cluniacensis,qui claruit anno 1000. scripsit sermones ad populum.

Do.Vincentius Borghinus nobilis Florentinus, monachus monasterij S.Mariæ Florentiæ,congregationis Casinensis, alias s.Iustinæ de Padua,& eiusdem congregationis Prior,scripsit Italico sermone nonnulla opuscula,inter quæ,

De consulibus Romanorum uersu heroico Italico, lib.1.extat Manuscriptus.

De

De Imperatoribus Romanorum, lib. 1. extat MS.

De familiis nobilium ciuitatis Florentinæ, cum insignibus eorum, lib. 1. extat MS.

Et alia nonnulla quæ nondum vidi, floruit anno Domini 1560.

Do. Vincentius Campanus, Neapolitanus, monachus s. Seuerini Neapolis congregationis Casinensis, alias S. Iustinę de Padua, scripsit

Collyrium mentis de nominibus Christi, lib. 1. qui excusus est Neapoli apud Io. Mariam Scottum an. Domini 1562. in 8.

Fasciculum Myrrhæ, lib. 1. qui utrum excusus sit, nescio.

Obiit anno Christi 1571.

D. Vualafridus, Germanus, a uitio oculorum, Strabo cognominatus, monachus, & Abbas duodecimus monasterii Augiæ diuitis, congregationis Luxouiensis, creatus anno Domini 842. plura scripsit tam metro, quam prosa, inter quæ

De uita s. Galli Abbatis lib. 1. excusus apud Surium die 16. Octobris

De uita eiusdem metrice, lib. 1.

De uita s. Othmari Abbatis, lib. 1. excusus est apud Surium die 16. Nouembris.

De officiis diuinis, siue de exordiis & incrementis rerum ecclesiasticarum, lib. 1. qui excusus est Romæ, cum aliis auctoribus de eadem re, anno Domini 1590. in folio, & Venetiis in speculo missæ Nicolai Autrifici anno 1572. in 8. & Coloniæ, anno 1568. in fol. & Parisis in Tomo 4. Bibliothecæ SS. Patrum.

De comparatione mundanarum, & ecclesiasticarum dignitatum, lib. 1.

Epistolarum ad diuersos, lib. 1.

Obiit in monasterio suo an. Domini 849. regiminis Abbatialis, an. 8.

ANNOTATIO.

Putat Trittemius floruisse an. 700. & Abbatem s. Galli fuisse: At patet ex c. 8. libri de exordiis rerum eccles. ubi de Ludouico Pio Imp. & ex cap. 22. ubi de Carolo Magno fit mentio, eo, quo diximus, tempore claruisse, vt ex chronico quoque Hermanni Contracti apertissime liquet, & a nemine alio Abbas S. Galli uocatur, quam ab ipso Trittemio, sed semper Diuitis Augiæ.

F. Vuandelbertus, Germanus, Diaconus, & monachus monasterij Sancti Saluatoris Prumiensis, congregationis Luxouiensis, qui claruit anno 850. scripsit,

De

De uita s. Goaris presbyteri, lib. 1. } excusi ambo apud Surium,
De miraculis eiusdem, lib. 1. } die 6. Iulii.
Martyrologium metricè, lib. 1. qui excusus est cum Vsuardo, & annotationibus Ioannis Molani Doctoris Louanienſis, anno Domini 1573. in 8. Louanii.

F. Vuarmerus, monachus, cognomento Homiliarius, anno Domini circiter 1090. scripsit, Homilias ad vulgum.

D. Vuilleramus, Germanus, monachus Fuldensis, & post Abbas s. Petri Mersburgensis, congregationis Cluniacensis, qui claruit anno 1070. scripsit, in Cantica Canticorum
Epithalamion de nuptiis Christi, & ecclesiæ, ex diuersi generis carminibus prosa intermistis, libros tres, quorum initiũ est, Cum maiorum studia.

F. Vuitichindus, seu Vuindichinus, Germanus, Saxo, monachus cœnobii s. Viti Corbeiæ Saxonicæ, congregationis Luxouiensis, qui claruit anno Domini 950. scripsit
Passionem s. Teclæ Virginis metricè, lib. 1.
Vitam s. Pauli primi Eremitæ, lib. 1.
Gesta Ottonis primi Imperatoris, lib. 1.
Historiam Saxonum, siue Annales, li. 3. qui excusi sunt Basileę anno Domini 1532. & Francofurti anno 1577. & 1580. in folio, quę posteriores editiones quod ab homine hæretico in lucem emissæ sint, cauendæ sunt.

F. Vuolfardus, Germanus, monachus Hasserensis, composuit
De uita s. Vualburgis virginis & Abbatissæ, lib. 1.
Videtur is esse qui est apud Mosandrum Tomo 7. Surii, die primo Maii.

S. Vuolphelnus, Germanus, monachus s. Maximini Treuiris, deinde Abbas s. Nicolai Brauuuilerensis, congregationis Cluniacensis, u ir tam sanctitate, quam doctrina insignis, scripsit Epistolam unam qua Berengarii errorem egregiè confutat, quæ reseruatur in cœnobio suo s. Nicolai. Alia si quæ scripserit, necdum uidi.

F. Vuolstanus, Anglus, monachus Vuintonienſis, congregationis Giribennæ, qui claruit anno 970. scripsit
De translatione s. Suuithuni Episcopi, lib. 1.
De Vita S. Etheluuoldi Episcopi, lib. 1. cuius epitome extat apud Surium Tomo 4. die 2. Augusti.

Collegii Soc. Jesu Paris
1597

Scripto-

Scriptores de Littera Z. Cap. LXXX.

D. ZENOBIVS Prologus Florentinus, monachus s. Mariæ Florentiæ, congregationis Casinensis Abbas, alias s. Iustinæ de Padua, qui claruit anno 1570. scripsit, Italico sermone nonnulla opera, inter quæ

Sermonũ ad monachos, li. 1 qui excusus est.


Epistolarum ad diuersos, lib. 1.


Tractatuum familiarium, lib. 1. qui impressus est Florentiæ anno 1572. in 4.

In morte D. Ioannis Baptistæ stellæ Abbatis SS. Faustini & Iouitæ, orationem unam funebrem latinam.

FINIS LIBRI SECVNDI.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
4896


D.
Wion.
Ligni Vitæ
P. I.
S1
1.